DECISIONES MISCELLANEÆ

QVINQVE CENTVM DVBIORVM

Nouorum ad publicam vtilitatem Clericorum, Religiosorum, & Secularium expositorum;

Per Reu. Patrem Magistrum

F. FRANCISCVM BORDONVM

Parmensem: Religionis Tertij Ordinis S. Francisci Definitorem Generalem.

Perillustr. Excell.mi ac Reuerend.mi viro

D. BARTHOLOMEO GIERA

S. Theol. ac Canonum Doct. Vicario perpetuo insignis Ecclesiæ S. Bartholomei de Riuoalto, nec non Illustriss. & Reuerendiss. DD. Io: Francisci Mauroceni Patriarchæ Venetiarum Dalmatiæque Primatis Auditori Generali.



VENETIIS, Apud Paulum Baleonium. M DC L.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

PERILLVSTRIS
EXCELLENTISSIME,
ET REVERENDISSIME DOMINE
Semper Colende.

CVM opus Adm. R. P. Francisci Bordoni Decisiones Miscellaneæ quinquecentum dubiorum nuncupatum, ad studiosorum commodum in lucem prodere meis Typis decreuissem, ne tanti Viri, iam toti Italiæ, ob aliorum operum singularium, præsertim verò resolutionum, seu responsorum Regularium in duobus voluminibus; editionem; per celebris; diù expetiti labores delitescerent; hoc tibi, dicare, & volui, & debui; iam diù enim meam ergà te obseruantiam, studium, ac reuerentiam tibi notas esse summoperè exoptaui; quippè qui in hac inclita Ciuitate, & in præclarissimo hoc Clero Veneto, & vni ex primis Ecclesijs honorificentissimè præsides; & munera Ecclesiastica præcipua, summa cum laude, & communi applausu exerces; & ad maiora etiam vocaris iure quidem merito; cui enim aptius, ac libentius vigilantissimus Venetiarum Archiantistes Vicesgerentis, & Vicarij sui Generalis, siuè onus, siuè munus, vndequaque conspicuum, quam tibi committat? quem ex Cadubrio ortum, Virorum semper Illustrium Patria ex antiquo Genere, Progenitoribusque ingenio acutissimis, & doctrina eruditissimis procreatum (cuius Pater licet Nonagenarius, libros tamen adhuc reuoluens dictum illud egregium Pomponij Iurisconsul. in l. apud Iulianum ff. de fideicom. libertat. in se optimè comprobauit; quod est huiusmodi; Et si alterum pedem in tumulo haberem

non

non pigeret aliquid addiscere, *in primarijs Germaniæ Scholis, educatum; in Patauino Gimnasio duplici Doctorali laurea insignitum, ac Curiæ Romanæ praxi mox eruditum, Cænetensis Ciuitas sub Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Bragadeni modò Vicentini, tunc eius Episcopi regimine, Vicarium habuit Episcopalem Generalem, postmodùm Veronæ maior Ecclesia, & Canonicum Theologalem excepit, & Vicarium Capitularem Generalem, Sede Episcopali vacante, Superiorem agnouit; & denique opulentissimi Archipresbyteratus Insulæ Porchericciæ, honore, & redditibus, (à te tamen exemplari liberalitate ex locuplete patrimonio tuo, non parum adauctis,) ditauit; & decorauit; à quo, veluti vi quadam suauissima nuperrimè auulsus, Ecclesiam Vicarialem S. Bartholomæi de Riuoalto Viris eximijs, ac scientia, & morum grauitate longè conspicuis semper per Præsules Venetos conferri solitam, Tibi vni diù seruatam, Pastor ipse zelantissimus contulit, & donauit; ipsum enim non minus maturæ prudentiæ tuæ, dexteritatisque; ac probitatis fama permouit; verùm etiam duorum tui Fratruum Germanorum in pio Ordine Capuccinorum insignium; qui, & Verbi Dei Prædicatione, & rerum gerendarum experientia inter magnates, præsertim, quàm plurimum pollent, quorum alter, natu maior à totius Ordinis Generali Superiore inter tot eiusdem instituti professorum millia, non tàm itineris, & laborum, quàm Generalatus, & Regiminis vnicum Consultorem Comitem, & Socium sponte assumptus, & praelectus exstitit. Excipe igitur Reuerendiss. Domine prægrandis desiderij mei munus exiguum, meque tibi semper habe, toto ex corde deuinctum. Vale. Venetijs Kal. Ianuarij. 1649.*

Dominationis tuæ Perillustris. Excell. & Reu.

Seruus addictissimus perpetuus
Paulus Baleonius.

INDEX DECISIONVM.

19. An

103. An

155. An

230. An

328. An

423. An

481. An

Finis Indicis Decisionum.

DECISIONVM MISCELLANEARVM

R. P. FRANCISCI BORDONI.

DECISIO PRIMA.

Ad quosnam superiores spectat dimittere religiosos ad Ordines.

SPectat ad superiores regulares siue locales, siue prouinciales, vel generales, iuxta vniusc uiusque ordinis statuta; in meo ordine committitur id munus Prouincialibus, vt fit etiam reliquis Prouincialibus aliorum ordinũ; de iure communi id spectat ad superiores locales; ad Episcopum autem nullatenus spectat dimittere religiosos etiam in eius diœcesi habitantes, ad ordines.

1 Primum, quod spectet ad superiores regulares, probatur ex cap. Nullus 1. cap. Si quis 2. dist. 58. cap. Monachi 33. cap. Cum pro 34. cap. Monachi 35. 16. q. 1. cap. Quam sit 5. 18. q. 2. cap. Ad aures 5. de temp. ordin. cap. Cum nullus 3. cap. Nullus 4. eod. in 6. & id supponitur in Tridentino c. 10. sess. 23. Ratio est, quia licentiare, & dimittere ad ordines est actus iuris-

2 dictionis, qui non potest exerceri nisi per superiores erga suos subditos, ergo cum religiosi sint superiores aliorum suorum religiosorum, ad ipsos de iure pertinebit licentiare ad ordines suos subditos regulares. Ita docent omnes cum Nauar. cons. 36. de temp. ordin. non placet, quod in Additione subiungitur, id intelligendum esse, si prædicti religiosi habeant ad hoc priuilegium, aliàs enim ad Episcopum pertinet dare dimissorias, quando volunt ordinari ab alieno Episcopo; quia licet nullum haberent priuilegium, adhuc à suis superioribus tantum essent licentiandi, cum id de iure communi ad illos spectet ex probatis, vnde Clemens VIII. mandauit S. Congr. vt decretum ederet, quo statutũ fuit, vt superiores regulares dimittere possent suos subditos regulares ad Episcopum extraneum, quando diœcesanus abesset, vel non esset habiturus ordinationes, quod seruatur modo ab omnibus regularibus, & in eo decreto nullatenus deponitur, vt religiosi ordinandi debeant ab Episcopo, in cuius diœcesi de familia morantur, recipere literas dimissoriales, quare neq; ad id cogendi sunt, sed sufficit, si Episcopo ordinaturo constet, Episcopum diœcesanum, vel abesse, vel ordinationes non tenere. Exemplum sit in no-

ſtro Epiſcopo Parmenſi, cuius abſentia ita notiſſima eſt, vt cōuicinis Epiſcopis nulla ſit neceſſaria fides huiuſmodi abſentiæ. Cum eodem Nauar. Rodr. to.1. q.18. art.5.cum ſuo compend.reſolut.106.nu.15.Mirand.to.1. q.39. art.3. loquuntur de Prouincialibus; Cæleſtinus ex noſtris in compend.Theolog.Moralis tract.8.cap.4. q.3. Diana part.1. tract.16. reſol.15. vbi ad verbum refert decretum, & Tambur. tom.2. diſp.2. q.18. Peyrin. ad conſtitut.2. Iulij II. num.23.

3 Secundum, quod ſpectet ad Prouincialem in ordinibus Franciſcanis, tradit Rodr. cit. tom.1. q.18. artic.5. Mirand.tom.1. q.39. art.3. In noſtris ſtatutis, quæ continent Regulam Nicol.IV. cap.23. Id tamen non eſt ex vi Regulæ, quia in Regulis tam primi Ordinis, quam tertij ſanctus Pater nihil ſtatuit de hac re, igitur eſt ius conſtitutionum, non Regulæ.

4 Tertium, quod iure communi ſpectet ad ſuperiores locales, Priores, & Guardianos licentiare ad ordines, probatur ex ſupradictis iuribus allegatis, quæ ſunt antiquiſsima ante inſtitutionem ordinum Mendicantium, à quorum tempore incæperunt ſuperiores Prouinciales, cum ante ſolum eſſent ſuperiores locales, de quibus loquuntur iura allegata, ergo de iure communi licentiare religioſos ad ordines ſpectat ad ſuperiores locales. Apud tamen Franciſcanos, vt dixi, hoc ius ſublatum fuit ſuperioribus localibus relictum maioribus ſuperioribus.

Sed dubitatur, an ſuperior localis mortuo Prouinciali poſſit concedere litteras dimiſſoriales ad recipiendos ordines etiam ad extraneum Epiſcopum, quando diœceſanus non eſſet habiturus ordinationes.

5 Reſp. Affirmatiue, Tum quia quælibet res facile reducitur ad ſuam priſtinam, & antiquam naturam, cap. Ab exordio, diſt.35. ex quo Papponius lib.1.conſil.1.nu.13.infert,exemptum non poſſe ſe ſubmittere extraneo Prælato ſine licentia Papæ,vtique ordinario aliàs ſuo poteſt ſe ſubijcere; ergo religioſus aliàs de iure communi quo ad litteras dimiſſorias ſubiectus ſuperiori locali, eidem ſe ſubmittere poteſt, mortuo Prouinciali. Tum quia reditio ad ius priſtinum, & antiquum eſt multū fauorabilis. Doctores ex citato cap. vnde lex correctoria reducens ad ius commune amplè interpretanda eſt, ex allegatis à Nauar. tom.4. de reſcript.except.21. in confutat.num.9. Tum quia neceſſitas facit licitum, quod aliàs eſt illicitum cap.4. de reg. iur.vnde neceſſitate factum non imputatur, cap. Ad limina 7. 30. q.1. neque neceſſitas legi ſubiecta eſt, l. Tutor ff. de admin.tutor. Si igitur moriatur Prouincialis,& interim antequam prouideatur de ſuperiore in eius locum,immineat tempus ordinationis, poterit Prior, ſeu Guardianus ſuum ſubditum dimittere ad ordines ſuſcipiendos, & in facti contingentia, dimiſſus fuit hoc anno 1644. Diaconus ad Sacerdotium per ſuperiorem localem, Sede Prouinciali vacante.

6 Quartum, quod ad Epiſcopum nō ſpectet dimittere religioſos etiam in ſua diœceſi de familia habitantes, probatur apertè per allegata iura, quæ prohibent, Epiſcopos ordinare Monachos ſine licentia ſuorum Abbatum, ergo de iure communi Epiſco-

scopi quo ad dimissorias nullum ius habent super regulares. Confirmatur id ex Tridentino cap.10. sess.23. illis verbis. *Nec ipsi Abbates,& alij exem-* 7
pti,aut collegia, vel capitula quæcumq; etiam Ecclesiarum cathedralium litteras dimissorias aliquibus clericis secularib. vt ab alijs ordinentur, concedant. Si non possunt concedere dimissorias clericis secularibus, ergo suis clericis regularibus illas dare possunt, valet enim argumentum a contrario sensu, glos. v.Intelligi, cap.Cum Apostolica 7. de ijs, quæ fiunt à Prælat.vocat fortissimum, & validissimum, Mascard. concl.1280. nu.65.M.Antonin.lib.1. resolut.1. num.4.in terminis sumit argumentum à contrario sensu Peyrin. ad constit. 2. Iulij II. num.23. licet clausula ab eo relata expressè loquatur de ordinibus conferendis, non autem de dimissorijs dandis. Et ita docent superius citati cum Diana par.2. tract.16. resolut.15. vbi refert in oppositum Henriq. & Filiuc. asserentes, regulares,aut ordines debere recipere ab Episcopo diœcesano, aut ab eo recipere dimissorias ad alium Episcopum,tum ex cap.8.sess.23.tum ex declaratione Gregorij XIII. Sed neutrum cogit, nam ex cap.8. prædicto, solum colligitur, vnumquemq; à proprio Episcopo esse ordinandum, qui respectu regularium est ille, in cuius 1
diœcesi religiosus habitat,quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei permittatur, nisi eius probitas, ac mores ordinarij sui testimonio cõmendentur, ex quib. verbis clarè colligitur nomine Ordinarij venire superiorem regularem respectu religiosorum, nam Tridentinum quando loquitur de collatione ordinum, vtitur verbo *Episcopus*,quando autem verba facit de dimittendo ordinando ad extraneum, vtitur nomine *Ordinarij*, quod extenditur ad quoscumque Prælatos etiam Episcopo inferiores, cap. Cum ab Ecclesiarum Prælatis de offic. ordin. glos. v. Regulares, cap. Ne pro defectu,de elect.Nauar.consil.36. de temp. ordinat. Ad declarationem Gregorij dico, illam non fuisse legitimam, sed subreptitiam, cum oppositum declarauerit, vt refert Rodriq. in suo Bullario ad finem Bullarum Gregorij XIII.

DECISIO SECVNDA.

An mulier ingressa monasterium,à quo in certo casu ad tempus religiosi omnes recesserunt cum spe redeundi violauerit clausuram?

MVlier hæc, quæ ausa fuit ingredi illud monasterium, violauit clausuram,ac proinde incurrit excommunicationem reseruatam Papæ, absolubilē tamen per aliquem confessarium regularem virtute priuilegiorum. Clericus vero, vel alius ad loci custodiam positus, qui non est religiosus illius monasterij, vt fertur, nullam incurrit censuram, peccauit tamen mortaliter.

Primum, quod illa mulier violauerit clausuram, probatur, quia si est aliqua ratio dubitandi, maximè quia per recessum omnium Fratrum Monasterium perdidit priuilegium clausuræ; sed hoc est falsum, quod suadetur. Tum quia recessus iste fuit illis licitus, & necessarius, ex ordine suorum superiorum, ergo non est retorquēdus in eorũ culpam,& incommo-

 dum.

dum. Tum quia recessus iste non fuit derelictio monasterij, quasi nolint amplius redire, sed ad tempus, quo transacto redire volunt ex iure, quod habent ad idem monasterium, ergo cum remaneat adhuc, & reuera sit locus religiosorum, retinet priuilegium suę clausurę; amitteret autem illam, si fieret locus Clericorum, aut sęcularium.
2 Tum quia monasterium adhuc retinet priuilegium immunitatis, ergo & clausurę. Tum quia sicut palatium Episcopale gaudet immunitate etiam absente Episcopo, quia non desinit esse suum per absentiam, ex Mario Italia Peregrin. Theat. de Immun. cap. 4. num. 70. ita monasterium non perdit priuilegium suę clausurę per absentiam, & recessum legitimum Religiosorum. Tum quia sequeretur, quòd mulieres liberè possent monasterium ingredi sine violatione clausurę, quando omnes Fratres sunt extra conuentum, vt accidit, quando ianuis clausis omnes incedunt ad processionem, nullo relicto Religioso ad custodiam domus. Infertur ergo ex his dictam mulierem violasse clausuram, ac peccasse mortaliter, nisi bona fides, & simplicitas eam excuset putantem per recessum Fratrum sibi licere ingressum, ac proinde etiam ab excommunicatione, vt dicam mox.

3 Secundum, quod inciderit in excõmunicationem Papę reseruatam, constat ex Bulla Pij V. incip. *Regularium personarum.* extensa apud Confect. pag. 214. Rodr. tom. 1. q. 48. art. 1. quam, quia expressè loquebatur de ingredientibus, & admittentibus prętextu licentiarum, declarauit idem Pontifex in alia incip. *Decet Romanum.* apud dictum Confect. pag. 218. Comprehendere mulieres ingredientes quovis pretextu, & fine. Vt autem mulier eam pœnam incurrat, requiritur prąsumptio, hoc est, temeritas, & dolus, quare bona fides, simplicitas, & ignorantia licet crassa, quę non sit temeritas excusauit forsan dictam mulierem, vt docet Peirin. in terminis ad constit. 6. Iulij II. q. 5. num. 16. vbi num. antecedenti addit aliam excommunicationem inflictam mulieribus audentibus ingredi prętextu licentiarum. Bullam autem hanc Greg. XIII. incip. *Vbi gratia.* extendit Confect. pag. 237. sed non facit ad casum nostrum.

4 Tertium, quòd dicta mulier absolui possit per Confessarium regularem, docet *Sanch. lib. 6. cap. 15. num. 76.* non solùm, quando casus est occultus, vt ibi probat, sed etiam quando deductus est ad forum externum cap. 17. num. 43. quem citat pro se Peirin. ad constitut. 6. Iulij II. q. 6. num. 21. Id autem ego probo per priuilegia subsequentium Pontificũ, nã Gregor. XIII. in sua incip. *Ex benigna Sedis.* ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmauit priuilegia suorum prędecessorum, inter quę aliqua concedebant absolutionem á quibuscumq; censuris Sedi Apostolicę reseruatis, a me relata tomo primo Resolut. 6. quę si fuissent cassata per dictã Bullam Pij V. reuixerunt per prąsentem confirmantem priuilegia in forma specifica per illas clausulas; *Ex certa scientia; & de plenitudine potestatis.* quę priuilegium nullum, seu reuocatum reualidant, & restituunt, vt probaui Resolut. 52. nu. 64. vnde in clausula; *Non obstantibus*, &c. exprimit non obstare litteras diuersorum Pontificum, & in specie Pij V. Bullam autem hanc Confirmationis

tionis priuilegiorum extendit Confect.pag.247. Rodriq. Bulla prima sui Bullarij. Eodem tenore confirmauit priuilegia tribus ordinibus Franciscanis Sixtus V. vt fecerat Gregorius, Bulla incip. *Et si Mendicantium* apud Confect. pag.267. Rodriq. Bulla 14. Idem præstitit Clem.VIII. incip. *Ratio pastoralis*, apud Confect. pag.286. Rodriq. Bulla 1. & alij subsequentes. Ex his ergo infertur virtute prædictorum priuilegiorum sublatam fuisse reseruationis prohibitionem factam per Pium V. dum eam censuram sibi reseruauerat.

5 Episcopum autem ab ea excommunicatione posse absoluere, si sit occulta virtute Tridentini docent præcitati Sanchez lib.6. cap.15. num.76. Peirin. ad constitut.6. Iulij II. numer.21.

6 Quartum, quod Presbyter relictus custodiæ Monasterij, siue quilibet alius non Religiosus eius ordinis immunis sit à suspensione à diuinis, & priuatione officiorum, & inhabilitate ad ea, quas incurrunt Religiosi, siue Superiores, siue subditi præsumentes inducere fœminas intra sua claustra, iuxta dictam Bullam Pij V. probatur, quia ea Bulla, & altera illius declaratiua loquuntur tantum de Religiosis præsumentibus introducere, & nullũ est verbum in illis de Clericis, & Laicis Secularibus, ergo illi non comprehenduntur, quia constitutio non aptatur illis, quibus nec verba conueniunt, ex cap. Indemnitatibus 43. §. fin. de elect. in 6. Nauar. consil.6. de statu mon.num.2. Confirmatur ex ijs, quæ dixi Resolut.76.num.43.vbi probaui excusari à pœnis Religiosum introducentem mulierem in alienum claustrum, cum non dicatur illam introducere in suum Monasterium.

DECISIO TERTIA.

Quonam die hebdomadæ, & mensis Septembris Stigmatizatus fuerit S. Pater Franciscus.

ACcidit hoc grande mysterium decimatertia die Veneris mane Septembris; vt colligitur, ex Legenda S. Bonauenturæ, ab Ecclesia approbata, à Christi fidelibus recitanda in festo Stygmatum illis verbis. *Quodam mane circa festum Exaltationis Sanctæ Crucis.* Nam verbum illud, *Circa*, significat prope dictum festum, ac proinde rationabilius die præcedenti, vt Sanctus Pater die sequenti illis Sacris signis illustratus posset sanctius, & deuotius meditari passionem Christi suis membris impressam. Quod autem eo anno 1224. bissextili die decimatertia fuerit Veneris, bene colligitur ex duplici littera Dominicali G.F. dierum hebdomadæ regulatiua, quarum prior fuit in vsu vsque ad diem S. Matthiæ, posterior vero pro reliqua parte illius anni, quæ F. præfigitur diei decimoquinto Septembris, ac proinde ascendendo die 14. fuit Sabbatum, die 13. fuit Veneris, & hoc patet ex vera calculatione litterarum Dominicaliũ in meo opusculo de Numeris Ecclesiasticis ab ortu Christi vsq; ad nostra tempora, quamprimum in lucem edendo typis Venetis. Quod confirmatur ex morte eius anno 1226. die tertia Sabbati in sero Octobris, quo anno littera Dominicalis D. currebat affixa diei quarto Octobris, quæ littera D. affigitur diei

diei 13. Septembris eodem anno indicans illum diem Dominicum, anno vero 1225. littera Dominicalis erat E. affixa diei 14. Septembr. & ann. 1224. Sacrorum Stygmatũ bissextili currebant G.F. & hæc secunda, quæ erat in vsu, vt dixi, præscribitur diei 15. Septembris dominicæ, & sic ascendendo, dies 13. fuit Veneris.

Hæc dixi, ad insinuandum errorem expressum à patre Saluatore Vitali celeberrimo Concionatore Minor. de obseruantia in suo Floreto Aluernino pag. 204. in codice typis Florent. edito anno 1626. dum affirmat in festo S. Crucis 14. Septembris die Veneris 1224. recepisse Sacra illa signa ea ratione. *Porrò si anno 1226. festum Exaltationis fuit Dominico die; anno 1225. Sabbato; anno 1224. quo ipsa Sacra impressa sunt stygmata, liquidò constat fuisse die Veneris.* Patet error, quia supponit anno 1226. accidisse diem Dominicum in festo Exaltationis S. Crucis, quod tamen verum non est ex dictis superius, quia persistendo in eius Superiori ratione de sepultura Sancti Francisci die Dominico 4. Octobris, cui affigitur littera D. eo anno Dominicalis, cum hæc non præponatur in Calendario diei 14. Septembr. vt videre est in Breuiario, sed diei 13. hæc fuit Dominica, & 14. dies Lunæ, & non Dominica, ex quo corruit tota fabrica destructo fundamento. Præuidit difficultatem ex duplici littera G. F. bissextili, & non soluit, quia non poterat, ideò malè vsus fuit priori littera, loco posterioris.

Quod hoc mysterium non acciderit die decimaquarta, colligitur ex supradictis, quia Historia diei 4. Octobris in Breuiario Romano corrigitur per aliam S. Bonauenturæ, vt quæ posterius approbata fuit ex mandato Pauli V. qui Officium Sacrorum Stygmatum omnibus Christi fidelibus obtulit recitandum. Cur non celebratur die suo? quia impeditur diebus octauæ B.V. M. aut Exaltationis Sanctæ Crucis, ideo ponitur die 17. vacante alijs Festis.

DECISIO QVARTA.

An Pasqualigi opinio sub Decisione 280. subsistat.

Iste Pater eruditissimus alioqui ea decisione sustinet, votum de audiendis consilijs Generalis per professos Societatis Iesu, quando erunt promoti ad prælaturam extra Religionem, si valeret (esse siquidem inualidum probauit præcedenti decisione, & huius suæ opinionis, vt audio, & experior, plures habet sectatores) non obligare Episcopos ex eadem Societate assumptos.

Probat multis, quæ ad sequentes rationes restringuntur, & quia est votum Regulæ, & ideò cessat in Episcopo; & hoc votum sequitur regulam, nec trahitur, nisi ipsa trahatur; & nec intentio vouentis extendit Religionis intentionem, quæ non potest obligare, nisi subditos; & si hoc votum obligaret Episcopos, Societas imponeret onus non subditis, quare cum Episcopus post egressum nullatenus sit subditus Religioni, hoc voto non tenetur, licet aliàs validum esset.

Ego firmiter puto, quod hoc votum, supposita eius validitate, obligat Episcopos, & alios Prælatos, quod hac sola ratione probo; quia ad positio-

tionem voti validi necessariò sequitur obligatio exequendi illud, & hoc est certissimum, ac de fide ex pluribus Sacræ Scripturæ locis Psalm. 75. 12. *Vouete, & reddite.* Eccles. 5. 3. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim illi infidelis, & stulta promissio*, Sanch. lib. 4. cap. 11. q. 2. num. 13. Sed hoc votũ ex suppositione valoris computatur inter valida, ergo in hoc sensu necessariò obligat professum Societatis, quo ad bonam voluntatem, dum manet in Societate, & quo ad exequutionem, quando est Episcopus, argumentum est efficax, & concludens, ergo necessariò ita tenendum.

Ad rationes Pasqualigi, quę eo referuntur, vt cesset votũ per translationẽ ad Episcopatum, quia est Regulæ, seu constitutionum, à quibus absoluitur per assumptionem ad prælaturam sæcularem per cap. 1. 18. q. 1. dico, votum hoc multum ab alijs differre, nam alia vota, quæ apud religiones emittuntur suum sortiuntur effectum exequutionis, dum vouentes manent in religione, & ideo mirum non est, si eorum obligatio cessat in translatis, vt docent Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 15. ipse Pasqual. decis. 266. At hoc speciale votum 1 emittitur obseruandum, & exequendum solummodo extra societatem, ergo ex suppositione, quod sit validum, non potest dici, ipsum cessare per trãslationem ad Episcopatum, vel aliam maiorem dignitatem, cum solum pro eo tempore possit habere effectum suæ obligationis, consequenter tunc actu obseruandum est, aliter sequitur absurdum, dari votum validũ, & tempore, quo obseruandum est, non obligare, & nihilominus ex dictis votum validum necessariam inducit obligationem, & obseruantiam. Illud præterea votum, quod validum supponitur, & non obseruatur, cum tempus est, & potest obseruari, vanum est, & stulta promissio, si non habet obligationem, quæ ex ipso sequitur, sicut calor ex igne, & madefactio ex pluuia.

Nota lector, me in ea decisione nihil agere contra votum hoc in Societate emissum, sed in suo statu illud sino.

DECISIO QVINTA.

An Regulares virtute Priuilegiorum possint absoluere suos subditos à Casibus Bullæ Cænæ.

Negatiuã partem docui resolu. 3. num. 4. & postea resolut. 128. idẽ pluribus rationibus confirmaui q. 1. 5. & 14. & sic satisfeci menti Patris Sanctori Messienfis, qui in suis Commentarijs Moralibus cap. 2. statuto 14. asserit, me id nulla ratione probasse, sed ieiunis quibusdam responsionib. rem me confecisse arbitrari, sed Pater sequentes, licet debiles, dignetur audire, & emendare, quibus impugno eius rationes, quarum.

Prima est, ex reg. 16. in 6. decet concessum à Principe priuilegium esse mansurum, & quod semel placuit, amplius displicere non debet, quod intelligitur de priuilegio nõ solùm ex contractu, sed etiam ex remuneratione, esto sola gratitudinis lege remuneratio deberetur, vnde infert Sanch. lib. 8. disp. 23. num. 4. non posse Principem sine causa reuocare tale priuilegium, quia censetur per modum contractus concessum. Priuilegia autem Mendicantium eisdem concessa sunt in remunerationem meritorum, in obsequium

quium Ecclesiæ, & animarum impensarum, ex quibus infert, quod quamvis Summi Pontifices possint illa reuocare, quia Domini sunt, non ideo tamen faciles sunt, nec fuerunt ad illa reuocanda, neque reuocatio conijcienda est ex leuibus iudicijs, sed ex claris, & expressis sanctionibus, quibus ex regulis canonicis nihil opponi possit.

2 Illa duo axiomata vera sunt, & limitantur, seu explicantur non remanere, & displicere, legitima superueniente causa reuocationis, quando beneficium est ex contractu, seu remuneratorium, cap. Suggestum 9. de decim. ibidem glos. & in dictis regulis. Expressa autem reuocatio priuilegiorum absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ Domini in singulis huiusmodi Bullis clarè habetur ibi. *Cæterum à prædictis sententijs*, &c. Item illis verbis. *Non obstantibus priuilegijs ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis*, &c. Vide q. 14. citatæ resolut. 128.

Secunda est, quia Pontifices quotidie confirmant priuilegia regularium, vt notum est, ergo non intendunt illa reuocare per publicationem Bullæ, alias talis confirmatio frustratoria, & illusoria esset, si post quinque dies illa reuocare intendisset.

3 Respondeo per confirmationem nouam priuilegiorum etiã cum clausulis amplissimis, *ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis*, &c. non reuocari Bullam Cœnæ Domini, quæ prohibuit absolutionem à suis casibus etiam per regulares dandam suis subditis, nisi in priuilegijs confirmatis fiat expressa mentio, & indiuidua Bullæ Cœnæ Domini, aut exprimuntur ipsi casus Bullæ in indiuiduo, aut saltem in specie, seu genere; sed in confirmationib. priuilegiorum regularium nulla fit mentio derogatiua Bullæ Cœnæ, neque in illis conceditur specialis facultas absoluendi ab illis, saltem nostris temporibus; immo probaui dicta resolut. 128. q. 5. non inueniri huiusmodi speciale priuilegium concedens absolutionem à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, & oppositum colligitur ex Bullis Pontificijs, dum in illis conceditur facultas absoluendi, & dispensandi in quibuscumque casibus, præterquam illis, pro quibus Religiosi essent mittendi ad Sedem Apostolicam, vt hanc clausulam expressit Sixtus IV. in suo Marimagno, sed Sedes Apostolica maximè propter casus Bullæ Cœnæ est consulenda, ergo illius casus non censentur concessi. Quod Bullæ non derogetur sine expressa illius mentione, constat ex eo, tum quia priuilegia intelliguntur concessa secundum ius commune, cap. Ex parte, de verb. signif. Rodr. cum suo compend. resolut. 90. num. 49. §. Vltima, Modit. §. Principum placita dubit. 212. num. 7. ergo illi non intelliguntur derogare sine expressa mentione. Tum quia Bulla Cœnæ Domini, præstantior, excellentior, & magis necessaria, quàm priuilegia regularium; sed istis non derogatur, nisi per specialem mentionem, ergo à fortiori, neque illi. Tum quia Bulla Cœnæ est magis radicata, & firmata in suo esse, quàm sint priuilegia regularium, si quidem antiquitus hæc amplissima erant, & vniuersalissima, vnde & dicebantur Mare magnũ, nostris verò temporibus restricta fuerunt, & redacta in exiguum flumen, vt ita dicam; ergo maior expressio videtur necessaria in derogando Bullæ, quam

quam ipsis priuilegijs, consequenter hæc illi derogare non valent, sine expressa, & indiuidua mentione eiusdem Bullæ. Tum quia habentia speciale, & elegans nomen, cuiusmodi habet Bulla Cœnæ Domini, non veniunt sub generali reuocatione, sed specialem, & indiuiduam postulant, cap. De multa, de præbend. cap. fin. de off. deleg. in 6. cap. Ne aliqui, de priuil. in 6. Hoc idem probaui dicta resolut. 128. Ita Bonac. ad Bullam q. 22. p. 2. num. 8.

4 Confirmatur, quia Bulla derogat priuilegijs etiam concedendis, vt probaui dicta resolut. 128. q. 14. Ex quo colligitur priuilegia a Sanctoro allegata, & alia quæ regularibus confirmantur per recentiores Pontifices Paulum V. Gregorium XV. & bonæ memoriæ Vrbanum VIII. nullius esse momenti respectu Bullæ Cœnæ Domini, eo quod confirmantur cum ea clausula; *Dummodo sub alijs reuocationibus non comprehendantur*.

Tertia est, quia per Bullam Cœnæ non reuocantur facultates concessæ à Tridentino Episcopis, per Cruciatam fidelibus, per Bullas Inquisitoribus; ergo nec Regularibus; consequentia est clara, quia eadem auctoritas concedens, eædem causæ impulsiuæ, salus scilicet animarum, & ne Religiosis detur occasio vagandi, antecedens probat auctoritate grauissimorum, doctissimorum, & Sanctissimorum scriptorum.

5 Facultatem concessam Episcopis in Tridentino esse sublatam eisdem, docent plusquam quadraginta Doctores citati à Barbosa ad c. 6. sess. 24. num. 66. non impares in grauitate, doctrina, aut Sanctitate, illa enim clausula, *Cuiusuis Concilij*, comprehendit etiam Tridentinum, de quo non est necessaria indiuidua mentio, sed illi derogatur per clausulam generalem, vt pluries decisum fuit, referente Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. num. 25. Barbosa ad sess. 1. plures ad hoc citat Doctores, Bonac. ad Bullam qu. 22. p. 2. num. 3.

6 Cruciatæ non derogatur per Bullam Cœnæ, vt in ea expresse dicitur, & ob rationes adductas per doctores apud Dianam par. 4. tract. 4. resol. 18. Habet enim quædam specialia, quæ non insunt priuilegijs regularium, & Tridentini.

Inquisitores absoluunt occasione data, quatenus sunt Iudices fori externi, & non aliter, vt probaui dicta resol. 128. q. 13.

Quarta, Iulius II. in sua Bulla incip. *Exponi nobis*, aperte dicit. *Decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licitè possint, perpetuis temporibus absoluere, & dispensare in omnibus, & singulis, ac si prædicta Bulla Cœnæ Domini non esset facta, nec fieret.* Hanc Bullam extendunt Confection. pag. 121. & Peyrin. Bulla 14. Iulij. Argumentum est quidem efficax, si respiciamus tempora illa antiqua, sed quoniam modo priuilegia confirmãtur cum certis clausulis limitatiuis, ideo nunc nullius est momenti illa declaratio sublata per præsentes Bullas Cœnæ, neq; enim Iulius secundus potuit ligare manus suorum successorum, quia par in parem non habet imperium ex vulgatis iuribus. Neque verum est, clausulam. *Nisi in eis etiam casus presentib. litteris expressi comprehendantur.* Sublatam post Clem. VIII

& antiquitus aberat à Bullis, forsan appositam tempore Iulij II. subintelligi, 7 eò quòd idem sit iudicium taciti, & expressi; atq; adeo apponebatur, non vt necessaria, sed ad maiorem declarationem. Falsum, inquam, est subintelligi, quia non est clausula intrinseca, sed extrinseca, quæ non subintelligitur nisi exprimatur, glos. v. conditio cap. 2. de refer. & cap. 4. de elect. & in prohibitis tacitum idem nõ operatur, quod expressum, Castr. consil. 259. lib. 2. Craueta cons. 200. nu. 7. & 8. vnde ea clausula non tã apponebatur ad maiorem claritatem, quam ex necessitate.

Quinta est, quia prohibetur absolui sub prætextu priuilegiorum, prætextus autẽ est color, quo quis se moueri ad operandum simulat; regulares autem non prætextu, sed vera facultate absoluunt.

Hoc argumentum nihil probat, cũ supponat vigere ex priuilegijs facultatem absoluendi à casibus Bullæ, quæ reuera sublata sunt, ac proinde prætextus ille suum habet effectum coloris, & velaminis, quibus Prelati regulares absoluunt prætextu priuilegiorum, & facultatum, quibus reuera carent. Prętextus ergo, de quo in Bullis Pontificijs arguit reuocationem priuilegiorum factam, quorum prætextu, velamine, simulatione, fumo, atq; colore, ac si existerent, cum non ampliùs sint, putant errore ducti, se posse absoluere. Miror, hunc Patrem reuocare in dubium Decreta Sacræ Congreg. de non absoluendo à casibus Bullæ Cœnæ Domini, cum sint condita de mandato Sanctissimi, quod idem est, ac si edita fuissent ab ipso Papa, & omnes Doctores post Clementem VIII. amplexati sunt tamquam vera, subsistentia, & Papalia, vt nefas sit de illis dubitare. Subdit Pater Sanctorus Decretum S. C. nihil noui addidisse in odium suæ conclusionis, quinimmo declarasse mentem Summi Pontificis non fuisse, nec esse tollere priuilegia specialia, in quibus casus Bullæ conceduntur. Sed audi verba Decreti, quod extendit Tambur. tom. 2. disp. 14. q. 15. ad rem nostram. *Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus. Ac proindè Regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum huiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis.* Res ita clara est, & quæstio decisa, vt nullus remaneat locus coniecturis, &c.

Infertur ergo ex dictis, superiores regulares in nullo casu Bullę Cœnæ posse modò absoluere suos subditos, & ita docent duodecim Doctores, quos citat, & sequitur Tambur. tom. 2. disp. 14. q. 15. num. 3. tenet cum Afflicto, & Pasqualigo Diana resolut. 10. de regul. vbi citat etiam Peregrinum.

DECISIO SEXTA.

An Nouitius validè confiteatur alteri à suo Magistro?

SAnctorus, contra quem egi præcedenti decisione, asserit, nullam esse confessionem, cap. 6. statuto 7. q. 10. con-

contra me afferentem Resolut.4.num. 11. valere factam alij religioso præter Magistrum habenti facultatem excipiendi indistinctè confessionesFratrū, eo quod Ordinationes pro Nouitijs non obligant illos sub culpa, quod tamen ipse ait esse falsum, & patere tum ex §. 1. quo ad receptionem iuxta formam Sixti V. tum ex 2. vbi de ætate, & litteratura; tum de qualitatibus exquirendis; tum ex qualitatibus Magistri, & alijs, ex quibus infert obligare illas sub mortali. Tum quia alij Confessarij delegatam facultatem super nouitios non habent, quia id prohibetur per decreta Clementis, & statuta ordinum, & alia adiungit, quæ non vrgent, præter dicta.

Quibus respondetur, valere Confessionem factam alteri Sacerdoti Cōfessario indistinctè deputato pro Fratribus, quia decretum ClementisVIII. consilium est, respectiuè ad Fratres, non præceptum, & ideo non obligat ad mortale, & quia non continet verba præceptiua; & quia pœnæ appositę
1 superioribus sunt tantùm comminatoriæ, quod nō arguit peccatum mortale, Caiet. & Castr. apud Nauar. cap. 23. num. 53. ex illis Megal. consil. 6. fine; & quia licet aliàs obligarent superiores ad culpam, non tamen nouitios, qui nullam culpam incurrunt, si omittant ea spiritualia exercitia confessionis, orationis mentalis, & similia, quæ illis ibidem præscribuntur, si alloquantur sæculares, religiosos, &c. huiusmodi enim decreta respectu illorū
2 sunt consultiua, exhortatoria, & dispositiua ad regularem disciplinam, ad quam sicut non tenentur, vt professi, vt omnes fatentur, ita neq; ad illius media, quæ sunt illa decreta. Ergo ex hoc capite Instit. Clem. VIII. non prohibentur Confessarij regulares excipere confessiones Nouitiorum.

Quare obiectionis Sanctori facilis est responsio, dicendo ea, quę adducit, locum habere respectu Bullæ Sixti V. & Tridentini, non respectu ipsarum institutionum nouitiorum, & in ordine ad ipsos, vt probatum fuit, prætérquamquod statuta ordinum, immo, & ipsorum Minorum non obligant ad culpam ex se, ipse Sanctorus cap. 12. statuto 12. q. 1. Possunt igitur nouitij confiteri quibuscumq; Confessarijs sui Ordinis deputatis indistinctè ad Confessiones Fratrum.

DECISIO SEPTIMA.

An Religiosi cum recipiunt aliquem conuentum, incipiendo inibi habitare, statim fiat Clausura sine aliquo facto Superioris?

Clausura non censetur esse legalis, nisi eam ponat, seu declaret superior per aliquem actū positiuum, quod probatur ex constitut. incip. *Ad Statum*. Eugen. IV. aqud Confect. pag. 35. in qua Generali Minorum pręcipitur, vt Monasteria Monialium ponat sub debita clausura, ergo clausura non subintelligitur, sed per actum superioris ponenda est. Eius autem positio spectat ad maiores Generalem, aut Prouincialem, vt docui Resolut. 76. num. 87. & 88. non ad localem, vt bene docet vtrumque Sanct. cap. 11. statuto 5. §. Sed hic emergit, qui infra §. An introductam semel clausuram possit superior auferre? Respondit sic, ex causa, puta, si conuentus rueret, vel in horto aliquid agendum esset, quod

per mulieres esset præstandum. Vnde Remigius Scrofa Dominicanus in suis Solutionib. Moralibus in Addit. ad q.5. concludit superiorem posse dare licentiam mulieribus ingrediendi Monasterium, vt portēt sicut baiuli onera, quod officium baiulandi a solis mulieribus, ait ipse, Iustinopoli solet exerceri.

DECISIO OCTAVA.

An Regulares conuocati ab Episcopo ad emittendum votum publicum cum Communitate, debeant accedere, & vouere?

PArtem affirmatiuam docui Resolut.18.num.14. quam impugnat Pasqualigus de Ieiunio decis.192. Primo, quia nemo potest obligari ad vouendum, cum votum importet obligationem omnino voluntariam, & si possent obligari, non à communitate, neq; ab ordinario, cui non subijciuntur. Respondeo, neminem posse obligari ad vouendum, quando sermo est de voto priuato, non autem publico, & communitatis, quia vt partes communitatis cum alijs se conformare debent, vnde huiusmodi obligatio oritur ex conformitate partium cum toto corpore communitatis, non ex eo, quod in hoc casu regularis subijciatur Episcopo, sicut nec Ecclesiasticus subijcitur legi ciuili, & eius legislatori, dum taxam de prætio frumenti, & aliarum rerum constitutam seruare tenetur, non ex obedientia legali, sed ex debito iustitiæ, quæ vt lex naturæ omnes constringit, vt de communi Theologorum docet Becanus de lege hum.q.11.

Secundò probat, quia concurrente communitate aliqua Regularium ad vouendum, potest particularis renuere, quia non tenetur vouere. Addit, quod aduocati ad communicandum in voto non possunt accedere, quia id esset contrahere nouam obligationem non solum pro seipsis, sed etiam pro successoribus per modum legis, aut statuti; quod facere non possunt, quia statuta, aut leges condere est in potestate solius Capituli Generalis, vnde accedendo accederent ad sibi illicitum. Respondeo, particularem non posse renuere, quia debet se conformare alijs membris, & suo capiti, qui est illius superior excitans illum ad benè agendum cum alijs. Ad id quod additur, dico, quod etiam capitula Prouincialia statuta edere possunt, vt alibi probaui, præterea occurritur dubio, dicendo cum Sanch. lib.4. cap.15.num.19. id non esse legem, aut statutum, sed pactum, quod non prohibetur Superioribus localibus, qui cum suis subditis in dies seipsos, & successores obligant etiam quo ad temporalia, a fortiori quo ad spiritualia, quæ ad salutem animarum conducunt, vndè non dicuntur obligari ad illicitum. Ex his patet ad sequentia ab eodem Pasqualigo dicta, non enim tantum sunt pars communitatis participatiuè quo ad fauores, sed etiam quo ad onera, siquidem tenentur festis indictis ab Episcopo, & alijs, de quibus capite 12. sess.25. Quod si regulares non vocentur ad vouendum, non tenentur, quia nullo modo in illud nuncupauerunt, ex quo pars communitatis tantum habitu, & materialiter dicentur. Limito, non posse vocari ad vouen-

dum,

dum, nisi ex causa publica, & communi etiam regulares tangente, vt causa pestilentiæ, famis, belli, &c.

DECISIO NONA.

An liceat Episcopo votum Deo vouere petendi, & audiendi consilia alterius?

NOn licet Episcopo votum audiendi alterius inferioris seu consilia in agendis proprijs, seu suæ Ecclesiæ negotijs, quod probatur, Tum quia prohibetur Episcopis cap. Nouit 4. de his, quæ fiunt à Prælatis, adhibere consilium extraneorum, & aliorum, quam suorum Canonicorum in negotijs suæ Ecclesiæ, illis verbis. *Vnde non decet, te ommissis membris aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotijs vti*, ergo si non decet voluntariè vti extraneis consilijs, multum minus ad hæc se obligare licebit. Tum quia Episcopus alios docere debet, & non doceri, cap. fin. de ætate, & ideo supponitur doctor, Epist. 1. ad Timot. 3. ergo non licet sibi alijs subijcere, vt edoceatur. Tum quia exequutio huius voti facilè potest inducere dissensionem inter Episcopum, & Canonicos, quos de iure in consiliarios adhibere debet, certum siquidem est, Canonicos melius cognoscere ea, quæ spectant ad bonum regimen Ecclesiæ Cathedralis, quã quilibet extraneus; ex quo solidum consilium non edoctus consiliarius ex voto assumptus porrigere non potest Episcopo, sicut poterunt Canonici, qui potiori ratione præsumuntur scire spectantia ad suum Capitulum, & regimẽ Ecclesiæ, cap. Veniens 38. de testibus ergo ex huiusmodi circumstãtia dissensionis, & perturbationis in clero votum hoc non potest subsistere. Tum quia hoc votum arguit in vouente subiectionem ad eum, à quo consilium petere, & audire ex voto promittit Episcopus, audire enim alterius consilia est illi se subijcere quo ad hanc specialem obedientiam, quod tamen non decet statum Episcopalem, quia Episcopalis dignitas est summa in Ecclesia Dei, cui Regum fulgor, & Principum diademata, tamquam auro plumbum, Cœlo terra, Spiritui caro, diuinis humana subduntur, inquit D. Ambros. de dignit. Sacerd. cap. 2. & 3. Est enim summum honorum, qui hominibus tribui possunt. S. Ignat. ad Smirn. & vocatur culmen dignitatum, & alijs prærogatiuis, cap. Quoties 1. q. 8. cap. Antiqua de priuileg. cap. Venerabilis, de præbend. Tum quia id colligitur ex D. August. relato in cap. Si habes 1. 24. qu. 3. illis verbis. *Senex enim à iuuene, & Episcopus tot annorum à collega ne dum anniculo paratus sum doceri*. Ecce, quod vir Sanctus seipsum considerat duobus modis, & vt Augustinus homo senex est, & priuatus præscindendo ab Episcopali dignitatè, & pro humilitate sua in eo sensu promptus erat senex discere à iuuene, & vt Episcopus, in quo sensu posteriore subiungit, se paratum esse edoceri non à quocumque, sed à collega etiam anniculo, idest ab alio Episcopo etiam nouitio, iudicans facere iniuriam dignitati Episcopali, si se supposuisset etiam voluntariè alicui inferiori, & sibi impari, id enim non est actus humilitatis, sed vilitatis, vnde cap. Quando 4. dist. 86. dicitur, quod quando nimium ser-

seruatur humilitas, frangitur auctoritas, vt ergo seruetur in suo splendore, non vqueat.

DECISIO DECIMA.

An comedere lacticinia in Quadragesima sit peccatum mortale?

AFfirmatiua sententia est communissima, quam tenent triginta quatuor Doctores, quos citat Pasqual.decis.71.de ieiunio, quibus adde Graff.prax.lib.2.cap.10.num.9.& 10. Portellum v. Ieiunium in Addit. nu.7. Compend. Rodr. resolut.75. num.13. qui citat Silu.Angel.& Tabien.v. Ieiunium, Hieronymum Politium Capuccinum in Regulam primam S.Francisci cap.3. num.59. Duraud. lib.4. dist. 15.q.9.num.7.Armilla num.1.Tamb. tom.2.disp.12.q.9. Catena de S. officio part.2.tit.15. dicit, comedentes in Quadragesima, & alijs diebus vetitis non solum carnes, sed etiam lacticinia esse suspectos de heresi, & Doctores citat. Est igitur tenenda hæc opinio de necessitate, cum opposita habeat plus improbabilitatis, quàm probabilitatis, & benè colligitur ex cap. Denique dist. 4. illis verbis. *Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoq; quæ sementinam trahunt originem carnis ieiunemus à lacte, caseo, & ouis.* *Par est*, hoc est, abstinentia à lacticinijs purificanda est cum abstinentia à carne, quæ sicut non comeditur in Quadragesima, ita neq; lacticinia sunt comedenda. Neque sustinenda est interpretatio glosæ. *Par est*, idest, *Æquum, & iustum*, in sensu consilij, cum possit applicari etiam ad sensum præcepti, & legis, de cuius essentia sunt iustitia, & æquitas. Confirmatur ex illo communi axiomate, quod consuetudo est optima legum interpres, cap. Cum dilectus 8. de consuet. vnde & altera lex dicitur, cap. consuetudo 5. dist. 1. & parem vim habet cum lege, l. De quibus ff.de legib. vnde licet allegata iuris dispositio non esset lex, quod negamus, introducta tamen consuetudo illam interpretatur pro lege, vt constat apud præcitatos, & hic in Italia comedere lacticinia in Quadragesima magnum scandalum est, & grauissimum peccatum in opinione omnium, quod sine dubio à superioribus, vt tale punitur.

Cum autem diebus Dominicis intra Quadragesimam prohibita sit de iure caro, vt colligitur ex illo cap. Deniq; dist.4. iuncta glos. v. Dominica .i. Carnis priuij, antiquitus enim in prima Dominica Quadragesimæ comedebant carnes, modò abstinent à carnibus, ac proinde etiam à lacticinijs, & ita firmiter tenendum, & ab omnibus obseruandum, quicquid nonnulli falsò, & temerariè dicant, pro quibus nihil facit cap. Quadragesima 15. dist. 5. illis verbis. *Quadragesima summa obseruantia obseruanda est, vt ieiuniũ in ea, præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt.* Vt enim manifestum est ex dictis verbis, sermo est de abstinentia à ieiunio, quod excluditur à diebus Dominicis, de abstinentia verò à carnibus, aut lacticinijs ne verbum quidem. Falsum item est, quod subiungunt non prohiberi carnes in Dominicis Quadragesimæ, qui ibi sermo est manifestus de abusu comedendi carnes prima Dominica, vt superius diximus, consequenter ex eo abusu non possunt inferre comestionem lactici-

nio-

niorum in aliis Dominicis, in quibus manifesta supponitur prohibitio carnium. Nec placet; quod subdunt allegatam consuetudinem a Doctoribus abstinendi à lacticinijs, non fuisse introductam animo obligandi, sed ex deuotione, & pietate populorum. Nam vnde habent abstinentiam a lacticinijs introductam fuisse ex deuotione tantùm, & non propriè ex consuetudine obligante, cum ex praxi, & communi consensu omnium ferè fidelium, transgressores incurrant peccatum mortale? ergo à posteriori infertur huiusmodi abstinentiam esse, vel à iure, vel à consuetudine propriè dicta introductam. Et ita decisum fuisse, nempe negatiuam esse temerariam, & scandalosam refert Pasqual. de Ieiun. Decis. 71. in Correctis. Vide infra decis. 65. vbi hæc consuetudo ex obligatione, & deuotione expenditur.

DECISIO XI.

An Abbas ad vitam locando possessionem Religioso suo subdito, qui ei ad hunc effectum exbursauit notabilem summam pecuniæ, violauerit Extrauag. & Decretum de rebus Ecclesiæ non alienandis.

Abbas nullas ex hoc incurrit pœnas, quia casus non comprehenditur sub extrauaganti, neq; proindè sub decreto, cum huiusmodi locatio non sit species alienationis, quatenus in illis prohibita, vt probatur; Tum quia extrauagans, *Ambitiosæ* loquitur tantùm de alienatione in Laicum, seu extraneum, ibi: *Profanis vsibus applicare*. Tum quia sicut alienatio non dicitur, quando transfertur de fratre in sororem, dicit enim l. Vnum ex familia §. 2. ff. de leg. 2. *Si testator prohibuit rem alienare, dando sorori non videtur alienare*. Ita neq; quando superior locat suo subdito, & hoc à fortiori, quia inter ipsos non est distinctio dominij, cum omnia adhuc sint sub proprietate eiusdem monasterij. Tum quia ex cap. Cum Apostolica 7. de ijs, quæ fiunt à Prælat. non dicitur alienatio, quando res detenta à Laico transit ad Ecclesiam, ergo neq; quando à superiore transfertur ad suum subditum, cum pœnes monasterium res adhuc remaneat. Tum quia alienatio ab vna Ecclesia ad aliam non comprehenditur sub dictis extrauaganti, & Decreto ex opinione Riccij decis. 38. & 74. contra Bonac. de alienat. p. 2. num. 14. quam opinionem probabilem vocat Peregrin. ex Theatin. in Compend. priuileg. v. Alienatio dub. 7. probabiliorem Tambur. tom. 3. disp. 13. q. 2. num. 19. vbi dicit alienationem ab vno conuentu ad alium eiusdem ordinis non esse prohibitam per extrauag. ergo multo minus in casu nostro. Tum quia lex non aptatur ad ea, quæ rarò accidunt, ex vulgatis iuribus, huiusmodi autem contractus inter Regulares rarissimè accidunt, cum ex alio iure prohibiti sint, nam cap. 2. sess. 25. de Regul. dicitur. *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam*. Casus igitur præsens prohibetur in Tridentino præcitato loco, ibidem tamen nulla exprimitur pœna contra Superiores concedentes, sed tantùm contra detinentes, qui de-

præ-

prehensi tenere, aut conuicti biennio priuati sunt voce actiua, & passiua, quę pœna incurritur solum per declarationem, & sententiam iudicis, vt cum S. Fausto lib. 8. Thesauri q. 198. num. 1. Sanch. lib. 7. cap. 20. num. 13. docui Resolut. 43. nu. 82. quibus adde Peyrin. de Subd. q. 2. cap. 2. §. 9. ad finem. Rescindendus autem omnino est huiusmodi contractus, cum sit contra dictum cap. Tridentini, & votum paupertatis, aliter tam Abbas, quam Religiosus conductor dicitur esse in peccato mortali.

DECISIO XII.

An pœnitens Confessario non restituente sibi ab eo commissum, liber sit à restitutione?

QVando Pœnitens deuenit in cognitionem, Confessarium non restituisse rem sibi commissam, sine dubio tenetur restituere. Probatur, Tum quia debitor non liberatur, nisi res perfectè fiat creditoris, l. Si rem meam 20. ff. de solut. maxime in casu hoc, in quo debitor est ex delicto. Tum quia in foro externo cogeretur ad restitutionem, ergo à fortiori in foro conscientiæ tenetur; vtriusque enim idem iudicium, quando abest falsa præsumptio, & aliter aliqua specialis ratio non vrgeat, ex cap. Vt animarum, de constit. in 6. Cap. Vn. de iure iur. in 6. cap. 1. de sepult. in 6. Tum quia debitum ex delicto perit debitori antequam perueniat ad creditorem, nam creditor aliquod pati non debet ex alterius delicto, & ex casu fortuito quis tenetur ex culpa, cap. Vn. de commod. Glos. v. Præuideri cap. fin. de homicid. Ita docent Nauar. cap. 17. num. 67. ex D. Anton. ex illis Lessius lib. 2. cap. 16. n. 65. quamplures alios citat Diana par. 1. tract. 17. resolut. 2. cui oppositum probabile videtur cum alijs ab eo citatis ea ratione, quia cum ipse non deberet cum infamia restituere, quantum in se est, fecit, quod potuit. Sed meo iudicio, vsus non fuit ea omni diligentia, quã poterat adhibere, petendo a confessario schedulam conscribendam à creditore de pecunia, vel alia re accepta, vt præcitati admonent, bonum esse, & cautum reddi pænitentem, si huiusmodi syngrapham requirat per Confessarium.

Dixi, *Quando pęnitens deuenit in cognitionem*, quia ante non tenetur, cum probabiliter ignoret hanc obligationem; immo dubitans de Confessario, sine vlla rationabili causa, vt quia nũquam audiuit, sibi retinuisse alienum, peccat grauiter, & iudicium committit temerarium, cum de nulla præsumendum sit delictum, nisi contrarium constet, fidelis igitur habendus est Confessarius, vnde Scotus, & Gabriel apud Sayr. lib. 10. tract. 5. cap. 9. nu. 3. dicunt, restitutionem factam per confessarium, etiamsi defecerit, liberare pœnitentem, quia satis credi debuit, quod per talem personam fideliter fiet. Igitur quamdiu pœnitens manet in bona fide, ad nihil tenetur, quod si audiat à fide dignis certo scientibus, Confessarium huiusmodi, cui restitutionem commisit, defecisse in restitutionibus, eo casu tenetur, aliter non.

DE-

DECISIO XIII.

An æstimatio patrimonij vltra rigorosum prætium sit iniusta?

Æstimator rogatus ab amico, vt duas domus æstimet vltra iustum prætium, nam ambæ hic, & nunc, omnibus consideratis, valent tantum rigoroso prætio libras sex mille, ad effectum vero constituendi super illas patrimonium Clerici in sacris initiandi, deberent vltra valere, etiam ducentum libras, ex quo ille æstimator quærit, an tuta conscientia in iudicio coram Episcopo cum iuramento asseuerare possit illas domos valere sex mille ducentum?

Dico posse, quia licet hoc prætium videatur iniustum, tamen tale non est respectu huius casus, in quo nullius læditur iustitia, & si enim ex alio capite iniustum esset, si accederet contractus venditionis, nihilominus in casu nostro præsenti iustum prętium est, quia Clericus ipse, cuius domus sunt, illas locando non maiores, aut minores fructus perciperet ex diuersitate prætij, quia in locandis domibus non attenditur æstimatio, sed concursus maior, vel minor conductorũ, qui multis ab hinc annis pauci sunt; neq; alteri domus vendere intendit, ex quo sequeretur lœsio iustitiæ, & damnum tertij. Confirmatur, quod hæc æstimatio non sit iniusta, quia iniustitia est lœsio iustitiæ commutatiuæ, aut distributiuæ, hic autem nullus lœditur, nam iustitia commutatiu.. pręcipit seruandam esse æqualitatem rerum inter contrahentes, in hoc autem casu nullus contrahit, sed Clericus de suis bonis procurat sibi assignari patrimonium; iustitia vero distributiua dicat, officia, beneficia, & præmia esse conferenda iuxta merita, & qualitates personarum; in casu autem nullius officij fit distributio, vt notum est, quare cum in hoc casu locum habere non possit iustitia ex conditione facti, nulla adesse potest prætij iniustitia.

Quod si dicas, Tridentinum loquẽs de Patrimonio ait, & de pensione. *Talia esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint.* Illud autem prętium, cui desunt ducentum, non videtur sufficere, cùm longè sit minùs taxa. Respondetur libras decem fructuum, ex ducentum ferè pro nihilo reputari, & huiusmodi modica leges non considerant; præterquamquod dici potest, vt supra, fructus non augeri, aut minui ex prætio taxato.

Maior difficultas est, quando Clericus aliam domum, nec bona habet, ex quibus sustentari possit, nam in hoc casu puto, non seruari mentem Tridentini, quia cùm egeat habitatione propriæ domus, illam locare non potest ad consequendos fructus, quibus se possit sustentare, ideo videat quid agat.

DECISIO XIV.

An pænę expressæ in Decretis de eiectis, & Apostatis afficiant, non solùm illorum transgressores, sed etiam violatores Decretorum Clementis VIII.?

1 Poenæ in Decretis de Eiectis, & Apostatis expressæ his verbis. *Si quis vero ipsorum aduersus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit,*

pserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; pœnaque huiusmodi sit Sanctitati suæ, & Sedi Apostolicæ reseruatæ, iisdem Superioribus etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta. Restringuntur ad transgressores huiusmodi decretorum de Eiectis, & Apostatis, & non extenduntur ad transgressores decretorum Clement. VIII. in his innouatorum. Probatur, Tum quia præfatæ pœnæ infliguntur contra facientes aduersus ea, quæ sunt præscripta in dictis decretis, vt clarum est, sed in illis non præscribuntur decreta Clementis VIII. cum alibi iam sint præscripta, sed tantum innouantur, sunt enim diuersa præscri-
2 bere, & innouare, nam verbum *Prescribere* ex proprietate suæ significationis importat definire, statuere, legem edere, & statuta; innouare verò significat legem antiquam renouare, & reducere in pristinum, gloss. v. Statuimus cap. Vt litigantes 5. de offi. ordin. in 6. quare cum decreta Clementis VIII. tantum innouentur, & non præscribantur, cum iam fuerint præscripta, non extenduntur ad has pœnas. Tum quia in decretis Clement. VIII. propriæ exprimuntur pęnæ contra Superiores non obseruantes, aut non procurantes, vt obseruentur a subditis, aut non facientes, quod in illis præscribitur, ergo nulla ratio suadet, sub prædictis pœnis contra transgressores decretorum de Eiectis, comprehendi violatores decretorum Clementis, ne contrà vulgata iura multiplicentur pœnæ, quæ de iure restringendæ sunt. Demum non solum innouantur decreta Clem. sed eius istorum pœnæ, ibi: *Vt illa exactè obseruent, atque, vt obseruentur, efficiant, sub pœnis statutis in eisdem decretis.*

Dices, sequitur ex dictis transgressores cap. fin. de regul. quo præcipitur, vt singulis annis eiecti, & apostatæ requirantur, prædictis pœnis minimè affici illos non requirentes, quia illud caput innouatur tantum, & non præscribitur. Respondeo illud caput non tantum innouari, verum etiam de nouo præscribi, cum statuatur recipiendos esse huiusmodi expulsos, si adsit euidens spes emendationis probandæ attestatione Ordinarij, quod in eo capite finali non præscribebatur. Nonnulli respondent, eas pęnas esse tantum contrà facientes, vel mo- 3
lientes aliquid aduersus ea decreta, ac proinde incurri solummodò per actionem positiuam, nō autem omissionis, qualis est non requirere eiectos, & apostatas, Ita refert Tambur. tom. 3. disp. 8. qu. 3. quos impugnat num. 9. quia, inquit, intentio S. C. videtur esse, vt puniantur Superiores præfata decreta non exequentes, seu non obseruantes ex illis verbis. *In supradictis decretis, & ordinationibus exequendis*, & infra: *Iniungit, seriòq; mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent*; Superior autem non reuocans eiectos, & fugitiuos non obseruat decretum Congregationis Concilij. Deinde probat, quia licet omissio non sit actio physica, est tamen moralis, qua positiuè vult non obseruare præceptum. Demum ait tolli omnem difficultatem, quia in præfato decreto infliguntur pœnæ transgressoribus iuxta formam

à Clem.

à Clem.VIII. præscriptam circa admittendos ad Religionem, in illa autem constitutione infliguntur pœnæ ijs, qui non obseruant, etiam si hoc contingat per puram omissionem. Hæ rationes nullam inducunt probabilitatem, non prima ex textu adducta, quia priora verba referuntur quidem ad obseruationem in ordine ad lectionem singulis annis. Posteriora vero loquuntur de decretis Clementis VIII. innouatis; & licet eiectos non reuocantes non dicantur obseruare illa decreta, non ideò tamen dicuntur propriè facere, aut moliri aliquid contra illa, ex quo pœnæ incurruntur, verba enim propriè accipienda sunt maximè in pœnalibus. Non secunda, quia licet omissio supponat actum positiuum volendi non reuocare, illæ pœnæ non incurruntur ex actu positiuo voluntatis, sed ex opere externo prohibito. Tertia demum ratio nihil prodest, quia illæ pœnæ in alijs decretis alijs verbis exprimuntur, per quæ comprehenditur omissio. Puto tamen transgressores horum decretorum, siue positiuè, siue omissiuè prædictis affici pœnis ex intentione legislatoris, quia videmus puniri dictis pœnis omittentes illorum lectionem singulis annis, & verbum moliri significare potest vtrum-
4 que commissionem, & omissionem.

Instabis, ex obliuione omittentes legere ea decreta non videntur facere, vel moliri præsumptiuè aduersus illa, quia præsumptio non contingit sine dolo, & temeritate, quæ arguunt
5 commissionem tantum. Verum in hoc casu dicerem illorum lectionem omittentem eas pœnas non incurrere etiam in foro externo, ob dictam rationem. Vtique verò, si constaret Superiorem admonitum nolle, vt legerentur, quia tunc temerarius diceretur spernens eam monitionem verbo, & facto.

DECISIO XV.

An angustia cuiuslibet loci sit causa legitima dispensandi super impedimentis Matrimonij?

VNa ex causis dispensandi super impedimentis matrimonij ratione consanguinitatis, aut affinitatis in tertio, & quarto gradu iuxta cap.5.sess.24. est loci angustia, quatenus in eo masculus sibi non consanguineam, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, inuenire nequit, & ideò hæc est sufficiens causa dispensandi, vt licitè, & validè contrahere valeant; alias vide apud Sanch. lib.8. disp.19. breuiter recenset Naldus v. Dispensatio nu.19. Barbosa ad præcitatum caput.

Causa prædicta intelligitur respectu loci insignis, vt docent omnes apud præcitatos cum Vega tom. 2. Summæ cap.34. casu 167. Nauar. cap. 22. ad finem, Graff. part 1. lib.2. cap. 81. fine, Sanch. lib.8. disp.19. num.12. Ratio est, quia si intelligeretur de quouis loco infimo, ignobili, & villa, sequeretur inconueniens, quod quamplura matrimonia contraherentur inter consanguineos; præterquam quod ratio distantiæ, quæ reperitur inter loca insignia, multum iustificat hanc causam, ex quo mulieres ægreferunt extra patriam nubere, & cum magna difficultate parentes relinquunt, quæ rationes locum non habent in locis

infimis, & villis circumuicinis, & ideo præsens causa respicit loca tantùm insignia. Paris autem conditionis dicuntur esse, non solùm ex æqualitate generis, aut diuitiarum, sed etiam ex pari ...

Locus insignis dicitur ciuitas, oppidum, & similia loca, in quibus ciuiliter viuitur cum personis peritis, vt colligitur ex cap. statutum 11. de rescr. in 6. ibi: *Vel locis insignibus, vbi possit commodè copia peritorum haberi*. Quantum autem ad præsentem casum, non puto requiri copiam peritorum actu, sed vnum, vel alterum, nam ea copia requiritur in eo capite, in ordine ad iudicia, & causas in ciuitatibus, & locis insignibus, in quibus huiusmodi causæ expediri non possunt sine peritis, doctoribus, aduocatis, notarijs, & procuratoribus. In ordine autem ad dispensationem matrimonialem ex angustia loci, sufficit, quòd locus sit, aut ciuitas, aut oppidum, vel alius locus vnitus, & populatus, in quo vrbanè, & ciuilitèr viuatur cum paucis peritis.

DECISIO XVI.

An census minori prætio emi possint, quam primo creati fuerunt?

CEnsus emi non possunt minori prætio, quàm primò constituti fuerunt, quando sunt liquidi, exigibiles, & manutenentur. Probatur ex Bulla Pij V. incipien. *Cum onus.* extenta apud Nauar. in Comment. de Vsur. sub num. 84. illis verbis. *Declarantes prætium semel censui constitutum nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad vltimo contrahentes minui, vel augeri*. Ratio est, quia iura census non sunt deteriorata, nec minoris sunt valoris in secunda emptione, quam in prima creationis, cum eadem iura remaneant inuariabilia ex ijsdem circumstantijs in vtraq; venditione, ergo iustum est, quod remaneat idem omnino prætium in vtroq; casu. Confirmatur; Tum quia ius exigendi hic Parmæ septem cum dimidio pro quolibet centenario semper est idem, respectu cuiuslibet emptoris, nam secundus emptor exigit septem cum dimidio pro quolibet centenario, sicut soluuntur primo emptori, ergo idem semper debet esse prætium. Tum quia prætium censuum est taxatum, & inuariabile, sicut & ius percipiendi fructus, ergo nulla ratione est minuendum.

Dixi, quando concurrunt ea tria, quod census sit liquidus, exigibilis, & manutenibilis, tunc enim ius manet inuariabile; census autem non dicitur liquidus, quando est dubius, & litigiosus, vt si fundus illius alijs sit obligatus, aut sub Iudice lis mota fuerit. Quando venditor morosus est, in solutionibus dicitur census difficilis exactionis. Item quando venditor non vult manutenere census, sed sua iura vendit talia, qualia sunt, tunc deteriora dicuntur iura census; & ideo in his casibus aliquid de prætio minui potest, iuxta æstimationem periculi, quod subiturus est emptor, & reuera experitur non leue, quia processu temporis fundi censuum probantur esse adulteri, & alieni, & anterioribus creditoribus obligati, & ideo si non manutenentur, licitum est emptoribus minoris illos emere. Vide Nauar. de Vsur. num.

num. 112. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 7. à num. 64. Dubius etiam censetur, si à communitate soluatur, quia quandoq; Principes ad illos longas admouent manus. Non damnarem ad restitutionem emptorem illum, cui non exigenti venditor liberè venderet censum minori prætio, quia volenti, & consentienti non fit iniuria.

DECISIO XVII.

Quomodo probatur copula inter consanguineos in ordine ad Matrimonium.

PEtrus petijt à Sede Apostolica dispensationem contrahendi matrimonium cum consanguinea sibi in quarto gradu, allegata causa, loci angustia non inueniri in eodem loco virum sibi non consanguineum paris conditionis, cui nubere possit. Re diligenter examinata Ordinarius inuenit locum, in quo oratores nati sunt, non esse insignem, iuxta dicta sub Decis. 15. ac proinde petitam dispensationem nullius esse virtutis, sed subreptitiam, & nullam. Quia autem ex animo cupit cum illa contrahere exponit Ordinario, se cum illa rem habuisse, ac proinde ex hac causa nouam procurat dispēsationem expressa causa, quod mulier infamata remaneret ex carnali copula, ac sine spe coniugij, & inde scandala orirentur, si consanguineo non nuberet. Communissima opinio est, dispensationem petitam, copula tacita, esse inualidam, & subreptitiam, vt multis allegatis refert Barbosa ad cap. 5. sess. 24. num. 17.

Difficultas igitur est, quomodo probanda sit copula, an nimirum sufficiat dictum vtriusq;, item Confessarij? An verò id probandum sit per vnicam, vel duas matronas in arte expertas?

Quamvis dictū ipsorum regularitèr sufficientèr probet, quia nullus in hac causa potest esse melior testis, quā ipsi complices; nihilominus quādo constat partes nimis affectare matrimonium, ex noua causa initio non adducta, neque expressa, dubitari potest per iudicem de falsitate causæ allegatæ precisè, vt inde sequatur matrimonium, maximè instante aliquo consanguineo partium, in quo casu copula probari non videtur sufficienter per ipsos consanguineos, quia sunt testes inefficaces, ac nulli in causa propria, affectandi Matrimonium, ideo prudenter se gerat, separatim partes interrogando cum iuramento, & si vacillent, illos dimittat. Neque per matronas probari potest fractura claustri, cum aliunde possit esse ea fractio. Dictum Confessarij in hoc casu nihil probat, cùm non interfuerit copulæ; nec per proprium dictum probat, sed per dictum pœnitentis, quod non sufficit, quia per seipsum probaret in propria causa, quod nulli permittitur, nec creditur.

DECISIO XVIII.

An Religiosus rem habens cum meretrice habitante intra claustra cum suo milite, inciderit in aliquas censuras?

QVamvis iste Religiosus peccauerit mortalitèr, non tamen aliquam incidit censuram, aut aliam penam iuris, quia pœnæ inflictæ in Bullis Pontificijs contra Religiosos clausu-

ram violantes, sunt contra eos, qui introducunt, seu admittunt, aut faciunt ingredi mulieres intra sua claustra, vt videre est in Bulla Pij V. incip. *Regularium personarum*, vbi Religiosi siue superiores, siue subditi præsumentes introducere, aut admittere illas, incurrunt ipso facto suspensionem à diuinis, cum priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa, & alia in futurum; nulla tamen exprimitur reseruatio; & licet Bulla loquatur de introductis prætextu licentiarum, tamen se postea declarauit in alia incipiente. *Decet Romanum*. Locutum fuisse etiam de illis mulieribus, quæ sine licentia introducuntur. Ex Bulla vero Gregorij XIII. incip. *Vbi gratiæ*, Religiosi admittentes, vel facientes ingredi mulieres intra sua claustra prætextu licentiarum, cum illæ sint reuocatæ ibidem, incurrunt excommunicationem, & priuationem officiorum cum inhabilitate, neutrum puto reseruatum, quia clausula reseruationis superius expressa contra mulieres, non repetitur contra Religiosos, quare, vt odiosa censetur omissa, & casus relictus dispositioni iuris communis, l. Commodissime ff. de liber. & posth. l. Si extraneus 6. de condit. causa data; ius autem commune cap. Nuper 29. de sent. excommun. disponit, quod quando conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi. Scio Sanch. lib. 6. cap. 16. nu. 83. cum alijs tenere esse reseruatam; & num. 84. à pœnis Gregorij excludit subditos, comprehendendo solum superiores. Prædicta inseruiant pro maiori; sed iste Religiosus mulierem militis non introduxit, neque admisit ex tenore Bullarum Pij V., neque (si est superior) admisit illam, aut fecit ingredi prætextu licentiarum, ergo nullas incurrit pœnas; probatur minor, quia mulier comitata fuit suum militem, cui à Ministris Principis designatum fuit hospitium intra claustra Religiosorum ægre ferentium militum hospitalitatem cum graui eorum in commodo. Neque introductam dicuntur Religiosi admittere, quia admittere est inuitare ad ingressum, & illum non impedire, quando ex officio incumbit impedire ingressum; sed Religiosi similem ingressum impedire non possunt, obstantibus Ministris militiæ. Certum igitur est, rem habentem cum muliere sic introducta, licet esset superior, non incurrere pœnam aliquam, nisi illam introducat in propriam cellam, & extra locum militibus deputatum, si locus adest separatus à loco, vbi Religiosi degunt.

DECISIO XIX.

An mulier cum suo milite hospitans intra claustra incurrat excommunicationem?

INcurrit excommunicationem reseruatam Bullæ Pij V. de qua in præcedenti sectione, Ratio est, quia Ministri Principis, neque ipse Princeps facultatem habet derogandi priuilegio clausuræ, vt notorium est, ergo mulier ingrediens violat clausuram, ac proinde incurrit excommunicationem. Confirmatur, quia non possunt militibus hospitium assignare claustra Religiosorum, id enim prohibuit

hibuit Pius V. Bulla incip. *Dum ad vberes*, apud Confect. pag.201. & sic respondit S. C. apud Dianam in calce part.5.num.13. Ergo si milites viri legitimè non hospitantur etiam ex imperio Principis intra claustra, multò minus mulieres, licet essent vxores legitimæ ipsorum militum; experientia enim constat, destrui, & labefactari disciplinam Regularem ex huiusmodi hospitalitate. Neque Principum intentio est, vt mulieres habitent intra claustra, vnde Ministri id negligentes, & loca profana non assignantes mulieribus, grauiter peccant; & in statu Ecclesiastico vidi Prælatos eijcere è claustris non solum mulieres, sed etiam milites, qui eas introduxerant ausu temerario. Ea autem mulier non incidit in excommunicationem latam in Bulla Gregorij, de qua in præcedenti decisione, quia ea incurritur prætextu licentiarum, quæ olim concessæ erant mulieribus per Prælatos illas concedere valentes; licentia autem Ministri, seu potiùs imperium, & assignatio facta non est licentia, de qua in Bulla Gregorij, vnicam ergo mulier incurrit excommunicationem. Ab ea absoluere potest Confessarius Regularis virtute priuilegiorum, vt alibi docui, quia licet Pius V. illam sibi reseruauerit, non ligauit tamen manus suis successoribus, quin potuerint confirmare; & innouare priuilegia absoluendi à reseruatis, vt fecerunt.

(∴)

DECISIO XX.

De quodam Legato debito Studenti Grammaticæ.

IVueni degenti in Seminario, & ibidem operam danti, quamuis leuiter Grammaticæ, debetur hoc sequens legatum à testatore conceptum his verbis. *Di più ordina esso testatore, &c. Si debano pagare scudi quattro il mese à ciascun figliolo, & discendente maschio di tutti li sopranominati, che vorrà studiare, & andar fuori in qualsiuoglia studio publico à studiar in qualsiuoglia professione, i quali scudi quattro debano hauere, mentre staranno fuori della Città di Modona in studio, & veramente studiaranno.*

Quamuis certum sit præfatum legatum deberi N. studenti verè in Seminario Parmensi, & propterea, id non egeat probatione, cap. De manifesta 17. 2.q.1. l. Si vero, §.1.ff. qui satisd. ac proinde locus non sit coniecturis, ex vulgatis iuribus, nihilominus id demonstrandum est nonnullis de hac re dubitantibus.

1 Primò, de mente expressa testatoris, quæ in omni eius dispositione attendenda est, Roland. à Valle lib.3. consil.30.nu.3. & consil.70.num.38. quia illa persona debet lucrari hoc legatum, quæ de dicta familia extra Mutinam manet in aliquo loco studij publici, & itidem verè studet; sed manifestum est, hunc iuuenem multis ab hinc annis habitare Parmæ, vbi viget studium publicum, & hic verè studet ex fide authẽtica sui Magistri exhibita, ergo debet lucrari legatum, quia conditiones adimplenit, conditioni-

2 bus namque purificatis debetur lega-

tum, l. Is, cui 41. de act. & obligat. l. Si ita scriptum 46. §. Si sub ff. de legat. & fideicom.

3 Secundò hoc legatum debetur etiã studenti Grammaticæ, de mente testatoris ex illis verbis, *A studiare in qual si voglia professione*, nam qui vtcumq; dat operam Grammaticæ, dicitur illius professionem facere, Cicer. Tuscul. ibi: *Vt si Grammaticam se professus quispiam barbarè loquatur*. Idem pro Archi. *In studijs humanitatis, & litterarum versati*. Occupatio enim in his studium dicitur, cap. Quia 4. de Magistr. Nec obstat, quòd leuitèr studeat, quia ætas iuuenilis spem præfert futuri profectus, præterquamquod sic studet, vt ignorans paulatim erudiatur, & discat; sicut enim Doctores legendo student, vt peritiores fiãt, l. 1. C. de excusat. art. Ita discipuli ignorantes litteris operam dant, vt addiscant, par enim est studium docendi, atq; discendi, l. 2. C. eod.

4

5 Tertiò, illa particula, *In qual si voglia professione*, latinè reddita, *Quacumque*, talem habet efficaciam, vt comprehendat sub dispositione, quæ aliàs non comprehenderentur, vt docent Doctores allegati à Barbosa dist. 317. num. 5. immò dispositio per illam trahitur etiam ad casus improprios, Tiraquel. de Retr. lignag. §. 1. glos. 7. num. 20. Abbas consil. 3. dub. 3. num. 2. Alex. lib. 6. consil. 7. Corneus lib. 1. consil. 16. Santar. q. 48. Variar. resolut. num. 29. Ita quod si incumbens ad Grammaticam alicui non videretur vocandus propriè studens, adhuc esset capax huius legati, quia testator vtitur talibus verbis generalibus, & amplissimis, *In qual si voglia professione*, vt constet euidentèr, eum voluisse sub suo legato comprehendere etiam studentes Grammaticæ, voluntas siquidem testatoris euidens quoque dicitur, quando ex coniecturis colligitur, l. licet imperator ff. de leg. 1. Abbas part. 2. consil. 68. Bariola consil. 14. Confirmatur ex illa particula, *Filiolo*, quorum est proprium studere inferioribus scientijs.

6

7

Quartò, prædictum legatum hactenus solutum fuit præfato Iuueni, nulla alia de ratione, nisi vt adimpleretur mens testatoris, quæ omnibus modis seruanda est, cap. Vltima 4. 13. q. 2. cap. Tua nobis 17. de testam. ergò dicendum est, talem reuera esse mentem testatoris, ac proindè exequutores testamentarios teneri in conscientia soluere legatum huic legatario, quod enim semel placuit, & necessariò placuit, ampliùs displicere non debet, cùm remaneant, & adhuc vigeant eædem causæ prioris placentiæ inducentes, ad solutionem legati.

8 Demùm legatum in ordine ad studium factum connumeratur intèr causas pias, Abbas lib. 2. consil. 63. M. Antonin. lib. 1. resolut. 6. num. 4. ergò amplissimè interpretandum, fauorabilia enim sunt, quæ pietatem respiciunt, & in testamentis plenior interpretatio est facienda, l. In testamentis ff. de reg. iur. cap. cum dilecti 6. de donat.

DECISIO XXI.

De Confessario Monialium tempore Iubilęi.

Moniales tempore Iubilei, non solùm congregatìm possunt sibi eligere Confessarium, sed etiam singulæ, qui sit approbatus aliàs ad audien-

diendum Confessiones sæcularium, licèt non sit specialitèr deputatus pro Monialibus, siue sæcularis, siue regularis, qui sic electus de iure, potest accedere ad Monasterium, & suo fungi officio; tamen melius est, vt petat licentiam accedendi ad vitandas contentiones.

1 Prima pars, quòd Moniales tempore Iubilęi possint sibi eligere Confessarium, à nemine negatur, & rationabiliter, quia hoc priuilegium expresse conceditur etiam Monialibus, vt colligitur ex clausula electionis similibus verbis expressa. *Omnibus, & singulis Christi fidelibus vtriusq; sexus, tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis sæcularibus, & Regularibus, cuiusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, licentiam concedimus, & facultatem, vt sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumq; Presbyterum Confessarium, tàm sæcularem, quàm cuiusvis Ordinis regularem ex approbatis à locorum Ordinarijs.* Quæ clausula ita amplissima, & clarissima est, vt nulli benè sentienti relictus fuerit ambigendi locus, & id confirmatur explicatione verborum eius. Nam

2 dicitur primò, *Omnibus, & singulis*, quæ verba habent vim specialis, ac indiuiduæ expressionis Hier. Gabriel. lib. 2. consil. 144. Socin. vol. 3. consil. 3. num. 17. vbi ait, quòd significat, ac si omnia essent specificata, Bursat. vol. 4. consil.

3 364. num. 14. Secundo, *Christi fidelibus*, certè ab hac dictione non excluduntur Moniales, quæ & ipsæ per lauacrum regenerationis hoc nomine insignitæ sunt, dicitur, *Christi fidelibus*, quia isti solùm capaces sunt indulgentiarum, ad quorum consequutionem præmittitur Confessiò, & Sacramentalis absolutio, quorum non minus sunt capaces sanctimoniales alijs Christia-

4 nis. Tertiò deducitur ex illis verbis, *Vtriusq; sexus*, licet enim nomen masculinum maximè in fauorabilibus, vt est Iubilęum, concipiat fœmininum, ex omnium sententia, ne tamen quis voluntariè dubitaret, addita sunt verba illa, *Vtriusq; sexus*, ad exprimendum sexum fœmineum; & quia nomen fœmineum, & mulieris videtur importare statum diuersum à Sanctimonialibus, ideò quarto subiunctum fuit, *Et Regularibus cuiusvis Ordinis*, specificans statum religiosum vtriusq; sexus, & cuiuscumq; Ordinis. Ita omnes infra citandi.

Secunda pars, quòd hæc electio à Monialibus singillatim fieri possit, suadetur; Tum quia hoc priuilegium electionis Confessarij non conceditur immediatè communitati Monialium, cùm non sit reale, sed singulis Monialibus, hoc ipso, quod conceditur omnibus, & singulis Christi fidelibus, inter quos sine dubio connumerantur

5 Moniales. Tum quia priuilegium concessum per hanc clausulam, *Omnibus, & singulis*, censetur concessum singularitèr, & æquè omnibus, non magis vni, quàm alijs, vt conclusum fuit in Interamn. Bononi. 5. Maij 1603. coram Gregor. XV. decis. 109. & secundùm Bald. lib. 1. consil. 461. num. 6. idem operatur, ac sequens clausula, *Vnicuiq; de per se*, & verificatur in qualibet re, & persona singulari, Curt. iun. singul. 74. num. 3. Tum quia priuilegium hoc indulgetur, vt vnusquisque liberiùs sua peccata fateri possit Confessario à se electo, solent enim interdùm pœnitentes infirmiores, inter quos maximè connumeratur sexus fœmineus, formidare sua detegere scele-

ra

ra Superioribus suis, & Confessarijs Ordinarijs, propter quod inducuntur in discrimen æternæ damnationis, ideò à Summo Pontifice vnicuique libera conceditur facultas eligendi Confessarium pro suo arbitrio.

Solet Abbatissa tempore Iubilęi congregare moniales, & eisdem proponere duos, aut plures Confessarios, vt, quos maluerint, eligant, vt illis liberius confiteri valeant, & electos præsentant Episcopo, & suo Prælato, vt dent licentiam electis Confessarijs accedendi ad Monasterium pro audiendis monialibus. Placet hæc Congregatio; si qua tamen monialis pro quiete suæ conscientiæ alium peteret, non est illi denegandus ex adductis rationibus.

Tertia pars, Confessarius eligendus à monialibus debet aliàs esse approbatus ad audiendas Confessiones Sæcularium, hoc est ab Episcopo. Probatur, quia ita colligitur ex verbis suprad. ctæ clausulæ, ibi: *Ex approbatis ab Ordinarijs locorum*, quæ verba intelliguntur de Episcopis, & Ordinarijs approbantibus Confessarios pro
6 Laicis, vt docui Resol. 34. nu. 47. Ordinarij locorum nomine venit ex communi sententia Episcopus, & Ordinarius respectu Laicorum, vt docet Floron. cap. 5. de casib. reseru. §. 4. Vers. In contrarium, & colligitur ex cap. Ordinarijs, de off. ordin. in 6. iuncta glosa v. Locorum. Ita in materia Iubilęi docent plures citati à Barbosa ad cap. 15. sess. 23. n. 14. quos sequitur Bossius sect. 3. de Iubilęo casu 4. nu. 6. Non placet tamen in eo, quod vult, Religiosos simpliciter teneri eligere approbatum ab Ordinario loci, quia dicta Resolut. 34. nu. 50. probaui posse confiteri proprijs Confessarijs regularibus, quibus poterant ante, ob rationes ibi adductas, quod placet etiam Euangelistæ de Momigno in suo Directorio typis Pistorien. hoc anno 1644. exposito Serm. 76. Moniales igitur ex dictis debent eligere vnum ex approbatis ab Ordinario loci, quando nolunt proprio confiteri, & illud non tam ex Bulla Iubilęi, quam ex constitut. Gregorij X V. incip. *Inscrutabili Dei*, quæ simpliciter prohibet, moniales confiteri alijs Confessarijs, quam approbatis ab Episcopo diœcesano iuxta decretum 15. sess. 23. siue sint Regulares, siue Episcopales, per Bullam quidem directè, & expressè, per constitutionem verò in consequentiam, ex eo quod cum respectu monialium etiam regularium nullus post constitutionem detur Confessarius, nisi ex approbatis ab Episcopo Diœcesano, consequitur electio vnum solummodo ex approbatis per illum.

Quod si in Bulla Iubilęi non exprimeretur illa particula, *locorum*, seu *loci*, tunc in eo casu Christi fidelis posset eligere Confessarium approbatum ab alio Prælato præter Episco-
7 pum, quia sub nomine, *Ordinarij*, sine alio addito veniunt alij Prælati inferiores, & non tantum Episcopi, Gemin. in cap. Ordinarij de offic. ordin. in 6. benè Tambur. tom. 1. disp. 1. q. 4. Vtrum appellatione Ordinarij veniant Abbates, & alij Prælati inferiores.

Quarta pars, non est necesse, quod Confessarius à Monialibus eligendus, sit ex deputatis in specie pro eisdem. Probatur, tum quia ex clausula Iubilęi superius extensa sufficit, quod

Con-

Confessarius eligendus sit approbatus præcisè ab Ordinario loci, ergo non est necessaria specialis approbatio pro monialibus inducta ex Bulla Gregorij, est enim hæc conditio extrinseca, quæ non subintelligitur, nisi exprimatur, l.Si ita stipulatus §.Crysogonus ff. de verb. sign. Tum quia Bulla Gregorij non habet locum in Iubilęis, cum in ea sermo sit solum de Confessarijs Ordinarijs, & extraordinarijs dandis ab Episcopis, & Prælatis, non verò de eligendis ab ipsis monialibus; nam ad ea, quæ rarò accidunt, vt sunt Iubilęa transeuntia, lex non adaptatur, l.Nam ad ea ff.de legib. ac proinde vt casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis, l.Commodissime ff. de lib. & posth. l.Si extraneus 6. de cond. causa data. Idem pluribus probaui resolut.34.nu. 53. Ita ex Bossio sect.3. de Iubileo, casu 5. nu.21. & Peyrin. tom.3.priuileg. cap.4.num.4. Diana part.5.tract. 12. de Indulg.resolut.12.contra Molfesium, Leonem, Faustum, Suar. & Pollachum, quos nouissimè citat, & sequitur Pater Franciscus Pellizzarius in suo docto Tractatu de Monialibus cap.9. q.12. nu.21. probans primo, quia talis est praxis ferè communis, contra quam prudenter procedi non potest, præsertim cum agatur de re ad forum externum facilè deducibili. Ad hoc dico, quod cum sit quid facti consuetudo, de ea non dari certam scientiam, cap.1. de constit. in 6. ac proinde illam asserenti non esse credendum, nisi probet, Gabriel.de probat. concl.4. Bursat. vol.1. consil.16. num.37. M. Anton. lib.3. resolut.44. casu 3. §. primo, neque ideo contrariam sequentes opinionem imprudenter agunt, quia agunt secundum opinionem probabilem. Probans secundo, quia Confessarius non potest accedere ad monialium Monasteria absque licentia Ordinarij loci, neque proinde ad audiendas Confessiones monialis, quæ illum forte eligat vigore Iubilęi, sicque non potest præsumi Papam intendere iurisdictionem conferre Sacerdoti aliàs impedito, & facit illa Regula, *In generali concessione &c.* Ad euitanda inconuenientia, quæ sequerentur, si quælibet monialis posset sibi eligere quemcumque Sacerdotem approbatum. Argumentum supponit prohibitionem accessus Confessariorum ad Monialium Monasteria, quod falsum est, nam accessus ad Monasteria monialium non prohibetur, quando adest manifesta, & rationabilis causa accedendi, ex cap.Monasteria 8. de vita, & honest. Qualis est accessus ad Confessiones audiendas monialium, vnde in Decreto prohibente Religiosis accessum ad Monasteria monialium, excipiuntur Confessarij, vide Decretum extensum apud Quar. v. Monasteria monialium, Nald. v. Moniales n.18. & sic non dicitur Papa conferre iurisdictionem impedito, immò de iure est, vt concessa alicui facultate agendi aliquid, censeantur etiam concessa ea, quæ sunt necessaria ad executionem illius, cap. Præterea 5. in fine. cap. Prudentiam 21. in fine §. Sexto, de off. deleg. ac proinde censentur remota impedimenta, si quæ possent obstare.

Peyrinus loco cit.cap.4. num.4. nimis electionem ampliat, dùm vult, Moniales posse eligere Confessarium Regularem alterius Ordinis à solo

Præ-

Prælato Regulari approbatum, id enim est expressè contra formam Bullæ Iubilęi, dum exprimit, *approbatum ab Ordinario loci*, quo nomine venit solus Episcopus, vel alius habens iurisdictionem, quasi Episcopalem in sæculares etiam, ex supra probatis.

Quinta pars, quod Confessarius Episcopalis sic electus sine alia licentia possit accedere ad Monasteria Monialium, probata mox fuit; Tum quia Confessarijs electis non prohibetur accessus; Tum quia in Bullis adest clausula derogatiua quibuscumq; obstantibus lucro Iubilęi. Tum quia per electionem Papa remouet omnia impedimenta, si qua sunt impedientia consequutionem Iubilęi; id etiam probani Resolut. 34. num. 53. contra dictum Pellizzarinm cap. 9. q. 13. & Euangelistam de Momigno in suo Directorio vulgari idiomate Serm. 76. subiungentem, absolutionem quidem tenere, si electus Confessarius sit approbatus generalitèr ad Confessiones Monialium, sed puniri posse ab Episcopo. Sed id de iure non probo, quia legitimè factum non meretur pęnam, gl. v. culpa cap. 2. de constit. l. Gracchus, C. de adult. Tuschus v. Pœna concl. 208.

Demùm dixi, meliùs esse, Confessarium electum petere licentiam ab Episcopo accedendi ad Monasterium, vt suo fungatur officio, ad euitandas contentiones, quia deferendum est dignitati episcopali. Verum quidem est, quòd Episcopus non debet denegare hunc accessum, sed concedere, alitèr irrationabiliter se habet.

DECISIO XXII.

An Confessarius ante publicationem Iubilęi eligi possit ab habente casus reseruatos?

INnocentius X. Summus Pontifex pro fœlici gubernio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vniuersale Iubilęum Romæ promulgauit Dominica tertia Aduentus, die xj. Decembris præsentis anni 1644. per suam Bullam incip. *Immensa omnipotentis Dei*. Hic autem Parmæ publicatum fuit die Dominica 25. Decembris Natalis Domini Nostri Iesu Christi pro habitantibus in Ciuitate, extra verò prima die Ianuarij incipientis anni. His suppositis.

Dubitatur, an ego possim eligi in Confessarium virtute huius Iubilęi ante publicationem hic Parmæ factam? ratio dubitandi est, quia Confessarius facultatem absoluendi à reseruatis recipit ab electione facta per pœnitentem cupientem lucrari Iubilęum; sed pœnitens non habet ius eligendi Confessarium, nisi dependentem à Bulla Iubilęi, quæ hic Parmæ incipit prodesse à die publicationis, ergo Confessarius facultatem absoluendi non acquirit, nisi post publicationem, ergò ante nullatenus absoluere potest. Sic docet Graff. lib. 2. Append. cap. 5. à num. 71. Nauar. Vgol. & alios citat Bossius sect. 4. de Iubil. casu. 3. qui num. 6. ait esse tutam, sed probabiliorem oppositam.

Putant infrascripti, pœnitentem paulò ante Iubilęum, & in ordine ad Iubilęum posse eligere Confessarium, qui absoluat à reseruatis, modò iam

Romæ

Romæ promulgatum fuerit. Ratio est, quia Iubileum est gratia amplissima, & vniuersalissima omnibus maximè vtilis, & nulli preiudicialis, ac proindè latè explicanda est, & extendenda. Confirmatur respondendo rationi dubitandi, quia adhuc ius eligendi Confessarium benè pendet à promulgatione Iubilęi facta Romæ; nam in singulis Diœcesibus publicatio non fit ad dandum esse, & valorem Bullæ Iubilęi, cùm illud primò receperit in promulgatione, sed vt illud singulis innotescat cum peculiaribus ordinationibus necessarijs ad lucrandum Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum. Hanc docent Rodr. tom. 1. Summæ cap. 18. Henriq. lib. 7. cap. 20. §. 3. Bottonus in Bullam Sixti V. pag. 127. Lauor. part. 1. de Iubilęo cap. 24. num. 6. cum alijs, quos sequitur Bossius sect. 4. de Iubilęo, casu 3. cuius tamen limitatio num. 6. posita, quod id procedit maximè ex causa, vt si absque periculo non possit expectari publicatio Ordinarij loci, non placet, quia impeditus potest illud lucrari etiam transacto tempore præfixo, si impedimentum abiecerit, vt exprimitur in Iubilęis. Causa igitur meo iudicio erit, si pœnitens vult communionem sacram recipere in die festo ex solemnioribus, vt accidit hoc anno 1644. quo Iubileum publicatum fuit die Natalis Domini, potest precedentibus diebus eligere Confessarium, qui illum absoluat à reseruatis, cum intentione lucrandi Iubileum sequentibus diebus; sed ego teneo oppositum infra Decis. 342.

DECISIO XXIII.

An Prælatus Regularis publicet Iubilęum suis subditis?

ID munus spectat ad Episcopum, seu Ordinarium loci, vt constat, non solùm ex praxi, verùm etiam ex tenore Bullarum, ex quibus id colligitur illis verbis. *Mandantes insuper venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs quibuscumq; Ecclesiarum Prelatis, & locorum Ordinarijs in virtute sanctæ obedientiæ*, &c. Confirmatur, quia Regulares accedunt ad processiones simul cum Clero, indictas ab Ordinario loci, ergo publicatio Iubilęi ab Ordinario diœcesano facta, communis est omnibus Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, etiam Regularibus, quàm Laicis. Ita docent Vgol. Graff. & Leo, citati à Bossio sect. 4. casu 3. num. 3. qui num. 7. tenet oppositum cum Henriq. quia Prelatus Regularis est Ordinarius suorum subditorum; sed dico ego, non in hoc ex supra probatis; quia non vocantur Ordinarij locorum, vt vult tenor Bullæ Iubilęi; ita quod non habeo pro tuta opinionem Henriq. & Bossij, cùm satis clarè loquatur Bulla de Ordinarijs locorum, sub quibus verbis non veniunt Ordinarij Regulares, etiam Abbates Monachales, & Lateranenses, qui cum suis lucrari debent Iubileum ab Episcopo publicatum, licèt aliàs non accedant ad Processiones; nec prodest quicquam, quod Bulla Iubilęi transmittatur illis à suo Procuratore Generali, quia ex hac transmissione non acquirunt ius publicandi illud, cùm illis per Bal-

Bullam non concedatur, immò prohibeatur ex illa regula, quod vni conceditur, vel mandatur, alijs censetur prohibitum, glos. v. Vt duo, cap. Ad audientiam 15. de cler. non resid. Vide iterum infra Decis.352.

DECISIO XXIV.

An sit Votum sub his verbis. Io voglio andar alla Madonna di Loreto, *expressum?*

EST votum, si ex causa proferantur ea verba, exemplum pono in eo, qui profert ea verba, post quam e. g. euasit periculum, attribuendo gratiam B.M.V. & eò magis, si illud replicet in similibus casibus, quod probatur. Tum quia illa verba continent virtualiter promissionem, neq; enim ad votum necessaria sunt verba, *Voueo*, aut *Promitto*, cum sola mente quis Deo se obligare possit, Deus enim intuetur cor, non verba, neque manum respicit, cap.6. 14. qu.5. & quod non requirantur illa promissionis verba formalia in vouendo, docent Caiet. 2.2. qu.88. artic.1. apud Graff. part.1. Decis. lib.2. cap.21. nu.14. Nau. consil.5. de voto nu.4. Tum quia dum profert illa verba, aut habet intentionem, & animum peregrinandi ad Sanctam Domum, vt verba sonant, aut non habet animum, ac proinde illudit B. V. hoc secundum negat expressè, consequenter priùs debet asserere, ac proinde hanc determinatam intentionem exequi tenetur sub ratione voti, verba enim debent aliquid operari, cap. Si Papa 10. de priuileg. in 6. l. Si quando 112. ff. de legat.1. quia cum effectu sunt accipienda, cap. Hæc autem verba 17. dist.1. de pœnit. Tum quia verbum, *Volo*, stat dispositiuè, maximè cum alterius personæ voluntas non spectatur, Menoch. de arbitr. casu 496. num.6. & importat exequutionem cum verbo infinitiuo iunctum, Seraph. de priuileg. iuram. priuileg. 23. num.23. Sed dispositio, & exequutio præsupponunt actus deliberationis, & propositi, ergo includunt promissionem, cum dicant aliquid præter dicta, maximè attenta causa, ob quam dictum fuit, & sæpius in periculis repetitum. *Io voglio andare alla Madonna di Loreto.*

Prædictis videtur obstare doctrina Nauar. cons.4. de voto, vbi habet hæc verba. *Tertiò facit, quia alioquin oporteret dicere, quod quicumque vellet, proponeret, vel deliberaret adire templum, audire missam, aut concionem, ieiunare, elemosinam dare, &c. teneretur ad id exequendum sub pœna peccati mortalis, quod nemo vnquam dixit.* Respondeo alium esse casum nostrum, non ego teneo verbum, *Volo*, in his importare obligationem ex se, cum solum exprimat animum agendi aliquid, non enim de se includit promissionem, & obligationem, sed ex causa vtrumque includere potest, iuxta dicta pro præsenti casu tot circumstantijs spectatis.

DECISIO XXV.

An Legatus à latere possit absoluere non subditum percussorem Clerici?

POtest etiam pro vtroq; foro, licèt iniectio manuum violenta sit notoria, modò non sit percutiens declaratus excommunicatus. Probatur

ex cap. Excommunicatis 9. de off. legati, item eod. cap. Quod translationem 4. cap. Ad eminentiam 20. de sent. excommun. In quibus locis dicitur, Legatum à latere posse beneficium absolutionis impendere in eos, qui propter iniectionem manuum in Clericos, vel Religiosos sunt excommunicati. Neque hæc facultas in citatis locis limitatur, aut restringitur ad iniectionem occultam, neque pro foro interno; neque ad subditos tantum suæ Prouinciæ, ergo indistinctè, amplè, & generaliter huiusmodi facultas est accipienda, ac proinde tam de iniectione notoria, quam occulta, tam pro foro externo, quam interno, & tam respectu extraneorum, quam subditorum. Ratio est, quia vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, cap. Solitæ 6. de maior. l. De prætio 10. de public. in rem, l. Non distinguemus, ff. de recept. arbitr. Tum quia lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, l. In fraudem ff. de test. milit. l. 1. §. Generaliter ff. de legat. præst. quod maximè procedit in fauorabilibus, cuiusmodi est facultas hæc, quia fauores sunt ampliandi, & Principis beneficium latissimè est interpretandum, cap. Cum dilecti 6. de donat. cap. Quia circa 22. de priuileg. cap. Olim 16. de verbor. signif. Quod Legati à latere possint absoluere etiam extraneos ad se accedentes, vel etiam eosdem extra suam Prouinciam, colligitur expressè ex citato cap. Excommunicatis, vbi dicitur, quod Legatus non à latere extra Prouinciam sibi commissam nō potest absoluere, neque etiam in Prouincia sua aliundè aduenientes, ergo à contrario sensu, à quo sumptum argumentum validum est, Legatus à latere prædicta potest. Ita ibidem glossa cum Doctoribus super dictum cap. ex illis Nald. v. Legatus num. 12. Megal. 2. 2. lib. 1. cap. 7. num. 5. & alij omnes v. Legatus. Dixi modò percussor non sit declaratus excommunicatus à proprio Iudice, tunc enim ab eodem tantum absoluendus est, quia Iudicium terminandum est ab eo, à quo cęptum fuit, l. Vbi cæptum, de iur. om. iud. l. Si quis postea, ff. de iud. Gl. v. Præuentus cap. Proposuisti 19. de foro compet. Præterea ad eum spectat absoluere, ad quem condemnare l. Nemo 38. ff. de reg. iur. l. Qui condemnare 3. de re iud. Excommunicatus autem se cum deferat authenticam fidem remissionis obtentæ, & satisfactionis datæ parti læsæ, aliter absoluendus non est.

DECISIO XXVI.

Excommunicatus à quibusnam teneatur se abstinere?

TEnetur se abstinere à Communione trium bonorum, in quibus consistunt effectus excommunicationis, non solum vitandus, & denuntiatus, sed etiam toleratus, immò & occultus, quia excommunicatio illis bonis priuat excommunicatum, in omnium sententia statim ac est excommunicatus, quia excommunicatio secum trahit executionem, cap. Pastoralis 53. §. Verum, de appellat. nec illi potest suffragari extrauagans: *Ad euitanda scandala*, quæ solum fauorabilis est alijs fidelibus, vt cum eo nondum denuntiato tractare possint, non verò ipsum cum illis voluntariè.

Hæc

Hæc est doctrina ab omnibus tradita cum Sayro lib.2.in prælud.& ca.seqq. Bonac.q.2.de excom. per totam, Cælestinus Suession. ex nostris Gallicanæ Congregationis in suo Cõpend.Theologiæ moralis tract.3. cap.3. breuitèr omnia comprehendit, à quibus abstinere debet excommunicatus, qui non potest conferre, neq; recipere Sacramenta; neq; interesse diuinis officijs audiendo, aut recitando Missam, aut Horas Canonicas in Ecclesia, quam ideò ad hunc effectum tempore diuinorum ingredi non potest, excepta concione, neq; interesse Processionibus, aut benedictionibus; neque cum alijs conuersari, vnde bonum illi est, si domi maneat, donec absoluatur; & si habet votum visitandi Ecclesiam, ingrediatur extra tempus Officiorum, aut desistat. Consistunt autem illi actus, à quibus se abstinere debet in hoc versu. *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*. In aliquibus casibus potest conuersari cuilibet cum alijs fidelibus contentis in hoc versu. *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*, quos supracitati explicant.

DECISIO XXVII.

A quonam petenda sit remissio iniuriæ Religioso illatæ?

CLericus sæcularis, aut alius quivis, qui Religiosum percussit, absoluendus non est, nisi parte læsa priùs satisfacta, & habita remissione iniuriæ illatæ, cap. Porrò 7. cap. Parochianos 9. cap. Cum desideres 15. cap. Quamvis 58. de sent. excom. Nemo autem iniuriam remittere tenetur, nisi prævia satisfactione, Nauar. cap. 14. num. 25. consil. 1. de accusat. num. 1. duo autem spectantur odium, & rancor, & id sine dubio statim remittendum est, & à se abijciendum, & actio iniuriatum; hæc in arbitrio est læsi, ex ijs, quæ habet Graff. tom. 2. consil. 8. diff. 3. de sent. excom. quod etiam procedit, respectu Religiosorum, nolenti enim satisfacere illatæ iniuriæ, & damno, remissio denegatur, dum enim præcitati textus præscribunt satisfactionem, expresse loquuntur de Religiosis. Verum quidem est, quòd Prælatus Monasterij cum suis Religiosis benè faciet procurando, vt percussor obstinatus resipiscat, & satisfaciat.

Remittere hanc iniuriam spectat ad Conuentum, cum persona læsa, & iniuriata, agente Superiore, etiam cõtra voluntatem Religiosi percussi. Quod spectet ad Conuentum probatur ea ratione, quia iniuria Religiosi redundat in totum Conuentum, arg. eorum, quæ de iniuria filij redundante in patrẽ, dicũtur, l. 1. §. Iniuria, l. Eũ qui §. fin. de iniur. §. Patitur, Inst. de iniur. Ita gl. v. In Monachos, cap. Parochianos 9. de sent. excom. Item v. Satisfaciant, Glos. v. Quam offendit cap. 15. eod. Glos. v. Possidere, cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. Nauar. tom. 2. comment. 2. num. 29. & 64. & tom. 3. cap. Vulgaris num. 2. Sylu. v. Iniuria n. 8. Sà v. Iniuria num. 1. Et cum percussor non sit absoluendus, nisi parte satisfacta, petat fidem remissionis factæ à Superiore Religiosi percussi, quam negare non debet, vt faciliùs absoluatur.

DECISIO XXVIII.

De pręcedentia inter duos Lectores.

DVo Regentes, vt aiunt, Philosophiæ Lectores Ordinis Franciscani, vnus Conuentualis, alter Tertiarius, vocati ad argumentandum extra propriam Ciuitatem, ad aliam, in qua adest Conuentus solùm Tertiariorum, non verò Conuentualium, vterq; istorum contendit de primatu.

Conuentualis quidem primò, quia in pręcedentijs habetur ratio institutionis Religionum, glos. v. Pędicatorum, cap. Quorumdam 24. de elect. in 6. l. Honores, ff. de decur. & id est secundùm ius commune: Qui prior est tempore potior est iure, Reg. 54. in 6. vnde Imola in cap. 1. de maior. dicit, quòd ex prioritate temporis oritur omnis pęrogatiua dignitatis, & præcedentiæ; omnibus autem notum est, priorem esse Religionem Conuentualium, quàm Tertiariorum, illi enim sub priori Regula militant ab anno 1209. Isti sub tertia circa annum 1300. vel paulò ante. Secundò, Schola Scotica priùs est apud Conuentuales, quàm Tertiarios, immò ab illis deriuauit in hos, Scotus enim huius Scholæ Princeps fuit professione Conuentualis, vnde Tertiarij sequentes doctrinam Scoti potiùs in hoc dependent à Conuentualibus, quàm vt illis pręferantur. Tertiò, naturalitèr proueniens anteponitur ei, quod venit per accidens, aut secundariò, l. qui habet ff. de tutel. Sed Conuentuales sunt naturales, & primarij Scholares Scoti, Tertiarij verò per accidens, & secundarij, ergò vbique locum cedant Conuentualibus. Quartò demùm Parolettus in sua Aurea Palestra part. 3. cap. 6. de præcedentia ex Riccio part. 2. resol. 102. ait locum deberi antiquiori Religioni, maximè quando conueniunt, vbi non habetur Monasterium. Hæc faciunt pro Regente Conuentuali, quẽ habere locum in eadem Ciuitate, in qua vtriusq; est Conuentus, probant sequentia.

Tertiarius supra Conuentualem in loco, vbi non habet Monasterium, pręt endit locum. Primò, quia præcedentia debetur Religiosis posteriùs admissis in aliquam Ciuitatem, si collegialitèr viuant ibidem, super alios, licèt antiquiores, qui ibidem Conuentum non habent, aut si iam habuerunt, ibi vnus, vel alter, vt singuli degunt, vt ex Càtalogo G.M. part. 4. considerat. 52. Decio consil. 160. Ioan. Picard. inter consilia Menochij consil. 52. num. 137. Selua de benef. part. 1. q. 2. num. 82. & 83. resolutum fuit coram Cardinali Cauallerio in vna præced. S. Agathæ Gothorum die 13. Maij 1622. quam decisionem ad verbum refert Tambur. tom. 3. decis. 110. & coram Buratto in eadem causa 29. Maij 1624. in qua Oliuetani posteriores Religione collegialitèr viuentes pręferuntur Monachis Montis Virginis, licèt antiquioribus, viuentibus vt singulis in loco controuersiæ, & decisionem refert idem Tambur. decis. 111. modo in casu nostro clarum est Tertiarios habere Conuentum Collegialem, & formatum in loco N. nullatenus Conuentuales, ergo Tertiarius præferendus est Conuentuali, qui in dicto loco Conuentum non habet, & ibi censetur esse, vt singularis persona, ac proindè priuilegio præcedentię suę

D Reli-

Religionis non gaudet. Neque dicas, quod in illis decisionibus sermo est de pręcedentia respectu processionum tantum; quia respondetur sermonem esse de omnibus actibus publicis, vt expresse habetur ex alia decisione, quæ est 112. apud præfatum Tambur.

Secundò facit glosa v. Collegiatæ cap. Statutum 22. de elect. in 6. Innoc. in cap. Cum dilectus, de elect. num. 5. Abbas in cap. Cum non liceat, de præsumpt. num. 2. in quibus locis, persona, quæ spectatur, vt singularis, & non quatenus de collegio non gaudet priuilegijs collegij, sed Regens Conuentualis ibi non spectatur, vt de collegio, & conuentu suæ Religionis, cum ibi non habeatur, sed censetur, vt singularis persona, ergo ius non habet ad præcedentiam, sed Tertiarius.

Tertiò, Fratres Tertiarij præferuntur quibuscumque alijs Franciscani Ordinis de prima Regula, quando in loco controuersiæ sunt priores, vt contra Minores de Obseruantia illorum fauore decisum fuit die 14. Februarij 1615. prout refert Barbosa de iure Eccl. cap. 43. num. 190. Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 8. nu. 11.

Demum is gradus cęteros antecedit, quem labor prolixior fecit anteire, l. Nemo C. de off. mag. Sed Conuentuales antea in eo loco non laborauerunt, cum non habeant Conuentum, sicut Tertiarij, qui ibidem portant pondus diei, & æstus centum ab hinc annis, & vltra quadraginta. Confirmantur prædicta, quia præcedentia Religionum est Priuilegium reale, eo quod immediatè concedatur Religioni, & eius Monasterijs, ergo vbi Religiosi Monasterium non habent, neque ius præcedendi.

DECISIO XXIX.

An publicatio Iubilæi extra ciuitatem transactis duabus hebdomadibus teneat?

ORdinarius N. in Ciuitate publicauit Iubilæum in die Natalis Domini, & post duas hebdomadas mandauit publicari extra in diœcesi. Quærunt, an legitima sit huiusmodi publicatio pro diœcesi? Ratio dubitandi est, quia in Bulla incip. *Immensæ omnipotentiæ*, Innoc. X. dicitur. *Qui verò extra Vrbem in quibusuis Orbis terrarum locis existunt, proxima, aut altera sequenti hebdomada post præsentium notitiam pias ad Deum effundant*, & paulo infra. *Qui verò alibi extrà Vrbem erunt, Ecclesiam, seu Ecclesias per locorũ Ordinarios, seu eorũ Vicarios, aut de eorum mandato, aut ijs deficientibus, per eos, qui inibi curam exercent animarum deputandas, quocumque sibi bene viso eiusdem hebdomadæ die, vel diebus*. Melius infrà, & clarius. *Mandantes insuper venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs quibuscumque Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinarijs in virtute S. obedientiæ, vt cum harum litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas Prouincias, Ecclesias, & diœceses publicent, & publicari faciant*. Ex quibus patet differri non posse huius Iubilæi publicationem etiam respectu diœcesis; particula enim *statim* significat sine aliqua temporis dilatione, & interuallo, l. cum quidam ff. de leg. 2. Tiraq.

in l. Si vmquam, v. reuertatur C. de donat. reuoc. num. 120. & ſecundum Aloyſium Riccium importat celeritatem in deciſ. Neapolit. part. 4. deciſ. 288.

Prædicta publicatio Iubilæi facta in diœceſi poſt quindecim dies à puncto publicationis in ciuitate legitima eſt. Probatur; Tum quia tempus duarum hebdomadarum præfixum incipiendum à die notitiæ litterarum Iubilæi, poſitum fuit ad ſollicitandum Ordinarium ad publicationem illius, ne ſit negligens in hoc munere obeũdo, non autem ad terminandum tempus valoris Iubilæi. Tum quia pœnitens legitimè impeditus de conſilio Confeſſarij tempus præfixum prorogare poteſt, Bonac. diſp. 6. de Sacram. q. 1. p. 5. num. 36. ergo à fortiori Epiſcopus. Tum quia Ordinarius deferendo publicationem vltra quindecim dies videtur habere legitimam cauſam, ne Confeſſarij multum defatigentur in audiendis pœnitentibus, & ob alias cauſas illis benè viſas. Tum quia memini, dum Mediolani morarer, Iubilæum, cuius notitia habita fuit propè Paſcha, prorogatum fuiſſe poſt Paſcha, vt fideles diſtinctis ſpiritualibus exercitijs vtrique ſatiſfacerent, & præcepto, & lucro Iubilæi. Hic Parmæ Iubilæum prudenter intra ciuitatem publicatum fuit in die Natalis Domini, in diœceſi in die Circumciſionis. Ratio dubitandi non vrget ſoluta per primum argumentum, præterquam quod dici poteſt, dictionem, *Statim*, ſumi multis modis, & importare diuerſa temporis ſpatia iuxta ſubiectam materiam, aliquãdo enim ſignificat intra triduum, l. fin. C. de iudic. interdum infra octo dies, gloſ. v. eodem cap. Prudentiam, §. Sexta, de off. deleg. aliàs verificatur in ſpatio duorum menſium ex Tiraq. loco citato, vndè ſignificat aliquid faciendum eſſe data opportunitate, per ea, quæ habet Graff. lib. 2. de arbitr. cap. fin. nu. 6. Non eſt igitur illa dictio ita amarè intelligenda, ſed cum aliquo temperamento, iuxta tex. in l. quod diximus C. de ſolut. Rota Rom. vol. 1. deciſ. 476. num. 8.

DECISIO XXX.

An percuſſio pugno facta in faciem Magiſtri in loco publico ſtudij ſit grauis?

QVidem ad inſtantiam alterius dedita opera pugno impetijt Sacerdotem in publica Schola, ſtatim ac deſcendit è cathedra. Iſte ſine dubio incurrit excommunicationem ob grauem, & enormem percuſſionem Religioſi, & ſi enim percuſſio ſimplici pugno de ſe leuis ſit, ſit tamen grauis, & enormis ex conditione perſonæ, & circumſtantia loci publici. Id quod clarè deducitur ex reſponſione data à Ioanne XXII. quam ad verbũ refert Confect. pag. 24. illis verbis.

Perlectis litteris veſtris circa abſolutionem excommunicatorum, vos in eis dubitare perſpeximus, quæ eſſet modica, aut leuis iniuria, circa quam, ſicut talis loquitur, abſoluendi vobis contulimus poteſtatem. Ad quod cum ſit facti potiùs, quam iuris quæſtio, vobis, prout poſſumus, reſpondemus, illam videlicet modicam percuſſionem, aut impulſionem pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, vel lapidis, quæ ad liuorem, mutilationem membri, fractionem dentis

depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis, non excedit, nec si tam leuissimi ictus, aut pugni percussione sanguis exiret, transire in atrocem iniuriam profitemur, vt propter hoc sit à talium absolutione abstinendum; vt tamen non solum ipsum factum, immò etiam facti qualitas, percutiendi modus, aut iniuriandi circa hoc diligentius attendatur, & ipsius facti circumstantia loci videlicet, & etiam personæ, quæ sit leuis, vel modica, grauis, aut enormis iniuria manifestius cognoscatur. Loci quidem, vt in theatro, vel in foro, coram Rege, Prælato, vel Iudice, in Ecclesia, coram multis, in alio loco publico alicui iniuriæ conferatur. Personæ, veluti si Magister, vel Iudex, aut etiam Magistratus, aut Prælatus, Pater, aut Patruus, vel aliquis in dignitate, vel personatu constitutus ab inferiori, vel humili contra naturam iuris patiatur. Per hæc quidem graues videantur iniuriæ, & quæ sint leues, aut modicæ, tamquam ex opposito cognoscantur. Sanè, quia negotij natura non patitur, vt ad plenum omnia discerantur, iudicium talis enormis iniuriæ vestro duximus arbitrio committendum. Vide quæ dixi Resolut. 28. nu.39. vbi manet explicata supradicta responsio.

Deducitur ex prædictis illam percussionem fuisse grauem, attenta loci circumstantia, præsentia Scholarium, & hora lectionis, atque etiam conditio personæ, quæ Religiosus, Sacerdos, & Magister est, licet percussor non fuerit eius discipulus; Schola enim est locus publicus, cum ad eum locum omnibus pateat aditus, & sit deputatus in bonum publicum à Principe. Attenta etiam notorietate facti delicti illa percussio fuit grauis, facta enim fuit coram discipulis, & alijs. Quare percussor absolui non potest ab Episcopo, sed accedere debet ad Sedem Apostolicam, aut ad Legatum à latere, iuxta dicta dec.25.

DECISIO XXXI.

Hæc verba. Ditemi tanto bene, *quem sensum habeant?*

Sacerdos, cui traditum fuit aureum cum hoc onere. *Ditemi tanto bene*, satisfacit partim missis, partim alijs suffragijs, & collectis in missa. Ratio est, quia illa verba significant, quid commune vtrique, sunt enim verba generica comprehendentia tam Sacrificium Missæ, quam quodlibet aliud genus suffragij, non solum enim dicitur bonum Missæ Sacrificium, verum etiam quodcumque aliud suffragium; genus autem habet locum in qualibet sua specie, l. De pretio ff. de public. l.1. §. Generaliter ff. de legat. præstand. Socin.iun.vol.1. consil.128. num.183. cum genus propriè comprehendat omnes species, quæ sub se continentur, l. Semper ff. de reg.iur. Iason vol.1.consil.24. Craueta vol.5. consil.785. quod verum est etiam si in vna specie sit maior ratio, quam in alia, l.1. §. Quod autem ff. de alc. lusu, & aleator. l. In fraudem ff. de testam. milit. ibi Bald. M.Anton. lib.2. resolut.35. nu.2. & 3. ergo ille Sacerdos partim Missis, partim collectis satisfacit oneri suscepto. Confirmatur, quia à nonnullis expressè petuntur Missæ, ab alijs orationes, ergo requirentes, vt sibi tantum bonum dicatur, videtur vtrumque promiscuè petere. Prædicta tamen locum habent,

habent, quando non constat in loco de sensu verborum, si enim illa verba ex communi vsu loquendi interpræ-tentur pro Missis tantum, non satisfacit per collectas, & alia suffragia, sed tot Missas celebrare debet, quot eleemosinæ, verba enim intelligenda sunt, & seruanda secundum vulgatum loquendi modum, cap. Ex litteris 7. de sponsal. l. habeo ff. de suppel. leg. Placet, quod mihi respondit P. Franciscus Pellizzarius Societatis Iesu vir in Moralibus eruditus, vt testatur eius opus de Monialibus, interrogandas esse aliquot fœminas similis conditionis in eo loco degentes, quid intelligant per similia verba. Quare non excusarem illum Sacerdotem, qui in recipienda stipe dubium aduertens, non interrogat dantem, quid intelligat per illa verba, id enim scire non curans, videtur subterfugere onus Missarum, quas fortassis exposuisset quærens sibi, aut alijs bonum.

DECISIO XXXII.

An duo Altaria priuilegiata reperiri possint in eadem Ecclesia?

CVria Romana non solet ea concedere, ac proinde si inueniuntur duo in eadem Ecclesia, secundum præsumendum est subreptitium, & contra intentionem Papæ, stylus enim quem Curia seruat, pro lege habetur, & ius facit, cap. Ex litteris, de constit. Et ita docui Resolut. 56. nu. 199. & ita nuper. mihi respondit P. Pellizzarius super hoc dubio consultus, qui addit, cupienti secundum Altare, necessarium esse in supplicatione mentionem facere de primo iam obtento. Et ita tenendum est.

DECISIO XXXII.

An, qui frequenter abest, dicatur Residere.

STatutum Consortij Ecclesiæ Cathedralis personalem requirentis Residentiam in ijs Sacerdotibus, qui assumendi sunt ad Officium Prioratus eiusdem Consortij, locum habet, & verificatur in eo Sacerdote, qui bis, aut ter in hebdomada abest ab Ecclesia; adhuc enim dicitur residere. Quod ostendo Primò, quia maior, & strictior est residentia Parochialis ob curam animarum, in dies enim casus occurrere possunt, quibus præstò esse debet Parochus, ac proindè illi valde necessaria est residentia, & magis, quàm residentia non Parochialis, quæ tantum respicit certum, & determinatum seruitium celebrandi Missam, & recitandi Diuinum Officium, sed Parochus absens per tres ad Summum menses iuxta Tridentinum sess. 23. cap. 1. dicitur residere, eo ipso, quod absentia trium mensium non damnatur, ergo à fortiori absentia trium mensium, siue continuatorum, siue interpollatorum, & vltrà respectu Sacerdotis non curati non vitiabit residentiam. Secundò, residentia specificatur in præsenti casu, & exercetur per celebrationem Missæ, & recitationem diuini Officij in Ecclesia Consortiali; sed obligatus quotidie celebrare ex causa honestatis, & deuotionis bis in hebdomada potest cessare, secundum Nauar. consil. 6. de præbend. per cap. Significatum 11.

de præbendis ibi: *Quanto frequentiùs potest*;immò & ter in casu nostro, cum residentia in consortio non sit necessaria simplicitèr, sed ex suppositione officij Prioratus, illud enim dicitur frequentèr fieri, quod bis fit, glos. v. Frequentare cap. Monasteria, de vita, & honest. Cler. & secundùm Graff. in sua Praxi lib.2. cap.5. num.20. ille dicitur frequentèr alloqui monialem, qui ter alloquitur, ergò ille dicitur frequentiùs celebrare, ac proindè residere, qui quater in hebdomada celebrat, consequentèr alijs tribus diebus cessando adhuc dicitur residere ex computatione dierum. Tertiò, Episcopus potest prohibere Parocho sub pœna pecuniaria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne vltra biduum à sua Ecclesia absit, vt ex Garzia in Addit. ad suum tract. de benef. cap. 2. num.23. declar.2. Armend. Sellio, asserit Barbosa ad Sess. 23. cap.1. num. 52. ergò per biduum absentia licet saltem in eo, quod absens dicitur residere, consequentèr si Parochus biduum absens dicitur residere, à fortiori non Parochus, si absit ter. Quartò absens Canonicus frequentèr ab Horis Minoribus ex causa adhuc dicitur residere, Nauar. consil. 20. de Resid. Demum absens in seruitio Episcopi adhuc dicitur residere, & præsens esse in sua Ecclesia, cap. Ad audientiam 15. de Clericorum resid.

DECISIO XXXIV.

An obediendum pręceptis etiam sub censuris factis, cùm timetur graue damnum?

NOn est obligatio obediendi præceptis Superiorum etiam sub pœnis censurarum expressis, cum probabili periculo aut mortis, aut alterius mali notabilis imminentis; Tum quia leges Diuinæ positiuæ affirmatiuæ non obligant cum tanto rigore, nam quis non tenetur adimplere votum, quando timet sibi aliquod malum graue, Sanch. lib. 4. cap. 3. num. 19. Bonac. p. 3. de voto §.1. num. 10. qui q.8. de peccatis p.2. propos.2. alia refert exempla; Tum quia lex humana non obligat cum tanto rigore, nisi se exprimat, præciso semper contemptu Religionis, aut Clauium, alitèr non diceretur humana, & benigna, vt docent communiter Doctores, quos citant Sanch. lib.1. cap.18. num.4. Bonac. cit. dicta propos. 2. ergò neque præceptum, quod est minoris virtutis lege. Ita prædicti cum sequentibus in materia censurarum, Bonac. de censur. q.2. p.3. Armilla v. Excom. n.59. Megal. lib.1. de censur. cap.3. n.76. Alterius tom.2. disp.8. de interd. cap. 6. Sayr. lib.1. de cens. cap. fin. num.41. Sà v. obedientia num. 4.

DECISIO XXXV.

An secunda professio sit formalitèr commutatio voti in votum, an verò ex se destruat priorem?

TRansitus ab vna ad aliam Religionem est licitus, si ex causa, & cum licentia fiat sui superioris, petita, licèt non obtenta ad strictiorem, cui constare debet Superiorem secundæ esse paratum recipere illum, quod etiam requiritur in transitu ad æqualem, vel laxiorem; & præterea licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem, & hæc certa sunt, & à me explicata tom.1.

Reso-

Resolut. 29. vsque ad num. 20.

Punctus autem difficultatis in eo consistit, an prior professio commutetur in secundam, an verò per secundam formalitèr destruatur; seu an destructio proueniat potius à licentia Apostolica?

Dico; quòd prior professio non commutatur in posteriorem; sed omninò destruitur per posteriorem, & non per licentiam Apostolicam.

Primùm, quòd non sit commutatio, suadetur, quia commutatio est suppositio alterius materiæ in locum prioris, remanente eadem formali, & numero obligatione, secundum omnes cum Sanch. lib. 4. cap. 55. num. 2. Voti ergo obligatio sub vtraque materia manet, & solùm transfertur à prima ad secundam materiam, ad quam etiam redire potest sine noua obligatione, & renouatione prioris voti, cùm prior obligatio semper mãserit; licitus autem est regressus ad priorem materiam, siue votum commutatum fuerit in maius, siue in æquale, siue in minus, quia semper cedit commutatio in fauorem vouentis, ergo renunciare potest suo fauori redeundo ad priorem materiam; nemo enim cogitur vti suo beneficio l. Inuito 70. de reg. iur. de communi tradit idem Sanch. lib. 4. cap. 55. num. 26. Constat autem non sic se habere primam, & secundam professionem, in quibus non subrogatur vna materia loco alterius, cùm tria vota substantialia sub vtraque professione continuò maneant, & prior professio immediatè tollatur per secundam, ita vt per hanc cesset obligatio quævis contracta per priorem professionem, ita quod in secunda iam professus validè non liceat regressus ad priorem Religionem, nisi per nouam professionem, & obligationem limitatam in veteri Religione factam de licentia Superiorum, cum cęteris requisitis, ac si primò simpliciter proficeretur, vt docui in Tractatu de profess. regul. cap. 2. q. 72. §. Vndecimo, & tom. 3. resolut. 120. q. 30. num. 73.

Secundum, quod prior professio destruatur per secundam validam, suadetur: Tum, quia emissa professione secunda professus non ampliùs tenetur prioris vota, & ordinationes seruare. Tum quia idem non potest esse filius simul duarum Religionum, sed vnius tantum, nempè secundæ, ergo posterior professio destruxit priorem. Tum quia sicut posterius testamentum validum reuocat prius, ita & secunda professio priorem, est enim velut testamentum, in quo sicut testator relinquit alijs omnia sua bona, ita & professione Religiosus seipsum, & omnia sua bona, si aliter non disponit, donat, & relinquit Religioni.

Tertium, quod per licentiam Apostolicam non destruatur prior professio, probatur: Tum quia licentia illa limitatur ad transitum, vt per ipsam dicatur licitus, ac proindè transitu peracto, licentia cessat, limitata enim causa limitatum producit effectum, l. In agris ff. de acquir. rer. dom. ergo non potest esse causa destructiua prioris professionis, nam transitus contingit initio anni, & professionis prioris extinctio in fine anni, dum fit secunda professio, qua posita, statim cessat prior professio, ergo signum est, quod secunda professio est causa destructiua prioris, & non illa licentia, id enim est causa, secundum Philoso-

phos, ex quo sequitur effectus, & causa probatur per sequelam immediatam effectus, glos. cap. Quattuor 27. 12. q. 2. Tum quia licèt, non sequatur valida professio, nisi licentia Apostolica præmissa, quando fit transitus ad laxiorem, vt probaui tom. 1. resol. 29. nu. 56. & petitione licentiæ superioris respectu omnis transitus ibidem num. 49. non ideò tamen hę licentiæ sunt causa propriè destructiua professionis prioris, sed potiùs sunt conditiones, sine qua non sequitur secunda professio valida, & possunt dici causæ remotæ, respectu destructionis prioris professionis, ac proindè non attendendæ in hoc formali casu, arg. l. Sed & si plures §. In arrogato, ff. de vulg. & pupilli substit. nam proxima causa magis attenditur, quàm remota. Tum quia si in fine anni probationis facti pœnitentia ductus reuertatur ad antiquam Religionem, non eget professione, cùm illa prior adhuc vigeat, signum est licentiam non esse causam destructiuam prioris professionis, sed tantum secunda professio valida.

DECISIO XXXVI.

An venditio domus postea donatæ conuentui venditori sit alienatio in iure prohibita Regularibus?

Coniugati senes benè affecti erga Conuentum domo propria carentes intendunt iusto prætio emere domum ad proprium vsum, quam volunt deinde per idem instrumentum donare eidem conuentui; An Prior cum suis Fratrib. possit inire hunc contractum sine periculo in currendi pœnas contra alienantes inflictas?

Dico, quod iste contractus fieri, potest. Tum quia alienatum non dicitur adhuc existens sub dominio vēditoris, l. Alienatum, de verb. sign. constat autem domum venditam reuera non transire sub dominio emptorum, cum illud ius, quod ad eam habere possunt, donant venditoribus. Tum quia quod parum, aut ferè nihil durat, factum esse non dicitur, cap. Nam & ego 3. de verb. signif. & amissum non dicitur, quod non durat amissum, l. pro parte §. Versum ff. de in rem verso; translatio autem dominij ex venditione nullatenus remanet apud emptores, ergo in hoc contractu nulla est alienatio saltem, quod sit prohibita. Nec obstat, quòd vtile dominium transeat irrecuperabilitèr, durante vita emptorum, quia domus Monasterio vtilis esse non potest, nisi quando continuè quod ad illud remanet apud conductorem, in eo enim contractu virtualitèr includitur etiam contractus conductionis; neq; puto prohiberi locationem ad longum tempus, respectu præsentis casus, in quo fructus semel, & anticipatè soluuntur in beneficium Conuentus, qui implicantur in alijs stabilibus, ideò enim in extrau. *Ambitiosæ*, prohibetur locatio ad longum tempus, quia ex diuturnitate temporis facilè amitti possunt fructus, immò, & domus, quod locum non habet in casu nostro, in quo soluti sunt omnes anticipatè, & domus iam donata est quo ad dominium directum, & vtile hoc post mortem emptorum.

DE-

DECISIO XXXVII.

An interdicti affixio impedita de facto sortiatur suum effectum?

INterdictum de facto, & potenter impeditum, ne promulgetur, aut affigatur in ciuitate supponenda interdicto, sortitur suum effectum, modò in curia Iudicis, & in circumuicinis Ciuitatibus aliorum Dominorum publicetur, tunc enim idem est, ac si esset affixum, & penetrasset in ciuitate contumaci, vt colligitur ex cap. 1. de postulat. prælator. vbi interdictum comparatur alijs legibus, ad quarum formam promulgatur, ibi: *Nec sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare, sed id solum sufficit, vt ad eius obseruantiam teneatur, qui nouerit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam.* Interdictum autem sufficienter dicitur promulgatum, cum in circumuicinis ciuitatibus publicatur, impedientibus ministris, ne publicetur in ciuitate contumaci. Quod Doctores communiter tradunt, intimandum esse in matrice Ecclesia loci interdicto supponendi, cum Viualdo v. Interd. num. 287. Tolet. lib. 1. cap. 19. Sylu. v. eod. 2. num. 1. Tabien. 3. n. 2. Sayr. lib. 5. cap. 11. nu. 29. Intelligendum est, quando nullum obijcitur obstaculum, & non subterfugitur pœna medicinalis, alioquin contrà impedientes iniustè de facto, & potenter, sufficienter, & validè dicitur promulgatum extra, ac si in loco contumaci affixum fuisset in loco publico, vnde S. Anton. part. 3. tit. 27. de interd. cap. 5. dicit satis esse, si fiat promulgatio in locis consuetis iudiciorum, aliter ciuitates nunquam possent subijci interdicto, cum possint efficax obstaculum opponere.

DECISIO XXXVIII.

An cadauera defunctorum à loco ad locum translata subdantur Gabellis?

NEquaquam, sed ab illis immunia sunt. Tum quia illa res est capax gabellæ, quæ est prætio æstimabilis, arg. l. Omnium C. de vectig. respicit enim gabella id, ex quo fructus percipi possunt in ordine ad illius solutionem; cadauer autem tamquam res inutilis reseruatum putredini, & vermibus, prætio æstimabile non est, ac proindè nullum ius tribuit gabellarijs. Tum quia cadauera fidelium defunctorum sunt sub protectione Ecclesiæ etiam, quo ad eorum translationem cap. Corpora 36. dist. 1. de consecr. & licèt ibi sermo sit de corporibus Sanctorum, extenditur tamen per Doctores ad quecumq; corpora defunctorum, quæ sicut non possunt de loco ad locum transferri sine licentia Ecclesiasticorum, ita neque supponi datijs, & gabellis. Tum quia homo mortuus à quibuscumque oneribus exoneratur, & liber remanet per mortem, si quidem hæc omnia soluit, §. Deinceps Auth. de nupt. l. 1. C. Ne ex delicto defunc. consequenter etiam ab omnibus gabellis, si quo modò, dum viueret, tenebatur secundum illum respectum. Vnde in l. 38. ff. de relig. & sumpt. funer. prohibetur, ne corpora, aut ossa defunctorum

ctorum detineantur, vexentur, aut impediantur, quò minus sepeliantur, aut transferantur, sed liberè dimittenda sunt, ergò sine solutione gabellarum. 2 Quare impius, & inhumanus vsus, quo antiquitùs corpora mortuorum debitorum per creditores pignorabantur, aut sequestrabantur, reprehensus à D. Ambros. in cap. 16. Tob. Sublatus fuit per l. Pretor ait §. Ne perpetuæ, l. cum sit ff. de sepulcr. violat. Et ita docet Bertachinus in tract. de Gabellis q. 8. num. 6. dum dicit Gabellam non esse soluendam de animalibus mortuis, sed de viuis tantùm. Adiungit, nisi per statutum aliud disponatur secundum Bartolum ab eodem citatum. Sed hoc statutum fieri non potest à Laicis, quia super cadauer mortuum hoc ius non habent, cùm sit subditum Ecclesiæ, cuius immunitate gaudet quò ad hoc. Quod si Gabellarius ad telonium sedens quęrat, quid in capsula reconditum sit, si non credat, in ea adesse cadauer, ostendatur illi in confusionem suæ incredulitatis, vt memoretur nouissima sua in abominationem 3 propriæ auaritiæ.

DECISIO XXXIX.

An Officialis Episcopi generalis possit per se, vel per alium doctorare?

1 Vicarius Episcopi, seu eiusdem Officialis generalis, quod in idem recidit, secundum Mandos. in Regul. Cancellar. 14. q. 16. Menoch. lib. 1. consil. 51. num. 38. Cardin. in Clem. de off. vicar. num. 18. Sbroz. lib. 1. de Vicar. q. 7. potest non solùm per se, verùm etiam per alium à se deputatum gradum Doctoratus conferre petentibus, licèt ipse Vicarius non sit Doctor, ac proindè vocetur Prouicarius.

Primum de propria potestate doctorandi probatur, quia iste Prouicarius habet commissionem generalem exercendi ea omnia, quæ spectant ad Vicarium Doctorem, & in litteris eius patentibus non excipitur in terminis hæc facultas doctorandi, neque de iure intelligitur excepta, nam Cap. 2. & 3. de off. Vicar. in 6. in generali commissione facta Vicario Episcopi, seu Officiali generali excipiuntur tantùm facultates visitandi, corrigendi, priuādi, & conferendi beneficia, ergò non excluditur facultas doctorandi, cùm non contineatur sub exceptis, vt clarè constat ex diuersitate illorum intèr se. Et consequentia tenet, quia exclusio aliquorum aliorum est inclusio, cap. Nonne de præsumpt. ex pluribus enim aliquib. negatis; reliqua censentur concessa, cap. Qualis hinc 4. dist. 25. Glos. v. negatur, cap. Ex eo, quod 2. 15. q. 3. glos. v. colligitur.

Secundum de facultate delegata alteri ad doctorandum probatur, quia Officialis Episcopi generalis, seu Vicarius generalis sic dictus ex generalitate, & vniuersalitate causarum sibi commissarum dicitur Ordinarius, & habere potestatem ordinariam, & facere vnum tribunal cum Episcopo, cap. Romana 3. de appellat. in 6. cap. 2. de consuetud. in 6. vtrobique Doctores, Bart. in l. 1. §. ab eo ff. quis, & à quo appell. num. 1. Alex. in Rubr. de officio eius num. 15. Roland. lib. 1. consil. 46. num. 26. Sbroz. lib. 2. q. 55. num. 9. Basilius Poncius lib. 5. de matrim. cap. 11. Paris. lib. 7. de Resignat. q. 24. n. 25. in quantum Ordinarius est po-

potest delegare eas omnes causas, quas ipse per se expedire potest, nam
4 Ordinarius de iure delegare potest, l. More ff. de iurisd. omn.iud.l.Cognitio §.Cum propriam ff. de offic.eius,cap. fin.de offi.ordin.cap. Cum Episcopus 7. de off. ordin. in 6. & quatenus cum Episcopo vnum facit tribunal, quia eiusdem censetur potestatis, & iuris; Officialis autem huiusmodi cùm hanc potestatem non habeat prohibitam in sua generali commissione, vtique poterit delegare illam alteri ad doctorandum;preterquamquod habens delegatam potestatem ad vniuersitatem causarum, ac si esset Ordinarius, subdelegare potest,cum reputetur Ordinarius, l.1. ff. Quis, & à quo, glos. v. Delegare, cap. super quæstionum 27. §.Si verò,de offic.deleg.cap.cum causam,de appellat. iuncta glos.delegare. Rosella v. Delegare, Angel. num. 6. Sylu. q.8. & alij omnes. Dictus autem Prouicarius esto non esset Ordinarius adhuc est destinatus ad vniuersitatem causarum, ratione cuius poterit vices suas alteri committere saltem quo ad
5 hanc causam doctorandi. Et, quòd Vicarius Episcopi possit delegare vnũ articulum, seu causam docent Glos.v. ipsius cap.1. de off.Vicar. in 6. Abbas in cap.Clericos eod.extr.num.2.Bald. in l. Aliquando, de off. proconf. Cardin.in Clem.1. de off.Vicar. Paris. lib. 7. de Resignat. q. 24. num.73. prædictos allegans. Concludendum igitur est, Prouicarium ritè delegasse hanc facultatem doctorandi. Sed quis dicere posset,prædicta procedere in Vicario Generali Doctore,habente omnia requisita ad verum Vicarium,qualis non est noster Prouicarius, qui per modum prouisionis,& quasi ex necessitate,& conditione temporum fungitur hoc officio. Nihilominus mox probatur supradicta habere locum etiam in nostro Prouicario,qui sic nuncupatur precisè,quia caret graduDoctoratus.

6 Tertium igitur, quod Prouicarius, quatenus talis,licèt non Doctor,possit doctorare,probatur;Tum quia gradus Doctoratus non dat facultatem doctorandi Prouicario, sed commissio generalis Prouicariatus. Tum quia vt plurimum Vicarij sunt Doctores canonum, & legum,non Theologiæ, vn-
7 de Vicarius Capitularis non potest esse Theologus secundùm Barbosam cap. 42. de Canon. num. 53. decisum sub die 28. Augusti 1621. provt ipse refert ad Sess.24. cap.16. num.34. videtur tamen colligi oppositum ex Tridentino ibi: *Item officialem, seu Vicarium, &c. qui saltem in iure canonico sit Doctor, vel licentiatus, vel aliàs quãtum fieri poterit idoneus.* Hæc enim postrema clausula,ne dicatur superfluere,dicit aliquid præter supra dictas qualitates disiunctiuè acceptas,ergò in aliquo casu poterit esse etiam Theologus, ergò ad doctorandum non videtur esse necessarius gradus Doctora-
8 tus in doctorãte eiusdem rationis. Tũ quia Vicarius secundùm vota, & suffragia totius Collegij, seu maioris partis fauore promouendi pronuntiat Doctorem, & non alitèr, ergò nõ est necesse,quòd Vicarius sit Doctor in eo gradu,ad quem quis promouetur, eo ipso, quod non debet ipse ferre iudicium de idoneitate promouendi, sed id spectat ad Doctores Collegij vnà cum suo Priore. Tum quia comites Palatini vtriusque iuris tantùm Doctores ex priuilegio promouent

ad gradum Theologiæ, & alij Doctores solum Theologiæ conferunt gradus alterius Doctrinæ, ergo neuter gradus necessarius est ad Doctorandum, si non vniuocus, qui videretur aliàs necessarius ad iudicandum de idoneitate promouendi, multò minus æquiuocus, per quem non potest ferri Iudicium, cũ illius scientiæ nõ sit professor Vicarius, seu Comes Palatinus, sed alteriùs tantũ. Tũ quia Vica-
9 rius Generalis aliquãdo nõ est Sacerdos, ac proinde non est Confessarius, neque habet potestatem absoluendi Sacramentaliter, & tamen hanc facultatem alijs concedit, vt notum est in curijs Episcoporum, ergo quis alteri potest conferre facultatem, quam non habet, consequenter Vicarius non Doctor, quod idem est, ac esse Prouicarius in casu nostro, poterit per se ipsum, vel per alium facere Doctorem. Sed dicet aliquis, quare hactenus aliquem non promouit, neque nunc, sed per tertium à se delegatum, qui est Doctor, ergo faciens Doctorem supponitur esse Doctor. Redico, quod de omnibus non est reddenda ratio, l. Non omnium 19. de legibus glos. v. Rationem Cap. Nabuchodonosor 22. 23. q. 4. & si aliquando reddi posset, non expedit, nec plus sapere, quam oportet sapere. Vide infra Decis. 440. 442.

DECISIO XL.

An legata non soluens incurrat aliquam censuram?

LEgatum Pium non soluens nullam de iure communi incurrit censuram, cum in iure non reperiatur, sed tantum comminatur excommunicatio in cap. Qui oblationes 9. & 10. Cap. Clerici 11. 13. q. 2. vbi negligentes solutores huiusmodi vocantur necatores egentium, & pauperum, atque Sacrilegi dicuntur. Hęc autem intelliguntur respectu Legatorum Piorum, quæ & vocantur causa pia, & enumerantur à Tiraquello in tract. de priuilegijs causæ piæ. Illud autem dicitur Legatum pium, seu causa pia, quod relinquitur Ecclesiæ, monasterio, Religioso particulari intuitu pietatis, non prætextu consanguinitatis, hospitali cuilibet, Oratorio, pauperibus, viduis, pupillis pauperibus, pro redemptione captiuorum, dos pro maritandis pauperibus, pro imagine pingenda, pro studio Theologię, pro constructione, vel reparatione pontium, viarum ad publicam vtilitatem, pro constructione sepulcri, pro meretrice, vt conuertatur, pro restitutione incertorum, & male ablatorum, pro ornamento, & vtilitate Ecclesiæ, pro oleo lampadis.

Adde quod pia causa, seu Legatum pium est illud, quod relinquitur concionatori, & ideò illud non soluens Prædicator excommunicari potest, iuxta illa duo capita superiùs allegata. Quid, si spectet ad Superiorem Conuentus, apud quem extat fundus, ex quo percipiuntur fructus? Debet soluere secundo Monasterio, ex quo vocauit concionatorem, si tamen fructus percipiantur ex fundo designato, aliter ad nihil tenetur; si concionator est subditus, contentus sit de eleemosina, quam sibi subministrabit suus Prælatus pro vestitu, & libris.

Insolutio Legatorum piorum solet refer-

reseruari apud diuersos Episcopos, de quo casu reseruato vide Graffium lib. 2. cap. 26. suæ praxis, & illius amicum ad verbum Bellochium part. 2. qu. 1. Lupum de casibus Bergom. par. 2. casu 6. Mazuchellum de casibus Mediol. disput. 2. cap. 20. De Legatis pijs respectu Regularium Lezana tom. 4. v. Legata Regularibus relicta.

DECISIO XLI.

An testis in dubio præsumendus sit falsum dixisse?

MInimè, sed immunis esse debet ab hac imputatione, quod probatur *Primò*, quia falsitas in dubio nō præsumitur, c. In præsentia, de renunt. l. Cum præcibus C. de probat. vbi Bald. Marsil. consil. 51. num. 33. Cepola consil. cit. 38. nu. 13. & vt de falso quis conuincatur, probationes debent esse concludentes per necesse, Bald. in l. Iuris gentium §. Quod ferè ff. de pact. & in l. Imperator ff. de statu hom. nu. 1. talisque requiritur probatio, quæ demonstret rem aliter se habere non posse, Grammat. Consil. crim. 19. nu. 3. Neuizan. consil. 68. nu. 34. Surd. consil. 132. nu. 20. vbi post alios subiungit, in crimine falsi magis strictam, & concludentem requiri probationem, quam in alijs delictis, Bertazol. consil. 8. nu. 11. & 12. Honded. lib. 1. consil. 109. à num. 13. & in specie, quod testis habeat hanc præsumptionem pro se, vt non præsumatur, falsum deposuisse, sed veritatem abundè dixisse, probat Bertazol. dicto consil. 8. num. 10. post glos. in cap. Accedens, de crim. falsi, Bald. in leg. De quibus col. fin. nu. 40. ff. de legib. *Secundò*, facienda est semper omnis interpretatio, vt à falso testis excusetur, cap. Cum tu, de testib. vbi omnes, præsertim Felin. nu. 4. & 12. Grammat. voto 26. Bec. consil. 78. num. 12. itaut adhibenda sit exquisita, & nimia subtilitas, vt falsitas excludatur, etiam per impropriationem verborum, & distinctionem etiam eo modo, & ratione, quibus leges concordantur, vt post omnes docet Bertazol. cit. consil. 8. num. 13. immò etiam per multiplicationem actuum, & personarum, quia pluralitas actuum præsumitur, vt euitetur falsitas, Bald. in l. fin. C. de reb. cred. in fine, Surd. decis. 282. n. 5. atque verba sunt improprianda, & sub diuersis conceptibus loci, temporis, & personarum interpretanda, ad euitandam falsitatem, Farin. q. 153. à num. 192. præsertim in crimin. num. 202. *Tertiò* falsitas non committitur sine dolo, l. Qui testamentum, §. Dolo malo ff. ad leg. Cornel. de falsar. Bartol. in l. Diuus ff. eod. num. 1. & 2. Natta consil. 314. nu. 8. Vulpell. consil. 129. Farin. q. 150. nu. 2. Dolus præsumptus non sufficit, sed requiritur verus, Menoch. consil. 221. num. 15. Rimin. iun. consil. 145. num. 21. Honded. consil. 109. nu. 17. lib. 1. à dolo autem in materia falsitatis excusat quælibet causa etiam iniusta, Angel. de malef. v. Falsario nu. 1. Vers. Et à dolo quis excusatur, Alex. lib. 1. consil. 73. nu. 5. Gratus lib. 1. cons. 59. nu. 6. Cephalus consil. 230. nu. 14. *Quartò*, falsitas sine dolo commissa nulla pœna etiam extraordinaria, vel Stellionatus punitur, Corn. lib. 4. cons. 182. num. 6. quia crimen Stellionatus sine dolo non incurritur, Bec. cons. 78. nu. 16. Surd. decis. 282. num. 18. Honded.

lib.

lib.1.consil. 109.nu.28. nu.54. *Quintò*, in dubio præsumitur potius error, simplicitas, & ignorantia, quam dolus, vel falsitas, Bald. in l. pen. C. de his, qui sibi adscr. Roland. consil.38. num.32.lib.1.Honded.cit.consil.109. num.18. vnde testis dictum præsumitur potius per ignorantiam falsum, quam per dolum, Cephal.consil.230. nu.16.& 335.nu.51.neq; enim errans dici potest dolum, aut falsum committere, Marsil. consil.651.nu.8.Bec. consil.78. num.9. consequenter testis per errorem deponens falsum, non tenetur pena falsi, Grammat.consil.23. num.4. & 33.nu.10. nam falsum non committitur, nisi mentiatur animus, vt ex Baldo dixit Ioan. de Amicis consil.138. num.10. quia falsum est mutatio veritatis ex certa scientia, ex Hostien. Marsil. in Rubr. ad leg. Cornel. de fals. Gratus consil.151. num.9. vol.2. ac proinde testis per ignorantiam, vel errorem deponens falsum, non est in dolo, neq; falsarius est dicendus Ancharan. consil.24. nu. 7. & 8. Gram. consil.47. num.15. Bertazol. consil.8. num.18. *Sextò*, ad hoc vt testis puniatur de falso, opus est, quod falsum deponat super facto ipso principali, in quo vertitur quæstio, non autem super extrinsecis, in quo casu, neque eius dictum infringitur, Clar. q.53.§.Scias tamen, Bossius de tortur. nu.27. Socin. iun. consil.189. num.44. Bertazol. consil.8. num.19. *Septimò*, vt quis de falso puniatur, necesse est, quod eius dictum noceat, vel nocere possit alicui, l.1. C.ad leg. Cornel. de fals. Bossius tit. de defens. reor. num.70. Angel. in l. Qui veluti C. eod. Alex. lib.1. consil.74. num.8. Vulpell. consil.6. nu.1. de communi, & consil.129. Roland. consil.38.nu.22. Surd. decis.282. Honded. consil.109. num.49. quod locum habet etiam in statuto pœnam imponente, Bertazol. consil.8. nu.20. & quod falsitas innocibilis non possit puniri, dictus Vulpell. consil.6. num.1. Honded. lib.1. cit. consil.109. num.52.& 56. Neque pœna extraordinaria cessante dolo, & nocibilitate, Vulpell. consil.129. num.8.& 15. Honded. lib.1.consil.109. num.54. Farin. q.150. num.340. vbi reprobat Baiardum contrarium asserentem. *Octauò* falsitas nunquam præsumitur commissa sine causa, vndè vbi cessat causa falsitatis, ibi cessare debet etiam eius præsumptio, Crau. consil.25. nu.14. Roland. lib.1.consil. 38. nu.39. Menoch. consil.221. nu.8. Gabriel consil.169. quapropter vbi cessat lucrum, commodum, seu vtilitas, cessat quoque falsitatis præsumptio, Alex. consil.15. num.3. Crau. consil.75.num.13. 17.& 18.Bertazol. consil.71. num.23. Roland.consil.11. nu.55. lib.3. neque sufficit modicum lucrum ad præsumendum falsitatem, glos. in cap. Accedens, de crim. falsi, Natta consil.314.num.10. Cephalus consil.230. num.19. Bertazol. consil. 156. nu.8. *Nonò* pœna falsi quis puniendus non est, nisi trib. concurrentibus, mutatione veritatis, dolo vero, & nocumento ex falsitate, Honded. lib.1. consil.109. nu.55.& 56.Bertaz. consil.71.num.51. ad 54. *Decimò* non sufficiunt quæuis coniecturæ, & præsumptiones etiam plures ad condemnandum aliquem in pœnam falsi etiam extraordinariam, vt pluribus comprobat Surd. consil.132.num.78. & 80. sed requiruntur vehementissimæ, & tales, quæ Iudicem reddant certis-

certissimum, & factum ita clarum, vt indubitantèr appareat verum, nec aliud credi possit, ex eodem Surd. à nu. 86. quem sequitur Farin. q.152. num. 26.& 44.plures autem debent esse huiusmodi presumptiones, Menoch. lib. 1. presumpt.40. num.10. Farin. q.86. num.93.

De pœna falsi testis,glos.cap.3.dist. 19. Graff. tom. 2. consil. 3. de homic. diff. 1. Compend. Rodr. resolut. 42. num. 34.

DECISIO XLII.

An simonia sit procurare alicui pensionem, vt sibi procuret vxorem?

QVidam Clericus minoribus tantùm initiatus, & beneficiarius, vt valeat ducere vxorem,renuntiat suo beneficio, conueniendo cum resignatario de pensione super beneficio resignato constituenda de licentia Papæ, quam intendit procurare, vt detur à Sede Apostolica illi,qui procurabit sibi talem mulierem in vxorem,& super hac re ineunt pactum, & mutuò se obligant, Clericus ad procurandum cũ effectu pensionem,& Laicus procurãdi illi cum effectu vxorem. Difficultas est,an illis licita sit huiusmodi conuentio sine peccato simoniæ? Videtur,quòd sic,quia resignatio est legitima, cùm supponatur facta coram Superiore, & ex causa ducendi vxorem, ex ijs, quæ habent Canonistæ, in cap. Super hoc,de renunt.Paris.lib.1.de resignat.benef,q.2.& q.3.vbi de reseruata pensione,& in resignatione fit mentio de persona, in cuius fauorem pensio petitur à Papa,ergò tollitur omnis suspicio simoniæ;nam auctoritas Papę interueniens, tollit omnem simoniam iure prohibitam,glos.v.Illicitæ pactiones,cap.Cum pridem de pact.de communi apud Paris.lib.6. de Resignat. q. 2.num.70. pensio autem constitui potest super beneficio resignato tam pro ipso resignante, vt commodè viuere possit, ibidem num.7. quam pro alio tertio,Mandos. de pens. col.3.

Dico, quòd hic interuenit simonia, quia pactum inter rem spiritualem, & temporalem inducit simoniam, quæ secundùm glosam in sum. causæ 1.q.1. & D.Thom. 2.2.q. 100. art. 1. est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale pro temporali; sed in presenti casu Clericus procurando pensionem eo pacto, vt alter, cui illa pensio conferretur, procuret sibi efficacitèr talem mulierem in vxorem, vendit illam,& loco pretij, & pecuniæ acquirit obligationem alterius,qui recepta pensione, tenetur ciuiliter illi vxorem procurare, ergò simoniam committit. Confirmatur,quia secundùm Nauar.consil.57. si ego rogo aulicum, vt mihi impetret beneficium, super quo consentiam,imponi pensionem pro ipso, simoniam committo, ergo pari ratione ego sum simoniacus,si volenti impetrare mihi vxorem promitto pensionem super meo beneficio resignato.

Nec iustificatur hoc pactum, nec tollitur vitium simoniæ,per expressionem eius in narratiua resignationis beneficij, & nouæ pensionis conferendæ tertio, & amico resignantis, nisi in terminis exprimatur huiusmodi pactum, in quo casu Papa non admitter pensionem, cùm non adsit sufficiens causa constituendæ pensionis, quæ adesset, si iam vxorem obtinuisset, & vellet

vellet in signum gratitudinis nullo precedente pacto, postulare gratiam illius fauore. Intuitu autem futuri matrimonij Papa non concedet, neq; cõferet pensioné, quia collatio beneficij,& accessoriæ pensionis debet esse absoluta, non conditionalis, quia actus legitimi, cuiusmodi est collatio beneficij,& pensionis, non recipiunt diem, neque conditionem, reg. 50. in 6. sed statim producunt suum effectum.

DECISIO XLIII.

An simonia sit dare alicui pecuniam, vt sibi procuret vxorem?

NEquaquam, quia contractus iste versatur inter res temporales, nam matrimonium in ratione contractus quid temporale est, cùm in traditione corporum consistat, & stabiliri potest perfectè matrimonium in ratione contractus, antequam fiat Sacramentum, ergò nullatenus illi accidere potest vitium simoniæ. Ita Parnorm. in cap. Cum in Ecclesia, de simon. Sylu. Tab. quos citat Suar. lib. 4. cap. 10. num. 10. Azor. part. 3. lib. 12. cap. 3. alios citat Bonac. q. 4. de simon. §. 1. in fine primæ proposit.

DECISIO XLIV.

An obligetur vice fideiussoris, qui interroganti, an talis sit bonus fideiussor? respondet affirmatiuè?

SOlent nonnulli homines propriæ conscientiæ immemores, qui in negotijs mundi modicam habent fidem, in suis contractibus adhibere fideiussores, vt alij, cum quibus contrahunt, securi, & tuti remaneant, & preterea interrogare quosdam homines vulgares, rudes, & simplices, qui vt plurimum casu reperiuntur in loco, vbi conficitur instrumentum contractus, an talis persona sit bonus fideiussor, qui si respondeant affirmatiuè, (vt ferè omnes solent respondere ob dignum respectum præsentiæ fideiussoris) Notarius illorum assertum exprimit talibus verbis, quibus significat, illum obligatum esse vice fideiussoris, ac si ipse respondens formalitèr se obligasset in eo contractu, & hunc solent vocare collaudatorem fideiussionis.

Nulli dubium est, hunc hominem in foro conscientiæ non esse obligatum, vt de se constat, quia nemo intendit se obligare ad aliquid, ad quod non tenetur, nisi ad illud habeat animum; certum autem est in casu præsenti sic respondens, non habere animum se obligandi, quia ea responsio est actus iudicij, & intellectus, atq; mera assertio habilitatis, & sufficientiæ fideiussoris, non autem voluntatis, quia per illud assertum nihil intendit velle, sed tantùm narrare hominem, de quo interrogatur, esse bonum fideiussorem. Confirmatur, quia in hoc casu habet se potiùs per modum testis, quam per modum gerentis vicem fideiussoris.

Neque obligatur in foro externo, nisi se obliget verbis formalibus, seu æquiualentibus, probatur; Tum quia obligatio non contrahitur, nisi precedat scientia, l. De his ff. de transact. nemo enim, vt dixi, obligatur, nisi habeat intentionem se obligandi, l. 3. de act. & obligat. sed per illam simplicem interrogationem, & nudam responsionem etiam vir prudens, & doctus non

veniet

veniet in cognitionem, & notitiam alicuius obligatiouis, cum de se illam non significent ex proprietate verborum, & secundùm communem vsum loquendi, cùm se habeant tantùm per modum simplicis assertionis, ergò nullam inducunt obligationem. Tum, quia hic nulla apparet promissio, cùm nullus adsit voluntatis actus illam indicans, ergò neque vlla obligatio: vbi enim nulla reperitur causa, neque illius effectus, cùm hic ab illa dependeat, obligatio autem est effectus promissionis, ergò non extante hac, neque illa. Demùm iste homo respondens per hoc non fit persona contrahens, neque de numero illarum, quæ concurrunt ad contractum, cum vt plurimum multi interueniant ad præparationem contractus, & tamen postea non exprimuntur in instrumento contractus, aut si exprimuntur tamquam componentes partes ad inuicem, vel vt consiliarij, seu proxenetæ, ergò neque exprimendus est, qui asserit fideiussorem esse bonum; & hæc interrogatio est mera astutia alterius intendentis decipere proximum, vel enim scit fideiussorem esse bonum, ac proindè, aut inutilis est interrogatio, aut dolosa in damnum respondentis; vel scit esse malum, & decoctum, & iniustè per dolum intendit obligare tertium ignorantem; vel demum dubitat de sufficientia fideiussoris, & pari ratione vult supponere alium loco illius, vt seruet se indemnem in damnum tertij, qui per talem responsionem nunquam cogitauit, se teneri vice fideiussoris. Itaque non solùm interrogans, sed etiam Notarius, & alij interesse habentes in negotio, tenentur ad damna illius respondentis, bonum esse fideiussorem. In his casibus magis culpandi sunt Notarij, quàm alij, quia præuident huiusmodi deceptiones, & non obstant, & quod peius est, formalibus verbis, & clausulis exprimunt huiusmodi responsionem, ex quibus deducitur clarè, talem personam idiotam apparere in instrumentis secundos fideiussores, & collaudatores fideiussorum. Neque puto iuris peritos concludere huiusmodi verba. *Et N. interrogauit Petrum, an Paulus esset bonus fideiussor, & respondit Petrus asserens, Paulum esse bonum fideiussorem.* Inducere obligationem in Petro fideiussionis, aut collaudationis, quia huiusmodi obligationes habent speciales clausulas, per quas exprimuntur, per quasque obligati clarè deueniunt in notitiam suæ obligationis.

DECISIO XLV.

An delegatio facta à Vicario expiret in delegato, eo remoto ab officio?

1 Est communis Doctorum sententia, quòd re integra delegatio expiret, amoto ab officio delegante, quia delegatus non habet maiorem facultatem, seu iurisdictionem, quam habeat ipsemet delegans, ex Reg. 79. in 6. quæ dicit. Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, ergò facultas delegata non potest prolongari in delegato, quando remanet destructa in delegante. Confirmatur, quia delegatus operatur virtute delegantis, huius enim vices gerit, cap. Sane 11. de off. deleg. ibi glossa v. vices nostras, alijs iuribus allegatis, delegatus enim non

propria, sed aliena vtitur iurisdictione, l. 1. §. Qui mandatam ff. de offic. eius glos. v. impendant extr. 2. com. de sepult. vnde & repræsentat personam delegantis, ex cap. fin. dist. 93. cap. 1. dist. 94. ac proindè non habet plus iurisdictionis, quam delegans, vt ibidem dicit glosa v. Auctoritas. Ita cap. Relatum 19. c. Gratum 19. cap. Licèt vndique 30. de off. deleg. ibi gl. v. Re integra, & si sermo sit de morte delegantis, tamen intelligitur de qualibet alia cessatione, & remotione ab Officio, ea enim clausula non solum verificatur in morte naturali, verum etiam in quacumque alia vacatione, siue per renuntiationem, siue per terminationem, depositionem, aut alio modo, glos. in cap. Vn. Ne sede vac. in 6. v. mortuo Prælato, per iura ibidem allegata.

2 Dixi, *re integra expirare delegationem* i. quia nondum delegatus cœpit vti iurisdictione sibi communicata à delegante, quia eam perfectè transisse in delegatum non est dicendum, vt habetur cap. Quamuis 6. de offic. deleg. in 6. ibi: *Cum iurisdictio, ex quo ipse vsus non extitit, non censeatur in eum efficaciter transiße*. Tunc igitur delegatus dicitur perfectè, completè, & efficaciter obtinere iurisdictionem sibi communicatam, cum cœpit vti illa in negotio sibi commisso. Quando autem res dicatur integra, aut cœpta benè tradit Sanchez lib. 8. disp. 28. q. 1.

In casu autem nostro res non dicitur integra, cum cœptum fuerit negotium, nam doctorando puncta secreta assignata fuerunt coram delegato, & post duos, aut tres dies circumfertur cassatio Prouicarij Episcopalis, qui eam facultatem delegauerat, ergo delegatus potest prosequi causam cœptam, consequenter assistere recitationi punctorum publicorum coram collegio, & promotum creare Doctorem, non obstante reuocatione veteris Vicarij, & noui, ac futuri pendentia, de quo nondum authenticè constat.

3 Sed aliquis respondere posset, hanc non esse formalem delegationem, cum non proueniat ab Ordinario, nam Prouicarius non est propriè Vicarius Generalis de iure, & à iure habens iurisdictionem, sed tantum Prouicarius Episcopalis ab ipso Episcopo ad hoc onus electus, consequenter non potest dici eiusdem commissio simpliciter delegatio, quæ est tantum ab Ordinario, cum sit actus iurisdictionis, cap. Super quæstionum 27. §. Porro, de off. deleg. cap. 1. de off. ordin. in 6. qualis non est Prouicarius, sed tantum subdelegatio, ac proinde cum sit inferioris conditionis non est æquiparanda delegationi.

Responderi tamen potest, hunc Prouicarium æquiparari Vicario Ordinario, & dici Ordinarium, quia habet omnem potestatem, quam habent Vicarij Generales, nam deputatus ad vniuersitatem causarum dicitur Ordinarius, ex dictis decis. 39. num. 3. quamuis ibi aliquid corrigendum est, nimirum Prouicarium hunc non dicit Generalem, & talem, qui vnicum faciat cum Episcopo tribunal, quia ab Episcopo non est designatus, seu nominatus tamquam à iure habens iurisdictionem, cum non habeat requisita, sed propriè dicitur ab Episcopo eligi, ac proindè communicari, ac delegari eidem facultas tanta, quantam haberet, si nominaretur habiturus à

iure

iure eamdem iurisdictionem, ex quo tamen non tollitur nostra responsio, sed corroboratur in eo, quod Prouicarius tantam potestatem habet, quã. tam Vicarius, cum ea solum differentia, quod potestas Vicarij dicitur esse à iure eiusdem designatione facta per Episcopum, Potestas verò Prouicarij dicitur esse ab homine per delegationem factam ab Episcopo, & cum in vtroq; sit eiusdem amplitudinis, vterque vocandus est Ordinarius ille à iure, hic ex vniuersitate causarum sibi commissarum.

DECISIO XLVI.

An puncta pro Doctorando assignata differri possint, vel mutari?

1 NVlli dubium est, legitima subsistente causa, vti si Vicarius, vel ille, ad quem spectat conferre gradum Doctoratus eo die præfixo abesset, vel simpliciter non esset, causa mortis, aut eiusdem reuocatione, laureando posse differri punctorum recitationem in alium diem eiusdem hebdomadæ, non tamen mutanda sunt puncta, alijs ei de nouo assignatis, cum vltrà quam par sit grauari non debeat, quia per eum non stat, quin illa recitet tempore præfixo. Quod si tempus diu differatur vltrà hebdomadam, alia puncta à Collegio assignari poterunt eidem laureando.

2 An autem illa recitare possit die præfixo, non obstante absentia Vicarij, qui illum Doctorare debet? Respondetur negatiuè, quia statutum habet, quod recitentur coram Vicario, & toto Collegio, ergo aliter agendum non est, & illud est de forma, & solemnitate substantiali, quo omisso, res gesta subsistere non potest, immò nec recipere esse, quia forma est illa, quæ dat esse rei, l. Iulianus §. Si quis rem ff. ad exhibend. & omissa etiam ex parte, vel in minimo vitiat actum, l. cum hi §. Si prætor ff. de transact. alijs allegatis, & Doctoribus Barbosa Axiom. 100. nu. 15. Præterquamquod inconueniens est, laureandum præsentare Vicario, coram quo seipsum immediatè probare non debeat recitatione lectionis, & responsione ad argumenta. Deinde absurdum est, quod causa efficiens inducat formam in materiam, neque à se, neque coram se saltem vltimò dispositam. Demum sicut vanum est, & ridiculum præsentare pœnitentem iam confessum vni, sed non absolutum, tertio, vt absoluatur, coram quo tamen non est confessus; ita incongruum est, & inutile offerre laureandum Vicario, coram quo non se ore proprio ostendit dignum laurea.

DECISIO XLVII.

An Episcopus possit concedere specialem Confessarium Moniali laboranti in extremis?

SI Monialis petat ex sua speciali indigentia poterit Episcopus mittere petitum ab illa Cõfessarium, & quia in tali articulo, quantum fieri potest, subueniendum est, & occurrendum omnibus vijs, & modis possibilibus, & licitis saluti proximi; & quia talis ingressus est rationabilis, iuxta exigentiam cap. Vn. de statu regular. in 6. & necessarius iuxta Tridentinum cap. 5. sess. 25.

Quid si Monialis non indigeret, nisi pro quadam animæ suæ consolatione, an tunc Episcopus posset hanc licentiam concedere? Crederem, quòd sic; Tum quia articulus mortis est causa sufficiens, eo enim in casu maximè indiget consolatione spirituali; Tum quia nullibi id prohibetur; Tum quia id probo Resolut. 5. num. 11.

DECISIO XLVIII.

An Nouitius moriturus, in domo paterna, professionem emittere possit?

EST priuilegium Pij V. incip. *Summi Sacerdotij*: extensum apud Confect. pag. 219. nouissimè ex parte relatum per Franciscum Pelizzarium Societatis Iesu in suo erudito Tract. de Monialibus cap. 9. num. 18. quo Nouitijs Monialibus, & per communicationem masculis indulgetur professio infra annum probationis, si tamen excesserint annum decimum sextum; quandoque autem causa infirmitatis de licentia suorum Superiorum tam masculi, quàm fœminæ reperiuntur in domo parentum, quod legitimè fieri posse docent omnes, an ibidem profiteri possint iuxta dictum priuilegium, an verò introducendi sint in sua Monasteria ad effectum legitimè professionem emittendi.

Ritè, & validè profitentur in domo parentum, quia hic, vel ille locus non est de essentia professionis, neque in dicto priuilegio prohibetur professionem fieri extra, neq; exprimitur, quòd fiat in Monasterio, sed vbique facta, & extrà Monasterium valida est, Nauar. consil. 40. num. 4. ex cap. fin. Qui Cler. cap. Porrectum, de regular. Nec obstat, quod in eo priuilegio dicatur, quod professio fiat *in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ*, quia ibidem subditur: *Vel alterius Superioris Nouitiarum ipsius Monasterij*; preterquamquod in eo casu Abbatissa potest, & debet delegare hanc facultatem alteri viro Religioso, vt id prestet, ne Nouitia suo remaneat destituta priuilegio. Neque obstat Breue Vrbani VIII. felic. record. incip. Religiosos viros; super professionibus per Regulares emissis non facto in locis designatis Nouitiatu, quod super casibus specialibus nihil determinat, sed tantùm disponit, quod professiones omisse, ex Nouitiatu non premisso in loco designato, sint nullius momenti.

DECISIO XLIX.

An Monialibus differri possit Iubilæum?

EPiscopus Monialibus suæ Ciuitatis publicauit Iubilæum post quindecim dies à promulgatione facta pro Ecclesiasticis viris, & Laicis vtriusque sexus, ad eum finem, vt Regulares, & alij Confessarij, qui Monialibus solent deputari, cum minori dispendio, & maiori commoditate possint suis inseruire Ecclesijs, & deindè etiam Monialibus. Nulla est difficultas, quin Episcopus ritè, & prudentèr id fecerit, tum ob allatum motiuum, tum ob alias rationes à me adductas supra decisione 29.

DE-

DECISIO L.

An Prælatus iustè ingressus Monasterium Monialium, vagando pœnas aliquas incurrat?

EPiscopus, seu Prælatus, aut Superior, finito negotio, propter quod ingressus fuit clausuram Monialium, debet statim egredi, & non vagari per officinas, vel alia loca Monasterij Monialium, cum non habet necessitatem, aliàs non excusarem saltem à peccato veniali, præcisa turpi intentione, nullas tamen incurreret pœnas, quia hæ infliguntur contra ingredientes sine legitima causa, non verò contra vagantes. Sanchez lib. 6. cap. 16. num. 69. Excusat etiam à veniali, quando mora est breuis, cum multis alijs citatis à Bonac. q. 4. de clauf. p. 5. num. 22. dum loquitur de omnibus ingredientibus, & finito negotio vagantibus aliquantisper, quia videtur, sic vsu receptum esse, vt testatur, inquit Bonac. Molfesius.

DECISIO LI.

An Monialis transiens à suo Monasterio ad aliud, plures incurrat censuras?

NEgatiua est responsio, nisi transeat ad Monasterium virorum, nam constitutio incip. *Decori, & honestati*. Pij V. extensa apud Confect. pag. 230. afficit excommunicatione Moniales egredientes illicitè, nulla mentione facta alterius loci, ad quem accedunt, ibi: *A Monasterijs præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare*. Confirmatur, quia ad ea, quæ raro accidunt, lex non adaptatur, l. Nam ad ea, ff. de legib. nam Monialis non egreditur, vt aliam clausuram ingrediatur, sed vt vagetur. Quod si Conuentum virorum ingrediatur, incurrit aliam excommunicationem, paritèr reseruatam, per Bullam incip. *Regularium personarum*. Apud dictum Confect. pag. 214. Pij V. iuncta alia eiusdem incip. *Decet Romanum*. Apud eumdem pag. 218. Quamvis alioqui stando in rigore termini, *Mulieres*, quibus interdicitur ingressus in clausura virorum, significantis tantùm mulieres Laicas, dici posset, Monialem ingredientem claustra virorum non incurrere eam excommunicationem, sed quoniã ratio est magis metaphysicalis, quàm moralis, ideò ingrediens non excusatur, non enim desinit esse mulier, quò ad conditionem fragilis sexus, & periculi.

DECISIO LII.

An incisio arborum, & lignorum venditio sit alienatio?

EPiscopus N. habet vineam diuersis arboribus vetustis ita occupatam, vt potiùs cedant illi in damnum, quàm vtilitatem, & ex illis, si incidantur pretium quinquaginta ducatorum recipietur venditis. Quærit duo, an possit committere dictarum arborum cæsionem; & pro suo vsu licito consumere pretium acceptum ex lignis venditis, sine illius pretij implicatione?

Potest vtrumque, & præcipere cæsionem arborum, & pretium distrahere, nulla obstante alienationis prohibitione.

Primum de cæsione arborum suadetur auctoritate diuersorum canonum, cap. Sinè exceptione 51. cap. Terrulas 52. 12. q.2. cap. Vt super, de reb. Eccles. non alien. in quibus locis ab alienatione prohibita excipiuntur inutilia, & damnosa, cuiusmodi illæ arbores, vt præfertur in casu; vndè iura habent, quod nomine alienationis prohibitæ venit tantum alienatio voluntaria, non autem necessaria inducens prudentem agricolam ad probabiliter credendum non prohiberi incisionem earum arborum, quæ magis damnosæ sunt, quam vtiles, l. Alienationes 13. ff. famil. ercifcun. Roman. consil.100. num.1. Gozadin. consil.103. num.21. ex illis Rota Roman. vol.4. decis.223. nu.3. Ita docent omnes de incisione arborum inutilium, & damnificantium Nauar. consil.6. de reb. Eccles. non alien. Rodr. tom.1. q.27.art.4. Quar. vt alienatio nu.33. in limit.2. Peyrin. ad constit.9. Iulij 2. num.18. & ex illis Tambur. tom.3. disp.13. nu.2. Faciunt, quæ refero Resolut.27. de alienat. num.14. de incisione vineæ. Et in his non requiritur solemnitas, secundum Doctores cum Borella consil.91. nu.24. Simon de Pretis consil. 109. num.18. Mascard. de probat. concl.75. nu.26. Capicia decis.113. num.4. M. Anton. lib.1. resol.5. nu.3. Tambur. cum citatis.

Secundum de distractione suadetur, quia nullum ius extat obligans ad implicationem pretij recepti ex venditione rei licitè alienatæ, nam iura prohibentia alienationem restringuntur ad res immobiles, & mobiles tantum pretiosas, cuiusmodi non est illud pretium, & pecunia, quæ seruando seruari non potest, l. Tristo §. fin. ff. de iure deliber. §. Constituitur, Inst. de Vsufr. Tum quia pretium illud immediatè non est ex arboribus, sed ex materia ligni iam præcisi, ac proindè rei mobilis, quæ non prohibetur alienari. Deindè fructus non prohibentur alienari, immò in illis necessaria est alienatio pro alimentis Clerici; sed illud pretium habet rationem fructus, ergo distrahi potest pro seruitio Episcopi. Demum tria spectari possunt in casu, incisio arborum, ligna resultantia ex incisione arborum, & pretium ex lignis venditis; incisio ex probatis fuit licita, ergo & alienatio eorundem incisarum, & distractio pecuniæ, nam hæc duo tamquam accessoria, & consequentia incisionem vti suum principale consequentur, ac proindè illius recipiunt naturam, & conditionem licitæ alienationis, & distractionis, accessorio enim inest idem ius, quod in principali, cap. Prudentiam 21. in fine, de off. deleg. glos. v. Iuramentum, cap. Si diligenti 12. de foro comp. Faciunt quæ dixi Resolut. 27. nu.42. & 74.

DECISIO LIII.

Quomodò differant inter se declarare, & eligere in contextu electionis?

IN contextu electionis quattuor simul coniunguntur actus. Primus est datio suffragiorum; secundus eorum collatio ad inuicem, quæ vocatur scrutinium; tertius scrutinij, & suffragiorum publicatio, idest, N. habuit tot vota, N. tot alia, &c. quartus demum est formalis electionis celebratio, quæ & eiusdem pronuntiatio

tio vocatur, id totum colligitur ex cap. Quia propter 42. de elect. cap. Publicato 58. eod. paucis id exponitur his verbis. *Publicato scrutinio variare nequeunt electores, cum sit facienda collatio, & electio celebranda.* Cap. cum ab vno 4. de sent. & re iud. in 6. cap. Sicut 21. de elect. in 6. Si in rigore iuris loquendum sit, eligere, & declarare electionem sunt vnum, & idem, quandocumque enim pronuntiatur electio, eadem etiam declaratur; videntur solum differre in hoc, quod huiusmodi pronuntiatio ex parte vocalium dicitur electio, quia per certam formam vnus ex vocalib. nomine proprio, & aliorum eligit communi actu, vt electio censeatur vna, & communis ex c. Cum ab vno 4. cit. de sent. & re iud. in 6. respectu verò aliorum audientium vocatur declaratio electionis factæ. De forma huius communis electionis, & eiusdem simul declaratione vide Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. num. 93. ibi: *Eligo, electumque pronuntio, & in communi coram vobis publico.* Ex quibus verbis deducitur vterque actus electionis, & eiusdem declarationis. Sigisin. dub. 40. de electione vtitur solum verbo eligo, ac proinde idem erit eligere, & declarare. In constitut. Vrbanis Conuentual. Francisc. in cap. VIII. Regul. tit. 9. *Nomino, publico, & denuntio, &c.* habent vim declaratiuam tantum, & supponitur electio facta in publicatione scrutinij. In meo ordine cap. 1. Regulæ pronuntians electionem vtitur verbo *Declaro*, & sic condistinguitur ab actu electionis.

Dixi, in rigore iuris vnum, & idem esse eligere, & declarare, quia hoc ipso, quod electio fit per pronuntiationem certorum verborum, quæ illam exprimunt, consequenter etiam per eadem verba declaratur. Nihilominus ex communi vsu loquendi distinguuntur inter se, itaut eligere comprehendat illos tres actus priores, declaratio verò illum vltimum pronuntiatæ electionis, declarare enim supponit rem declarandam existere. Sed hæc quæstio est magis metaphysicalis, quam moralis, ideò non vlterius procedendum est, cum parum vtilitatis sit. Hæc in gratiam cuiusdam patris Cupicini.

In facti contingentia, quando declaratio cadit tantum super tres priores actus, non tamen dicitur electio suum sortiri effectum, quia electio consumatur, & perficitur formaliter per quartum actum, consequenter huiusmodi declaratio non dicitur electionis, sed actuum disponentium ad electionem, ex quibus necessario sequitur, si maiorem partem consensisse constat, ita quod electores variare nequeunt, ex cap. Publicato 58. de elect.

DECISIO LIV.

An Parochus denuntiationes matrimonij omittere, vel postponere sine licentia Ordinarij possit?

NOn potest Parochus propria auctoritate, etiam stante suspicione malitiosi impedimenti circa futurum matrimonium, omittere, vel postponere matrimonio eiusdem denuntiationes, & publicationes; quod deducitur ex Tridentino cap. 1. de Reformat. Matrim. Sess. 24. illis verbis.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, deindè ante illius consumationem denuntiationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictę denuntiationes remittantur, quod illius prudentię, & iudicio S. Synodus relinquit. Omissio igitur, seu postpositio publicationum futuri matrimonij spectat ad iudicium Ordinarij, non ad Parochum, illa enim clausula: *Nisi Ordinarius, &c.* in fine dictæ dispositionis posita, refertur ad pręcedentia, vt habent vulgata iura, cap. Secundo requiris 41. de appellat. Ita tenet Sanch. lib. 3. disp. 7. num. 17. alios citans contra opinionem nonnullorum, qui oppositum sentiunt. Vide Barbosam ad hoc caput 1. de Reformat. Matrim. Sess. 24. à num. 49.

Sed difficultas non videtur plenè soluta, nam aliud est omittere simplicitèr denuntiationes, siue ante matrimonium contractum, siue post illius celebrationem, in hoc sensu nulli dubium est, Parochum nullatenus posse illas omittere, quia id esset relaxare, & dispensare in illis, quod facere non potest, cùm id sit munus solius Ordinarij, cap. fin. de dispensat. cland. & Trident. hic. Aliud est illas, quæ ordinariè pręmittuntur, in hoc casu, matrimonio postponere, nam posita suspicione malitiosi impedimenti, videtur esse in potestate Parochi illas postponere ibi: *Tunc vel vna tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus pręsentibus matrimonium celebretur, deindè ante illius consumationem denuntiationes in Ecclesia fiant.* Non dicitur hic, quòd Parochus petat facultatem postponendi denuntiationes, sed quòd illas faciat post contractum matrimonium ante illius consumationem, vnde illas postmodum dimittere non potest sine iudicio Ordinarij; neq; sic postponere illas est dispensationis actus, cùm non fiat contra decretum Tridentini, quod id expressè indulget. Igitur illa Clausula: *Nisi Ordinarius*, refertur ad omissionem quovis prętextu, siue simplicitèr, quia clarum est non adesse impedimentum, siue in illo speciali casu, ita quod solus Ordinarius dispenset in omissione denuntiationum.

DECISIO LV.

An S. Bonauentura obierit die Veneris 13. Iulij 1274.?

IN libello, cui titulus est. *Officia propria Sanctorum Ordinis Minoris.* in lectione 4. die 21. Iulij, octaua eiusdem Sancti habetur sequens clausula. *Anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, & suæ ætatis quinquagesimo tertio, hora matutina diei Dominicæ, quæ mensis Iulij erat decimatertia, ex humanis sublatus est.* Et in hoc conueniunt omnes Historici, qui de illo scripserunt, asserentes die Dominico ex hac vita migrasse. Ego autem re subtilius pensata, duce ciclo litterarum Dominicalium, qui nos ducit in cognitionem dierum hebdomadæ, decidi eius obitum in die Veneris verius, quia eo anno currebat littera Dominicalis G. quæ est præposita diei decimæquintæ Iulij, ita quòd ascendendo

do vsque ad diem decimum tertium, dat nobis hunc diem Veneris, vt manifestum omnibus. Et de hac re volui edoceri à Patre Luca Vadingo viro integerrimo, Cronista sui Ordinis eruditissimo, qui sibi complacuit ita respondere. *R. adm. P. Datas 22. Iulij recepi heri, ex quibus intellexi, te hæsitare circa diem obitus S. Bonauenturæ, an scilicet Dominico, siue potius hebdomadæ altero decessorit? Nullum hic subesse potest dubium, præterquam enim ita referatur in lectione officij à te citata, constanter ita habet Historia Concilij Lugdunensis secundi, in quo vir Sanctus decessit, referunturque boni quique authores. Vide, si placuerit tomum secundum nostrorum Annalium ad annum 1274. num. 9. 13. & 16. Facilè fuit in calculatione litteræ Dominicalis errare, diligentius rem examina, habita ratione numeri aurei, & mutationis factæ Calendarij, & omnia rectè cohærere perspicies. Vale mei memor in tuis Sacrificijs. Ex collegio Fratrum Minor. Strict. obseru. Romæ sub inuocatione S. Isidori 13. Cal. Septembris 1644.*

Hæc sunt verba formalia Patris Vadingi, me exhortantis, vt videam eius secundum tomum, ad annum 1274. cuius lectione aucta mihi fuit magis dubitatio, quam vt eam excuterem, siquidem duabus ex eius operis lectione obseruationibus ad hominem argumentor datam à me decisionem omnino confirmari, nam sub num. 9. asserit sessionem quintam Concilij II. Lugdunensis cęptam fuisse die Lunæ 16. Iulij 1274. & die præcedente S. Bonauenturam ad cælestia gaudia euocatum fuisse; dies autem præcedens, dico ego, fuit quidem Dominica dies 15. sed non fuit dies obitus, si decessit die decimatertia, vt omnes Cronistæ cum ipso Vadingo docent. Secunda obseruatio, est quia sub num. 32. asserit, Capitulum Generale Ordinis Minorum celebratum fuisse in die Pentecostes Dominica die 20. Maij, cui præposita est eadem Dominicalis littera G. Ex his manifestè deducitur etiam in sententia Vadinghi, Sanctum Bonauenturam obijsse die Veneris, non Dominico, nam littera G. Dominicalis præfigitur diei 15. Iulij, ac proindè ascendendo vsq; ad diem decimum tertium apparet dies Veneris mortis S. Bonauenturæ.

Tria dicit. Primum fuisse facilè errare in Calculatione litteræ. Secundum, quod habenda est ratio numeri aurei. Tertium, quod consideranda est mutatio Calendarij. In primò nullum constat contigisse errorem, quia reuera littera Dominicalis illius anni 1274. fuit G. ex deductis etiam per ipsummet Vadinghum, & ita habet Ioannes Lucidus, & ego exactè extendi litteras Dominicales, aureos numeros, epactas, & alia à Natiuitate Christi vsque modò. Circa secundum dico Numerum aureum nulla ratione conducere ad cognitionem dierum hebdomadæ, quod solum est proprium Dominicalis litteræ, quæ simul cum aureo numero ducit nos in cognitionem festorum mobilium, de quibus non est præsens difficultas. Quod ad tertium, correctio Calendarij sub Gregorio de anno 1582. quo contigit interruptio litterarum Dominicalium, non arguit mutationem, neque variationem earumdem litterarum in præcedentibus annis, cum firmæ, & inuariabiles necessariò manserint, vnde Clauius in Apologia Calen-

lendarij noui lib.2. cap.7. pag. mihi 301. negat ante Gregorium XIII. vmquam mutatum fuisse Ordinem litterarum Dominicalium. Tandem veritate huius mei dicti cognita, quam in re ipse sequebatur, respondit ita esse.

DECISIO LVI.

An Religiosus tempore Iubilæi habens casus reseruatos Papæ teneatur eligere Confessarium Episcopalem?

Religiosus tunc potest absolui etiam à suo Confessario Ordinario, quia illa clausula eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum ponitur ampliatiuè; & cum sit priuilegium, nemo cogitur illo vti, ex vulgatis iuribus; & hoc satis probatum fuit à me Resolut.34. num.50. allegatis Doctoribus, quibus adde Momignum Ordinis Minor. de obseruantia in suo Directorio me citantem serm.76.

DECISIO LVII.

An licentia absoluendi à reseruatis cum clausula. Donec abrogata fuerit. *Expiret morte concedentis?*

Non expirat, sed vlterius vim suam obtinet, donec à superiore reuocetur, quia præsumitur durare illa prior concedentis voluntas, hoc ipso, quod se explicauit velle licentiam durare, quousque reuocaretur; de reuocatione autem non constat; neque mors est causa abrogatoria, quia ad abrogationem requiritur aliquis formalis actus positiuus, qui per mortem produci non potest, cap. Si delegatus de off. deleg. in 6. Graff. tom.2. consil.1. de Pœnit. diff.1. nu.6. ergo non obstante morte ea licentia durat. Nec dicas, sicut cessant casus reseruati ab homine per mortem Episcopi, vt omnes docent, quos citaui Resolut.6. q.24. & resolut.39. q.3. ita & licentia ab illis absoluendi, par ratio ex morte vtriusque. Quia respondeo, primò, factum hominis posse etiam durare post mortem facientis, quando se explicat, vt in casu præsenti, ac proindè si Episcopus sibi personaliter reseruet casus cum ea clausula: *donec abrogauero*, pari passu curret reseruatio cum licentia; quod si absit clausula à reseruatione, cessabit hæc per mortem Episcopi, quia non se explicauit, vt reseruatio valeret post mortem, sicut voluit valere licentiam. Secundò, licentia est factum gratiosum, ac proindè ampliandum, reseruatio quid odiosum, consequenter restringendum. Et id docui Resolut.36. qu.9. num.38. Facit Diana part.6. tract.6. resolut.48. & Castro Palao.

DECISIO LVIII.

An successor generali reuocatione tollat omnes gratias à suo prædecessore concessas?

Episcopus, vel Generalis, seu Prouincialis concesserunt suis subditis diuersas gratias, & priuilegia absoluendi, & c. simpliciter sine vlla temporis limitatione, certum est, illas durare etiam post mortem, vel cessatione Officij, vt docent omnes, quos allegat

legat Sanctorus in suis Moralib. Comment. Constitut. cap. 7. Statuto V. & ego dixi præcedenti decisione. Has autem reuocare posse successorem, nullus dubitare debet, quia prædecessor non potest ligare manus sui successoris, cum non habeat maiorem illo potestatem, neque imperium super eum, par enim in parem non habet imperium, cap. Innotuit 20. de elect. l. Nam & magistratus ff. de arbitr. immò cum paris sint potestatis, & vna, & eademque persona reputentur, glos. v. viueret, cap. Significauit 36. de rescr. glos. v. Succedat cap. 11. de off. ordin. Sicut prior poterat reuocare, ita & successor; neque obstat, quod successor habeat iustam ignorantiæ causam Reg. 14. in 6. quia id intelligitur eius fauore, non in eo sensu, quod impediatur in functione sui muneris, cum Prælati in genere sciant similes gratias solere concedi subditis, & hoc sufficit, vt successor generali reuocatione omnes tollere valeat; & extrà rem non est, quod dicitur cap. 1. de constit. in 6. nimirum Summum Pontificem habere omnia iura in Scrimnio pectoris sui, & ideò reuocare leges suorum prędecessorum suis contrarias directè, licet de illis non faciat mentionem. Pari ratione Episcopus poterit generali edicto reuocare omnes gratias à suo prædecessore factas in materia absolutionis, quia vti eadem persona cum ipso fingitur habere cognitionem eamdem, quam antecessor habebat; & in hoc stet paritas ex illo axiomate.

Sanctorus supracitatus inquit: *An autem omnis reuocatio sufficiat, ambigitur, sed breuiter dicendum est, non sufficere quamcumque reuocationem, sed necessariam esse scientiam reuocantis, itaut si superior successor nesciens quas gratias suus concesserit prędecessor, dicat, reuoco omnes facultates indultas à meis antecessoribus circa absolutiones, &c. is concessa priuilegia non tollit. Portel v. Priuilegij cessatio num. 68. ratio est, quia nemo potest reuocare, quod nescit; nec æquiparari debet Papæ, qui censetur habere scrimnium legum in pectore, eò quod concessiones omnes archiuijs Apostolicis inferuntur; quod si secreta esset concessio, eadem ratio currit de Papa, ac de alijs superioribus, qui factas à prædecessoribus gratias ignorarent.* Hæc ille.

Sed contrà, quia in praxi videmus Episcopos generali edicto reuocare omnes Confessarios, quorum facultatum in specie scientiam non habent, sed tantum in genere, fundata in Bulla Pij V. 133. in Bullario incip. Romani Pontificis, vbi disponitur, quod Episcopus successor potest de nouo examinare Confessarios Regulares, quod communiter fit reuocatione licentiarum, aliter non possent reduci ad examen. Ratio adducta, quod ignorata non reuocantur, vt habet glosa v. Facti cap. 1. de const. in 6. non obstat, quia sufficit scientia in genere ex dictis; Neque placet, quod Papa ideò dicatur habere in scrimnio pectoris sui constitutiones Pontificias, quia illæ sunt registratæ in Archiuijs; sed ita dicitur, quia successor reputatur eadem persona cum omnibus suis prædecessoribus, ac proinde fingitur habere eamdem scientiam Bullarum Pontificiarum cum ipsis; scrimniū siquidem sumitur formaliter pro scientia, & cognitione, vt deducitur ex sequentibus verbis: *Statuta cum sint facti, & in facto consi-*

stant,

stant, potest probabilitèr ignorare. Ex eo igitur, quod scientiam habet constitutionum Apostolicarum, posteriorem condendo, priores contrariæ dicuntur reuocatæ, quamvis de illis non fiat expressa mentio; ex eo verò, quod ignorantiam habet statutorum inferiorum, non censetur illa reuocare, nisi exprimat; igitur sub voce Scrimnij venit agnitio, non materiale archiuiũ, in quo conseruantur Bullæ Pontificiæ; Glos. fin. cap. Pręterea 12. dist. 23. per Scrimniũ intelligit, quòd Papa dicitur habere omnia iura in Scrimnio pectoris sui per interpretationes, quia omnia iura tamquam propria interpretari potest, cùm censeantur à se condita. Applica omnibus Pręlatis successoribus, respectu suorum antecessorum, omnia enim eorum iura, facta, & concessa ratione officij censentur habere in scrimnio sui intellectus, & voluntatis, quatenus possunt facere quidquid eorum antecessores pręstare valebant. Demum Papa, & alij Pręlati gratias à suis antecessoribus secretò concessas reuocare possunt in his materijs, & huius confirmationem habemus in oraculis viuæ vocis à Gregorio XV. & Vrbano VIII. reuocatis.

DECISIO LIX.

An Superior localis, cui non competit licentiare ad Ordines, possit rogare Episcopum, vt dispenset super interstitijs?

QVidam Prouincialis in litteris dimissorijs ad Ordines, omisit eam clausulam: *Rogantes eum, qui te ordinaturus est, vt tecum dispenset.* An Prior, seu Guardianus possit rogare Episcopum, vt Religiosum suum subditum dispenset?

Respondetur affirmatiuè; Tum quia Superior localis forsan melius scit, an egeat tali ministro in propria Ecclesia, ergò si indiget, postulare potest gratiam ab Episcopo. Tum quia patet euidentèr, Prouincialem velle eum omninò ordinari, quantum est ex parte sua, cum licentiã dederit, ergò Superior localis supplere potest hunc defectum potiùs prouenientem ex obliuione, quàm ex voluntate Superioris maioris. Demum, Superioribus localibus id non prohibetur, sed tantùm dare licentiam recipiendi Ordines, quod est quid diuersum, & ex diuersis, cùm non fiat illatio, maximè in odiosis, potuit rogare, &c.

DECISIO LX.

An Episcopus à Superiore Regulari rogatus, dispensare suum Clericum super interstitijs, teneatur id facere?

EPiscopus Regularem ordinaturus, super interstitijs non dispensat, nisi expresè à Superiore ad id rogetur, ratio est, quia Episcopus ignorat, an Ecclesiæ Regulares indigeant huiusmodi ministris, ideò rogãdi sunt à Superioribus, qui tenentur in litteris dimissorijs fidem facere de huiusmodi necessitate, seu indigentia. In Ordinibus Minoribus sufficit rogare, quia nulla requiritur causa ad dispensandum super illorum interstitijs, cùm dicatur Sess. 23. cap. 11. id relinqui arbitrio Episcopi, ideò etiam sine causa potest illos omnes simul conferre in eadem ordinationẽ, nam illa clausula:

Arbi-

Arbitrio suo, seu hæc alia: *Prout sibi videtur expedire*, ex adductis à Menoch.lib.1. de arbitr.q.8. num.35. addita iam habenti potestatem, importat absolutum arbitrium, & voluntatem agendi iuxta potestatem anteà habitam, immò quo ad modum agendi ampliatur. In Ordinibus verò maioribus non sufficit arbitrium ad dignè conferendum Ordines, sed dispensatio super interstitijs infrà annum inter vltimum minorem, & Subdiaconatum facienda est ab Episcopo, posita causa necessitatis, aut vtilitatis Ecclesiæ ab eodem iudicanda ex cap.11. citato Sess. 23. Subdiaconus verò infra annum promoueri non potest ad Diaconatum, nisi aliud Episcopo videatur, ibidem cap. 13. Diaconus autem ad Sacerdotium non potest infra annum promoueri, nisi ex necessitate, & vtilitate aliud Episcopo videbitur. Igitur Episcopus Religiosum non ordinabit, nisi sibi constet in litteris dimissorijs adesse vtilitatem, seu necessitatem ab vltimo minore ad Subdiaconatum, ad Sacerdotium verò, nisi vtrumque concurrat, ita quod infra annum illos Ordines non conferet, nisi expresè Superior Regularis petat dispensationem super interstitijs, expressa causa indigentiæ similium ministrorum in propria Ecclesia. Censetur autem adesse indigentia, licet vnus, vel alter similis minister habeatur, & necessitas Sacerdotum regulatur ab obligationibus, aut etiam à subuentione paupertatis. Demùm ad rem nostram Episcopus, stante necessitate, tenetur dispensare, quia tunc est debita; nec obstat verbum, *Rogamus*, quia apponitur reuerentiæ gratia, & ex vrbanitate, præterquamquod Superior Regularis non est supra Episcopum, nec illius Prælatus, ideò rogatur.

DECISIO LXI.

Quæ causæ moueant S.C. ad concedendum licentiam alienandi Regularibus?

EX tribus causis in Curia Romana Regularibus expediuntur licentiæ ad alienandum. Prima est indigentia victus, & vestitus, arg. cap. Aurum 68. 12.q.2. vbi pro alimonia pauperum res Ecclesiæ alienantur; debet autem esse grandis necessitas, ita vt aliundè sibi prouidere non possint, nisi æs alienum contrahendo cum magno detrimento Monasterij, & hæc causa continetur sub ea, quam iura vocant necessitatem. Secunda est solutio debitorum, ex cap. Hoc ius 3. 10. q. 2. Nauar. tom.2. de alienat. num.3. ita vt creditoribus alio modo non possit satisfieri, sufficit tamen probare existentiam æris alieni. Tertia est implicatio pretij ad meliorem vtilitatem, cap. Sine exceptione 51. 12. q.2. ibi: *Nisi fortè aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat*. Pono exempla aliqua, melior profectus est, si census iura vniantur propè eundem fundum, quã vt diuisa remaneant. Similitèr petia terræ separata vendi potest, vt ex eius pretio alia ematur contigua possessioni. Item domus pretium implicari potest in augenda possessione, &c. Prima causa habet locum apud illos Regulares, qui non viuunt ex mendicitate quotidiana, cuiusmodi sunt Monachi, & nonnulli militantes sub Mendicantium titulo, sed non mendicant actu, immò quandoque locum

habe-

habere potest apud mendicitatem exercentes in ijs locis, in quibus caritas refrigescit, vel populi multum grauati sunt ob bella, itaut vix ipsi viuere possint.

DECISIO LXII.

An spes reducendi Luteranos ad fidem sit causa sufficiens dispensandi cum Religioso, vt ducat vxorem?

SVfficit hæc causa, quando Summo Pontifici constabit testimonio ipsorum Luteranorum de illorum futura conuersione. Probatur, quia quando ex matrimonio resultat maius bonum, quam ex voto continentiæ, videtur concedenda dispensatio, quia in voto semper commutatio est in melius permissa, & ideò facta comparatione ad bonum publicum, si ex matrimonio verisimiliter sequi potest maior complacentia Dei, tunc dispensatio concedenda est, Cardin. in cap. Cum ad Monasterium, de regul. §. Abbas nu. 6. Host. ibidem. *Et Deo magis placente.* Abbas nu. 2. §. Nam Monachatus. Ioan. Andr. in reg. Semel Deo, de regul. iur. num. 5. & 6. dicit, quod si per Matrimonium alicuius solemniter viuentis possit pax procurari, vel patria infidelis ad fidem conuerti, absit, quod his casibus Monachi continentiam præferamus tanto bono. Petrus de Anchar. super dictum cap. Cum ad Monasterium num. 24. & alij cum eo diuersi, quod Deo plus erit placitura conuersio creaturæ rationalis, pro qua carnem assumpsit Christus, & subire mortem pro eius redemptione voluit, quam continentia Monachalis. Et quod Summus Pontifex super voto solemni possit dispensare in ordine ad Matrimonium, docent ferè omnes, quos pro se citat Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 8. num. 7. vbi ferè centum Doctores vocat. Ego resolut. 85. num. 22. Nec facit difficultatem, quod Doctores exemplificant in publica vtilitate vnius regni, quia inter ipsos nonnulli loquuntur etiam de publica vtilitate vnius Prouinciæ, quod puto sufficere etiam vnius ciuitatis insignis, quia adest publica vtilitas.

DECISIO LXIII.

An nomine pauperum veniat Ecclesia?

PEtrus, & Ioannes fratres, de N. in suo vltimo testamento Oratorium quoddam domus suæ Iuspatronatum cum omnibus suis bonis reliquerunt ad effectum apud illud construendi Monasterium Monialium, sed post mortem eius Legatus Apostolicus informatus, quod erat impossibilis constructio Monasterij, concurrentibus eorum heredibus, dictum Oratorium cum omnibus suis pertinentijs vniuit consortio Præsbyterorum Ecclesiæ N. cum onere, quod Consortiales facerent eidem Oratorio laudabiliter deseruiri in diuinis &c. hoc adiecto, *Quod oblationes, quæ fierent eidem Oratorio, distribuerentur in festo Dominici Natalis in pios vsus pauperum, & præcipuè puellarum nubilium;* addita interminatione æternæ maledictionis in prædictos beneficiatos, si prædicta nō exequerentur ad vnguē.

Quæritur, an dicti Beneficiati possint vti illis oblationibus pro ornanda Ecclesia?

Dico,

Dico, quod possunt aliquando, data Ecclesiæ indigentia, illas oblationes expendere in emptione Paramentorum, Vasorum, & aliorum ornamentorum etiam de mente Testatoris, quia nomine *Pauperum* venit etiam illud Oratorium, Grass. part. 1. decis. lib. 2. cap. 100. nu. 3. & tom. 1. consil. 2. de furtis num. 15. Matienzo lib. 5. copilat. tit. 4. l. 6. glos. 7. num. 2. cum alijs multis in terminis Ianuarius Resolut. Moral. 61. per totam. Confirmatur, Tum quia est tam pius vsus, immò magis expendere illas oblationes in illo Oratorio, quam tradere alijs pauperibus, per illud enim immediatè honoratur Deus in Sanctis suis, per hoc verò tantum mediatè. Tum quia sub hoc nomine vtrumque æqualiter, & propriè venit, nam sicut hominum alij sunt diuites, alij pauperes, ita Ecclesiarum aliæ diuites, aliæ pauperes. Tum quia valdè consentaneum est, vt Oratorium hoc gaudeat de fructibus sibi oblatis, cum eius proprij magis dicantur, quam pauperum, cum tradantur à fidelibus in honorem Sancti Patroni illius Oratorij, & in signum beneficij accepti, ergo iustitia exigente debet, & ipsum sentire proprium emolumẽtum. Quare illas oblationes conuertendo interdum in vtilitatem Oratorij, aliquando illas distribuendo puellis nubilibus, adæquate satisfit voluntati testatoris; non sufficit autem facere tantum vnum, sed modò vnum, modo alterum præstandum est, quia copula *Et* vtrumq; comprehendit, cum particula *Præcipuè*, quæ aliqualem prælationem tribuit puellis.

DECISIO LXIV.

An Decreta de celebratione Missarum summarie legi possint?

Decreta huiusmodi in Compendium redacta legi possunt, & a Superioribus satisfit obligationi, quia ratio, cur legantur in mensa, est, vt memoriæ retineantur, & obseruentur, sed melius edis cuntur in compendium redacta, quam prout iacent lecta. Deinde compendium est breue Summarium continens totam substantiam eius, cuius est compendium, ergo legens compendium dicitur legisse totam Bullam compendiatam. Demum, certissimum est, dicta decreta legens vsque ad §. porrò ne vllo vnquam tempore, satisfecisse suo muneri, quia tenetur solùm legere Decreta de celebratione Missarum, quæ autem sequuntur ab illo §. non sunt decreta, sed clausulæ generales omnibus Bullis Communes.

DECISIO LXV.

An ieiunandum sit in Vigilijs Pentecostes Sanctorum Ioannis Baptistæ, Laurentij, & omnium Sanctorum?

1 Est communis consensus omnium fidelium has quattuor vigilias obligare sub mortali, non quidem ex præcepto legis, quia id nullibi in iure expressum reperitur, sed tantum ex consuetudine legitimè introducta, & tot seculis à fidelibus obseruata, vt docent Summistæ v. Ieiunium, Bonac. de præceptis Eccles. p. 5. Lessius lib. 4. cap. 2. nu. 66. Tambur. tom. 2. disp. 12. q. 1.

q. 1. de hac consuetudine habente vim legis, ac proindè obligare sub mortali testantur omnes Episcopi, dum in suis synodis enumerant prædictas vigilias sub præcepto cum alijs, vel saltem apponunt illas in suis Calendarijs, & apertè colligitur ex Rubricis Missalis tit. 18. num. 5. & Breuiarij Rubr. 6. num. 5. Habetur etiam in Rudimentis Doctrinæ Christianæ. Quare nescio, qua ratione Pasqualig. decis. 171. & 172. neget huiusmodi obligationem ieiunandi in dictis Vigilijs, leuibus ductus rationibus.

Probat, neque ex præcepto, neque ex consuetudine obligare, quia cum consuetudo æquiparetur legi, non debet, vt obligatiuum à consuetudine induci, quod non debet præcipi ab Ecclesia; sed consuetudo non potest acquirere vim legis, quando lex contradicit, quia tunc non potest præsumi confirmari à superiore, nec ipsum consentire dando vim legi. Vis huius argumenti in eo consistit, quod non potest introduci consuetudo habens vim legis, seu obligans sub mortali, cui expresè contradicit lex. Esto id esset verum in casu nostro, quod tamen falsum est, adhuc consuetudo habens vim legis induci potest, lege contradicente, iuxta ea, quæ tradunt Doctores cum Suar. lib. 7. de legib. cap. 7. num. 2. & cap. 19. num. 18. Pontio lib. 6. de matrim. cap. 6. num. 19. Bonac. de legib. p. fin. §. 3. num. 36. ratio est, quia inter effectus consuetudinis vnus est, quod legem potest derogare cap. fin. de consuet. Lex autem aduersatur consuetudini tripliciter, primò, quando illam expresè tollit iam inductam; secundò, quando respicit futuram consuetudinem simpliciter, nihil disponendo contra eam; tertiò quando lex expresè damnat futuram consuetudinem contra se, quod contigere potest dupliciter, vno modo simplici prohibitione, similibus verbis. *Non obstante quavis consuetudine*, altero modo condemnando etiam, seu reprobando contrariam consuetudinem tamquam corruptelam. Ad rem nostram; ponamus legem ieiunij, hęc non potest esse, nisi prohibitiua intra tempus Paschale, quia non pręcipitur, sed prohibetur ieiunium, debet dicere Pasqual. vt eius argumentum teneat, modo hæc prohibitio non habet adiunctam reprobationem, aut interdictum contrariæ consuetudinis illo tertio modo, quia nullibi in iure reperitur expressum, quod non introducatur consuetudo ieiunandi tempore Paschali; remanet ergò, quòd lex huiusmodi contradicat consuetudini secundo modo, hoc est, nihil disponendo contra eam, sed quia repugnant ad inuicem, ideò vnum alteri contradicere dicitur, est autem certum apud omnes Doctores cõsuetudinem futuram contra legem, quæ de ipsa consuetudine nullam facit mentionem, tollere posse legem, si enim consuetudo reiecta à lege, quæ non est corruptela, destruit ipsam legem, Couar. lib. 3. Var. cap. 13. Sanch. lib. 7. disp. 4. num. 14. ex noua superueniente causa, à fortiori consuetudo solùm virtualitèr reiecta ex impossibilitate cum lege, quæ illam expresè non reprobat, poterit legem tollere; nec ab his dissentit Pasqualig. decis. 35. Deindè non video in iure legem prohibentem ieiunium tempore Paschali; neque illud pręcipientem, sed solùm ex Sanctis Patribus, & textib. adductis in dist. 76. per totam, Eccle-

siam

siam nihil disposuisse circa ieiunium, neque fidelibus imposuisse hoc onus, sed tantùm suasisse, vt videre est cap. Rogationes 2. dist. 3. de consecr. iuncta glosa. Argumentum autem Pasqual. supponit ab Ecclesia prohiberi ieiunium Paschale, alitèr eius argumentum nullam vim haberet, dum per illud intendit, non potuisse introduci consuetudinem ieiunandi, quia hæc repugnat legi, ergò hæc lex repugnans consuetudini, necessariò debet esse prohibitiua, cùm consuetudo sit preceptiua. Nec D. Thomas illi fauet, dum dicit ieiunium exultationis non cadere sub precepto, hoc enim vult indicare ab Ecclesia non precipi, non tamen prohiberi, quin consuetudine non possit induci; vnde Gratianus in cap. Scire 8. dist. 76. extremis verbis dicit, ieiunium hoc esse de generali consuetudine Ecclesiæ. Verum igitur est, quòd Ecclesia non precipit ieiunium Paschale, non ideò tamen illud prohibet, sed se negatiuè habet, nihil disponendo, quò ad obligationem, consequentèr consuetudo à fidelibus inducta non dicitur repugnare legi, sed esse preter legem, ac proindè argumentum nullius est momenti.

Probat secundò, quando non constat, consuetudinem inductam fuisse cum animo obligando, tunc præsumendum est, introductam fuisse tantùm ex deuotione; sed incertum est, an consuetudo ieiunandi his diebus inducta fuerit ex obligatione, an deuotione, ergò præsumendum est pro deuotione, consequentèr in dubio obligationis nullus subijcitur, quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem. Deduxi hoc argu- 6 mentum ex num. 4. Sed contra est primò, quia vertit in dubium id, quod omninò certum est apud omnes, prædictas Vigilias vsque modò esse in præcepto obligationis. Tum quia vox consuetudinis, quam vsque modò fideles vsurparunt, debet sumi secundùm propriam significationem, & secundùm potiorem eius sensum, & non secundùm impropriam, & inusitatam significationem, verborum enim proprietas in dubio non est omittenda l. fin. C. de his, qui veniam ætat. l. fideicommissum ff. de condit. & demonstr. verba siquidem in dubio debent intelligi secundùm naturalem eorum significationem, & non secundùm accidentalem, l. Ex ea parte §. In insulam ff. de verbor. obligat. l. Si quis ita §. fin. ff. de legat. 2. Tuscus lit. V. concl. 102. Menoch. de præsumpt. lib. 4. q. 81. num. 19. alios plures Barbosa Vaz. lit. V. num. 14. & vox simplicitèr vsurpata debet referri ad intellectum legum; modò nomen consuetudinis secundùm propriam, & naturalem significationem importat ius non scriptum pro lege susceptum, cap. Consuetudo 5. dist. 1. imitatur enim legem, & eius loco succedit, quum deest, cap. In his 7. dist. 11. & parem habet cum lege vim, & obligationem, l. De quibus ff. de legib. §. Ex non scripto, Instit. de iure nat. gent. impropriè verò; & secundùm accidentalem significationem idem importat, quod deuotio, apud Pasqual. & alios, est autem communis sensus Ecclesiæ, quod huiusmodi ieiunia introducta fuerunt ex consuetudine, ergò nomen consuetudinis accipiendum in potiori significatione. Tum quia multi Episcopi in suis Calendarijs distingnunt tria genera ieiuniorum, alia vocant ex

præcepto, alia ex consuetudine, alia ex deuotione, ergo secundum vulgatum loquendi modum, qui præcipuè attendendus est in moralibus, cap. Ex litteris 7. de sponsal. l. Labeo, ff. de suppell. legat. nomine consuetudinis venit vsus obligatiuus, & simpliciter excluditur deuotio à ratione consuetudinis. Tum quia si secundum Pasqual. prohibetur ieiunium Paschale, inducta consuetudo videtur potius ex obligatione, quam ex deuotione, eò quod nullus audet introducere deuotionem, quæ sit contra legem.
7 deuotio enim est actus bonus ex affectu erga Deum, & proximum, consuetudo verò si sit contra legem est
8 actus malus, quia initium capit ex actibus illicitis, Sanch. lib. 7. disput. 4. num. 14. ad finem, ergo cum hæc consuetudo ieiunandi tempore Paschali secundum Pasqual. sit contra legem, ab initio inducta fuit ex actibus illicitis, consequenter fuit consuetudo, ex obligatione, non ex deuotione, quæ non trahitur ex actibus illicitis. Tum quia esto ieiunium Paschale ab initio fuisset introductum ex deuotione, nonne postea potuit induci ex consuetudine, immò id tamquam certum colligitur ex praxi, & obseruatione huius consuetudinis, nam consuetudo tantam vim habet, quantam ei
9 tribuit vsus, & eius obseruatio, l. Quod verò contrà, l. Quod non ratione ff. de legib. Bald. in cap. 1. Qui feud. dare num. 11. Curt. sen. consil. 11. nu. 8. Socin. iun. lib. 2. consil. 101. num. 13. ex illis Rota Rom. vol. 4. decis. 74. Manticæ; sed obseruatio harum Vigiliarum ita se habet, quod quisq; ideò ieiunat, quia se tenet esse obligatum ad ieiunium, eò modo, quo lex ieiunij in genere præscribit obligationem sub mortali, obseruantia enim subsecuta declarat qualis sit consuetudo, sicut legem ambiguam interpretatur, l. Minimè, de leg. Craueta consil. 101. num. 11. ex M. Anton. lib. 1. resol. 81. num. 13. Tum quia in decis. 71. de lacticinijs in Quadragesima vetitis, iuxtà correctionem factam ab ipsomet Authore, num. 9. dicit Pasqual. quod consuetudo sicut interpretatur legem, ita etiam interpretatur qualitatem obligationis eius, & proindè accipienda est obligatio secundum mensuram, quam illi tribuit communis sensus fidelium, ergo pari ratione huic consuetudini ieiunandi tempore Paschali tribuenda est illa obligatio, quam communis sensus fidelium dat, nimirum obligationem sub mortali, ergo dicenda est consuetudo ex obligatione, non ex deuotione.

Numero quinto respondet Doctoribus affirmantibus, hanc consuetudinem inductam esse animo se obligandi, illos non posse testes esse sufficientes huius rei, quia non fuerunt contemporanei illis, qui consuetudinem introduxerunt; neque aliquod motiuum afferunt hoc probans; & asserentibus hoc motiuum: Quia communis sensus populorum tenet, quod fuerit introducta cum tali animo se obligandi. Respondet, hos habere talem sensum, quia asserunt, fuisse inductam cum animo se obligandi, consequenter committunt vitiosum circulum. Duo hic sunt expendenda, primùm illos testes de consuetudine obligandi non sufficere, alterum committi circulum hoc argumento. Communis sensus populorum tenet hanc con-

consuetudinem obligare, ergo est inducta ex obligatione, & non ex deuotione.

10 Primum de testibus, sciendum est in casu nostro, quamuis leuem coniecturam, & præsumptionem sufficere, eo quod hic de nullius agatur præiudicio, immò consulatur conscientiæ cuiuslibet fidelis, vt permaneat cum hac bona intentione, & opinione hanc consuetudinem obligare, ne se exponat periculo peccandi, maximè cum agatur de re antiquissima, de cuius initio non extat memoria. Ego in testem adduco Gratianum omni exceptione maiorem, qui glosa fin. cap. Scire 8. dist. 76. ita loquitur: *Immò Vigilia Pentecostes necessario ieiunanda est.* Item ibidem. *Sed quod ieiunari debeat; hoc habet Ecclesiæ consuetudo generalis.* Gratianus testis antiquissimus, quia hæc scripsit an. 1150. Considera benè illa duo verba *necessario*, &, *debeat*, quæ sine dubio important obligationem, de dictione *Debet* latè Barbosa dist. 77. de verbo *Necessario* Sanchez lib. 6. cap. 4. n. 38. ergo inferendum est hanc consuetudinem, de qua testatur Gratianus, esse ex obligatione, non ex deuotione, neque enim necessitas stat cum libertate, ex cap. Qui fitit q. 33. q. 5. ibi: *Quos castrauit voluntas, non necessitas.* cap. Querelam 10. de iure iur. ibi: *Non necessitate, sed voluntate.* Non potest igitur hæc consuetudo intelligi introducta ex deuotione, quia deuotione liberè, & voluntariè fiunt, non ex necessitate, secundum quam ieiunandum est secundum Gratianum.

Quod in antiquissimis sufficiat, quamuis probatio docent communiter omnes, Bartol. in l. Si quis ex contrarijs §. fin. de eden. Dec. consil. 577. num. 3. & 12. Rota Rom. vol. 2. decis.

11 95. nu. 17. Ita quod sufficiunt etiam verba enuntiatiua, ex Iasone lib. 2. consil. 56. n. 1. Paris. Cardin. cons. 104. num. 47. cum alijs alter Paris. de Confident. q. 28. num. 225. sufficit etiam

12 fama, ex alijs Doctoribus ibidem allegatis ibidem num. 226. Si ergo quæuis probatio leuis sufficit in antiquis, etiam quando agitur de alterius præiudicio; à fortiori in antiquissimis, in quibus de nullius præiudicio dubitatur, simplex assertio adæquatè probabit.

Secundum de circulo vitioso ostéditur abesse à dicta probatione, nam circulus tunc contingit fieri, quando idem probatur per seipsum ex Arist. 1. Poster. T. 6. Sed in casu nostro aliud est consuetudo, aliud est communis sensus fidelium, quod ea consuetudo sit inducta ex obligatione, siquidem consuetudo, de qua est quæstio, an obliget, est quid prius ad illum communem sensum, cuius obiectum est ad ferendum iudicium de obligatione, ille verò communis sensus est iudicium inferens obligationem in consuetudine præcedente; consuetudo enim sicut, & habitus, fit ex frequentatis actibus vniformibus ex c. Consuetudo 5. dist. 1. oritur enim ex communi vsu populorum, & licèt consuetudo, sicut habitus, quatenus sunt effectus actuum, qui se habent tam-

13 quam causæ dantes esse illis, sint posteriores actibus illis dantibus esse, nihilominus actus qui ab homine exercentur secundum habitum, aut secundum consuetudinem, dicuntur posteriores ad ipsum habitum, & consuetudinem, quia horum sunt effectus,

consequentèr cùm ex his actibus posterioribus sit ille communis sensus indicandi, obligationem esse annexam consuetudini, quæ est prior eisdem actibus, sequitur non committi circulum.

Numero sexto ait, quòd si assertio illorum Doctorum facit opinionem probabilem, probabile quoque erit dictum aliorum, qui dicunt eam consuetudinem non esse inductam cum tali animo, & citat pro se D. Thomam, vt suprà, dicêtem, ieiunium exultationis esse ex instinctu Spiritus Sancti, quem cùm quisque habeat, hinc inferri non potest, hoc exultationis ieiunium esse ex obligatione extrinseca, proindè quisque suam potest sequi opinionem. Duo dicit, vnum, suam opinionem esse probabilem, cùm sit aliorum dictum; alterum, ieiunium exultationis secundùm D. Thomam nō esse ex consuetudine obligatiua, cùm sit ex instinctu Spiritus Sancti.

Illud de sua opinione admitti non potest, quia nullus pręter ipsum negat, Vigiliam Pentecostes obligare, neque illi fauent Gratianus, & D. Thom. dum dicunt, huius Vigiliæ ieiunium non esse in præcepto, intelligendi enim sunt de pręcepto legis, non de pręcepto consuetudinis, vt supra attuli responsiones vtriusque. Itaque nullum habet hæc opinio auctorem pręter Pasqualigum, qui tamen in hoc nullatenus sequendus est, quia ea non est opi-
14 nio probabilis, cùm nullo solido fundamento nitatur, sed & relaxatiua obseruantiæ ieiunij iam in tota Ecclesia ab ineunte Ecclesia inducti.

Alterum de ieiunio exultationis ex instinctu Spiritus Sancti nihil concludit, quia Spiritus Sanctus, non solùm inspirat, & mouet ad deuotiones, sed
15 etiam ad obligationes; nonnè leges, consuetudines, vota, & huiusmodi obligantia sunt ex instinctu Spiritus Sācti? omne ènim, quod bonum est, Spiritus Sanctus inspirat. D. autem Thomas solùm probat, non esse sub pręcepto legis, non verò negat, posse induci ex consuetudine.

Numero septimo probat eam consuetudinem non fuisse inductam animo obligandi, quia eā non debet pręsumi, nisi quando ea potuit rationabilitèr induci; pręsumitur autem rationabilitèr induci, si tunc potuisset induci etiam lex de eodem ieiunio, nam consuetudo est altera lex, & pro lege suscipitur; sed tunc non poterat sanciri ea lex; & quia tempore Paschali prohibentur ieiunia, cap. Scire dist. 76. vnde non ieiunatur in Vigilia Apostolorum Philippi, & Iacobi; & quia ieiunium exultationis non cadit sub præcepto ex D. Thoma.

16. Poterat Ecclesia tempore Paschali indicere ieiunia, quia nullum inde absurdum, neque enim ex eo, quod illa non sanciuit, benè infertur, nōn potuisse, quia ex omissione non infertur impotentia, ex cap. Sciscitatus 13. de rescr. sed negotij non factio. Nec quicquam probant illæ duæ rationes, prima quidem, quia in iure non reperitur expressa huiusmodi prohibitio ieiunandi, sed in hòc ius se habet tantùm negatiuè, idest non præcepit ieiunium, neque illud prohibuit volentibus ieiunare, sed vnumquemque reliquit in suo sensu ex instinctu Spiritus Sancti. Et hoc clarè habetur in citato capite, quod est D. Ambrosij ibi: *Itaut hoc omni tempore, neque ad obseruandum indicamus ieiunia.* Et paulò

infrà.

infra. *Non ergò ieiunamus in hac Quinquagesima*. Ecce quod Ecclesia se habebat negatiuè. Ex quibus colligitur nullum fuisse præceptum indictum ieiunij, neque eiusdem prohibitionem, ergò benè potuit induci consuetudo, quia etiam poterat sanciri lex ieiunij. Deindè, demus, adfuisse legem prohibentem ieiunium Paschale, quod tamen ibi non asserit D. Ambrosius, neque id colligitur ex eius sermone, adhuc negari non potest, quin Ecclesia potuisset introducere legem ieiunij, quia legislator priorem legem tollere potest per posteriorem. Secundà, quòd ieiunium exultationis non cadat sub præcepto, nihil probat, quia tantùm ex ea infertur, quòd Ecclesia nihil disposuit per modum legis circà hoc ieiunium, non verò probat ieiunium huiusmodi per Ecclesiam non posse subijci præcepto legis.

17 Sub numero octauo dicit, consuetudinem non esse obligatiuam, nisi sit cum consensu Superioris, quia Communitas sine capite imperfectam habet potestatem condendi leges, & consuetudines obligatiuas introducendi, ita quod nihil facit. Sed consuetudo hæc ieiunandi in Vigilia Pentecostes non potest esse introducta cũ huiusmodi consensu, quia quando lex durat in sua rationabilitate, & in sua obseruantia manutenetur à Principe, non potest præsumi consensus Principis contrarius legi; cùm igitur lex de non ieiunando in tempore Paschali maneat in sua rationabilitate, & manuteneatur à Principe in sua obseruantia, non potest præsumi consensus ipsius, pro introducenda consuetudine.

Dico in prædictis ieiunijs non solùm præsumi consensum Superioris, sed apertè haberi ex adductis à Gratiano, ex Rubricis Breuiarij, & Missalis, & Summi Pontifices obseruarunt talia ieiunia. Præterea falsum supponit, prohiberi lege ieiunia Paschalia, quod tamen esse falsum superiùs ostendi, vndè falsum etiam est, hanc legem, quę non est, manuteneri à Principe, in sua rationabilitate.

Demùm loquendo in specie de Vigilia Præcursoris, Vrbanus VIII. decreuit in eadem non esse ieiunandum, sed feria 4. quando contingit ea Vigilia in die Solemnitatis Corporis Christi, ergo signum certum est, eam omninò obligare. Bullam refert Peyrin. ad calcem tomi 3. typis Venetis.

DECISIO LXVI.

In qua Ecclesia sepeliendus foraneus?

PEtrus habens domicilium in villa, infirmitate grauatus, facit se deferre in Ciuitatem, vt cōmodè possit vti medico ad depellendum morbum, vbi in domo amici mansit multis diebus absque spe recuperandi sanitatem, à Parocho illius viciniæ Sacramentis receptis, morti vicinus redire intendit ad proprium domicilium, ad quod, dum se facit conducere, moritur breui in Ciuitate ante fores Ecclesię Regularis, sibi ministrato Pœnitentiæ Sacramento, efflauit ibi animam in manibus Sacerdotis, & parentibus adstantibus dixit, se velle sepeliri in hac Ecclesia Regulari.

Tres contendunt super mortui cadauer, Parochus ille, sub cuius vicinia nonnullos dies mansit, Sacramentis receptis; alter Curatus, in cuius Paro-

chia actu mortuus est; demum Religiosi illud cadauer prætendunt, tamquam suum, quia quasi in sua Ecclesia mortuus est, & cum sit exempta; nullum ius in ea, neque super re in ea exsistente quisquam Clericus sæcularis habet. Res defertur in iudicium.

Super dictum corpus ius funerandi, & illud leuandi spectat ad primum Parochum, colligitur id ex Synodo Pompeiana tit.40. ibi: *Extraneorum itinerantium, qui super hospitio, vel etiam in domibus priuatis moriuntur, cadauera sint Parochi, in cuius Parochia decedunt*. Ita docent Anton.Butrius in cap. In nostra, de sepult. num. 15. Lauor. tit.2. de prisco, & recenti funer. cap.11. num.144. Nec obstat, quod adducit alter Parochus, in cuius Parochia actu mortuus est, facere pro se allegatos Doctores, & Synodum, non enim reuera mortuus est in Parochia primi Parochi. Quia respondetur censeri mortuum sub prima Parochia, à qua recessit, quia qui parum abest, abfuisse non censetur, ex sententia Sanctorum Patrum relata in Trident. sess.23. cap.1. ne vna quidem erat hora, immò neque semihora, qua discesserat à Parochiali, ergo haberi debet pro mortuo in priori Parochia. Deinde secundus Curatus nullum exercuit pietatis Officium in moribundum, ergo eius dicit nequaquam potest subditus. Primus verò administrauit Sacramenta, & in eius Parochia aliquot dies, ille habitauit, ergo mortuus subditur huic. Præterea merum est accidens, quod ibi mortuus est, erat enim in itinere, non in hospitio, neque in domo priuata, vt requirit Synodus. Corpus igitur quo ad funerationem fuit primi Parochi, quo ad sepulturam Religiosorum.

Nota illa verba: *In domibus priuatis*: Synodi limitata ad excludendas domus publicas, cuiusmodi sunt Hospitalia, & Monasteria, in quibus decedentes sepeliuntur, & Parochus tunc nullum ius habet.

DECISIO LXVII.

De Clausura Religiosorum.

Conuentus N. ex parte sæpibus, & ex parte circumdatur mœnijs, & mulieres ingrediuntur, & ambulant per totum hortum, etiã in porticu supra quam sunt constructæ Religiosorum cellæ; modò Superior loco sæpium fecit locum munire solidis muris, & parietibus, vndè dubitat, an possit deinceps permittere ingressum mulieribus, vt anteà fiebat. Ratio dubitãdi est, quia totus Conuentus mœnijs circumdatus, sæpibus reiectis videtur acquisiuisse formalem rationem clausuræ, intra quam non licet aditus mulieribus.

Hæc clausura est tantum materialis, & non potest fieri formalis, hoc est, prohibitiua ingressus mulieribus, nisi per aliquem actum humanum Superioris, aut consuetudinis. Quarè vt non amplius pateat illuc aditus mulieribus, necessarium est, vt Superior maior ex suo officio legitimè condat ordinationem, per quam declaret, totum Conuentum etiam ex parte viridarij esse clausuram, ad quam prohibetur ingressus mulieribus, & id registrandum est in libris Prouinciæ, & illius Monasterij. Vide quæ dixi supra decis. septima.

Potest

Poteſt etiam introduci conſuetudine prohibitiua, vt ſi per Fratres non amplius admittantur mulieres, ſed volentes ingredi arceantur, tranſacto enim ſufficienti tempore clauſura incipit eſſe formalis, ac proindè eius tranſgreſſores incurrunt pœnas. Tempus autem ſufficiens, ſeu longæua conſuetudo inducens legem dicitur decennium ſecundum Doctores apud Bonac. de conſuetud. num. 31. Diana reſolut. 3. de conſuet. nihilominus in caſu præſenti quinquennium iudicarem tempus ſufficiens ad inducendam hanc legem clauſuræ. Quod ſi ſuperior nihil decernat, nec Fratres abſtineant ab introductione mulierum, nunquam euadet clauſura legalis ob dictam rationem, quia non conſtituitur niſi per actus humanos ad eam ordinatos. Ita Sanctorus citatus prædicta deciſione ſeptima.

DECISIO LXVIII.

An ordinatio facta an Episcopo in viſitatione duret poſt eius mortem?

DVrat tantum dum Epiſcopus viuit, aut dum manet ibidem Epiſcopus, quia huiuſmodi ordinatio non eſt lex, neq; ſtatutum, de cuius ratione eſt perpetuitas, ſed tantum quoddam præceptum, & factum hominis, quod ceſſat per mortem eius, qui illud fecit, vel per amotionem ab Officio; eſt communis ſenſus Doctorum diſtinguentium inter legem, ſeu ſtatutum, & præceptum, quod illud perpetuò durat, hoc ad tempus vitæ præcipientis. Silu. v. Mandatum n. 3. ex illo. Sanch. lib. 7. diſp. 2. num. 13. lib. 8. diſp. 28. num. 47. vbi alios citat, Nald. v. Lex num. 2. v. Præceptum num. 2. Portell. v. ſtatutum num. 3. Quod huiuſmodi ordinationes ſint tantum præcepta, videtur probari ex eo, quod ſtatuta, & leges fiunt in Concilijs, Synodis, Capitulis, & Congregationibus per perſonas in illis Congregatas ſimul cum Superiore, & Capite; Epiſcopus autem, & alij Prælati, atque viſitatores non Congregant, dum viſitationis Officio funguntur, ergo non ordinant tamquam legiſlatores, & ſtatuentes, ſed ſolum vt præcipientes. Vide, quæ dixi Reſolut. 149.

Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. §. Sed Minores, & ex illo Auila cum Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 4. n. 6. dicit, quod ordinationes factæ in ſcriptis à viſitatoribus durant vſquequò reuocentur, licet viſitatores ſuum munus obierint. Quod confirmari poteſt ex eo, quod ſunt aliqui viſitatores, qui non ſunt permanentes, ſed tantum durant dum ſunt in via, & exercitio viſitationis, ac proindè durant tantum per vnum, & alterum menſem, ex quo cum eorum ordinationes, quæ habent tractum ſucceſſiuum ſuæ obſeruationis, parum, vel ferè nihil executioni mandari poſſint, abſurdum eſt, quod ille extinguantur cum ordinatore. Dico, ab ipſis ordinata durare viuente illo Prælato, à quo miſſi fuerunt, ſuum enim eſſe ab eo acceperunt vti ab illo delegati, delegatus enim vtitur poteſtate delegantis, & nihil proprij habet; ſi verò viſitatores ſunt permanentes ad trienniuni, &c. tunc ceſſantibus eorum Officijs, ceſſant etiam ordinationes.

DECISIO LXIX.

An statutum à Collegio factum, ab eodem reuocari, vel moderari possit?

COllegium Sacerdotum de licentia Episcopi fundatum habet hoc statutum, quod numerus Sacerdotum debeat ascendere ad numerum viginti,& nō supra, firmatum cum alijs Capitulis ab eodem Episcopo. Modò desiderat scire Collegium, an istum numerum viginti Sacerdotum reducere, & restringere possit ad decem tantùm, & hoc vellet facere ea ductus ratione, vt Sacerdotes decentiùs, & cum maiori commoditate possent suum exequi munus.

Possunt hoc statutum mutare reducendo numerum ad decem tantùm Sacerdotes, accedente Episcopi approbatione. Suadetur id; Tum quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; sed Collegium ipsum per se definiuit illum maiorem numerum Sacerdotum, ergò illum reuocare potest ad decem. Collegium enim nunc non est minus potens, quàm fuit ab initio, sed à principio poterat statuere numerum hunc minorem, ergo & nunc; nam eadem potestas necessaria est ad abrogandum, quæ ad ferendum legem, Auth. E contra C. de repud. Tum quia numerus Canonicorum ex causa diminui potest ex cap. Ex parte 12. de constit. ergò à fortiori iste numerus Sacerdotum simplicium. Tum quia in Capitulis huius Collegij nullum exprimitur prohibēs diminutionem huius numeri, neque apponitur iuramentum obseruantiæ, ergò de facili minui possunt. Tum quia Episcopus in illorum confirmatione nihil sibi reseruauit, neq; ea statuta fecit propria, sed tantùm approbauit. Tum quia vnum ex illis Capitulis habet, quòd ingrediens Collegium pro manutentione eius soluat quid certum, hoc autem non seruatur, sed quilibet gratis accipitur, & ingreditur, ac proindè hoc statutū cōsuetudine censetur abrogatum, ergò à fortiori reuocatione, & moderatione tolli potest hoc de numero Sacerdotum. Tum quia Capitulum Regulare statutum aliàs à se factum abrogare potest, vt probat Rodr. & Mirand. citati à Tambur. tom. 3. disp. 3. q. 7. quando non fuit à Papa confirmatum, & factum proprium, iuxtà quod dixi Resolut. 149. q. 15. in casu autem præsenti abest cōfirmatio Papæ, cum Capitula solùm ab Episcopo simplicitèr confirmata fuerint, & laudata. Tum quia Collegium singulis diebus vult se obligare ad cantandum Officium cum Missa pro defunctis, & diebus impeditis Missam currentem, & in festis Vesperas, ad quæ anteà non tenebantur, ergò per hanc nouam obligationem videntur esse tuti in conscientia, diminuendo illum numerum, quia potiori ratione augetur cultus Dei per hanc nouam obligationem, quàm quod diminuatur detractione numeri Sacerdotum. Firmatur ergò id totum auctoritate Episcopi, seu Vicarij Generalis, qui id confirmare potest, ex ijs, quæ habet Glos. v. Confirmatum cap. Cum accessissent 8. de constit.

DE-

DECISIO LXX.

An, & quomodò Iudex Regularis possit examinare Clericum, & Laicum?

QVando Iudex Regularis non potest deducere ad perfectionem, & effectum processum cęptum contrà proprium subditum Religiosum, defectu testium intrà ordinem, eo in casu potest vti testibus extraneis, quia concesso vno intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus illud vnum expleri non potest, cap. Pręteredà 5. in fine, cap. Prouidentiam 21. in fine §. Sexto, de off. deleg. l. cui iurisdictio ff. de iurisd. om. iud. Si indiget Clerico sęculari, debet petere licentiam ab eius Episcopo, seu Vicario examinandi illum, quia Iudex Regularis nullam iurisdictionē habet super Clericum sæcularem, quā proindè Vicarius per illam licentiam communicat eidem Iudici Regulari; hæc autem licentia necessaria est, quia Iudex exercet actus iurisdictionis, ę-xaminando testem, si quidem debet illum citare, & iuramentum præbere; citare autem est actus iurisdictionis, ex cap. Proposuisti, de foro compet. sicut & iuramentum deferre, Abbas in cap. Si qui testium de testib. Aretinus de obseruant. in sua praxi cap. 6. de testib. ergò nullatenus examinandus est à Iudice Regulari Clericus Episcopi, nisi de expressa licentia sui Vicarij in actibus processus registranda. Idem dicendum est de Laicis, qui examinari non possunt, nisi de licentia sui Principis, seu Domini, ob eamdem rationem. Similitèr, si Iudex indiget Religioso alterius Ordinis, immò sui Ordinis, qui illi non sit subiectus, neque regularitèr, neque titulo delegationis, debet obtinere licentiam extraneam examinandi, ob adductam rationem, alitèr à reo impugnari posset testis, tamquam nullitèr productus. Vide quæ dixi Resolut. 105. q. 5. Intellige illam licentiam esse necessariam de iure, quando Iudex Regularis ex suis constitutionibus aliud non habet in contrarium, si enim in illis habeatur statutum, quod Iudex sine licentia possit examinare extraneum volentem subijci, in eo casu non tenetur petere licentiam, & tenet processus quò ad eam partem. Rodriq. tom. 2. q. 11. art. 5. in fine, quem sequitur Spatharius de testib. tract. 7. cap. 3. num. 6. hoc idem docet, sed cum discrimine, dicendo Laicum à Iudice Regulari examinari posse, non solùm de licentia Laici Superioris, sed etiam Pręlati Ecclesiastici, & hoc habet in vsu Dominicana Religio, cuius Prouinciales committunt Prioribus causas criminales cum facultate examinandi Laicos de licentia Vicarij Generalis. Sed mihi id non placet, quia licèt Iudex Ecclesiasticus de iure communi, seu potiùs de consuetudine possit examinare Laicos absque vlla licentia Iudicis Laici, quovis modo agat contrà Clericum suum, immò & contrà alium Laicum, non ideò tamen hinc sequitur, quòd possit illum subijcere Iudici Regulari, cùm agatur de extraneo foro, quod non pertinet ad Episcopum, obtinenda est igitur licentia à proprio Iudice Laico, cuius est simplicitèr subditus; Episcopo autem secundùm quid in causis spiritualibus, & Clericorum sibi subditorum subditur.

DE-

DECISIO LXXI.

An Nuntius Apostolicus in sua iurisdictione possit Religiosum conuersum facere Clericum?

NOn potest, nisi id habeat expressum in terminis in litteris suæ Nuntiaturę. Ratio est, quia Regulares non solum ab Episcopis, sed etiam à Nuntijs Romani Pontificis sunt exempti, vt videre est in Bulla incip. *Dum ad vniuersos*, Sixti IV. in B. N. Bulla 10. ibi: *A quorumcumque prædictæ Sedis Legatorum, aut eius Nuntiorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, &c.* Concessum fuit priuilegium Canonicis Regular. Saluatoris Lateran. Aliud simile concessum fuit per Eugen. IV. Congregationi Vallisoletanæ Ordinis S. Benedicti; & aliud Ordini Camaldul, quod in Bull. Nouo, incip. *Rationi congruit*, Bulla 1. Pauli III. prout refert compend. Theatin. v. Exemptio. Confirmatur per alia priuilegia allegata à Tambur. tom. 3. disp. 10. q. 4. in qua probat pro curationem non deberi per Regulares Nuntijs Apostolicis, ergo signum est, quod nullum ius, & potestatem habent super Regulares; procuratio enim arguit iurisdictionem in eo, cui debetur, c. Sopite 14. cap. Cum nuper 25. de censibus cap. Cum sit 10. de simon. Ergo Nuntius non potest à statu conuersorum trãsferre Religiosum ad statum Clericalem. Et id maximè verum est, quia expresse prohibetur in constitutionibus Clementis VIII. de educat. Nouit. §. Tempore, ibi: *Sed qui ad conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.* Et aliter factum suum non sortitur effectum, tum defectu potestatis; tum propter graue præiudicium aliorum professorum, qui iure ægreferunt indignum sibi auferre primogenituram; tum quia non leuis irrogatur iniuria superioribus Regularibus, qui talem Religiosum iam iudicauerant ineptũ ad talem statum. Demum, si deferatur Nuntio, ad summum non poterit recipere ordines, & habere ius præcedentiæ, nisi prius dispensetur auctoritate Pontificia, seu Generalis ad gaudendum tali priuilegio, si aliàs Religiosum expediat manere cum priuilegio; igitur non à die transitus, sed à tempore gratiæ sibi factæ legitimè per Papam, vel Generalem incipiet gaudere priuilegijs Clericorum, tunc enim propriè Clericus euadit. Sed quid dicendum, quando Nuntius reuera non indulsit illi priuilegium, sed Religiosus petijt litteras peregrinationis asserendo se esse Clericum, an censeatur effectus Clericus, eò quod Nuntius in litteris patentibus eum nominauit Clericum? Nequaquam, quia sunt litteræ peregrinationis, non transitus à statu conuersorum ad statum Clericorum, & expressio illius qualitatis Clericatus in litteris tantum operatur, quantum anteà valebat illius probatio facta ore dicti Religiosi, nimirum remanet falsa, & nullius momenti in scriptis litteris, sicut talis fuit in voce. Vnde is Religiosus grauiter est puniendus delinquens in tam graui mendacio, & reijciendus ad pristinum statum conuersorum certo in loco infimiori collocandus. Quid si tenuisset priuilegium Clericatus (inquit ignorans) an vbiq;

esset

esset Clericus? Vtique, quia priuilegium hoc cum sit personale, sequitur personam quòcumque vadit.

DECISIO LXXII.

An Grammatica sacræ Bibliæ sit bona?

DIfficultas est circà bonitatem regularum ipsius Grammaticæ tantum, de bonitate enim intrinseca, seu eius veritate secundum sensum à Spiritu Sancto dictatum dubitare, maximum est hæresis Sacrilegium.

Dico, Latinitatem Scripturæ Sacræ, cuius Auctor est D. Hieronymus ex Hæbræo in Latinum, secundum vsum Romanæ Ecclesiæ, in nullo deficere à Regulis bonæ Grammaticæ. Probatur tum ratione confutatiua eorum, quæ obijcitur ab iniquis infrà; tū ex grauitate ipsius D. Hieronymi, qui in omni genere scientiarum etiam inferioris conditionis, erat peritus, vt ex ipso testimonia huius licet accipere, nam in Epist. ad Domnionem, & Rogatianum in Præfatione in Esdram, & Nehemiam hæc habet: *Nos autem, qui Hebrææ linguæ paruam habemus scientiam,* hoc dicit ex sua humilitate, *& Latinus nobis, vtcumque sermo non deest.* Volens insinuare Latini sermonis habere perfectam cognitionem, per illam particulam, *Vtrumque*, quæ qualitatem rei relinquit indefinitam; continuè enim ab incunabulis cum Grammaticis, Rethoribus, & Philosophis versabatur, vt dicit in Præfat. ad librum Iob, his verbis. *Vt qui Hebræorum sermonem ex parte didicimus, & in Latinè penè ab ipsis cunabilis inter Grammaticos, & Rethores, & Philosophos detriti sumus.* Et Præfatione in Daniel. habet hæc verba.

Denique, & ego adolescentulus post Quintiliani, & Tullij lectionem, ac flores Rethoricos, cum me in linguæ huius pristinum reclusissem, & multo sudore, multoque tempore: &c. Constat ex his in Grammaticis fuisse peritissimum æque ac quemlibet alium, qua ratione igitur nonnulli imperiti Grammaticuli tamquam asini ad liram rudunt? Idem relatus cap. Si quis 9. dist. 37. inquit. *Grammaticorum autem Doctrina etiam potest proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vsus assumpta.* Facit illud D. Pauli ad Ephes. cap. 5. num. 27. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam.* Quam sententiam Author Hymnorum nouorum adducit pro causa correctionis antiquorum, qui scatebant maculis, & rugis contrà regulas præsertim poeticas.

Sed dices cum Pedagogis, quorum proprium est censurare viros doctos in Grammaticis, dum sibi videntur deliquisse, quamquam aliàs rectè locuti fuerint; nullus antiquorum, vti Cicero eloquentiæ Romanæ pater, & alij post ipsum nunquam pronuntiarunt tempus ablatiuo casu cum præpositione *In*, vt sæpe fit initio Euangeliorum sic: *In illo tempore*, grauis error in Grammaticis, inquiunt isti. Ego respondeo, simili modò loquendi vsum fuisse Ciceronem, lege ipsum apud Nizolium dict. *In*, his verbis. *In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno.* Non excludit hanc postremam particulam secundum Grammaticam, sed secundum rei sensum. Item aliud exemplum ibi: *Hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore.* Idem Nizolius

v. Tem-

v. Tempus, refert sequentia. *In illo tempore*. Item. *Statutum in his temporibus Ciuitatis omnia perpeti*. Item. *In grauissimis temporibus Ciuitatis*. Item *Et quoniam in grauissimis temporibus Ciuitatis*.

Dices 2. legitur Isaiæ cap. 51. num. 4. *Lex à me exiet*, Lucæ 12. num. 59. *Dico tibi, non exies indè*. Apoc. cap. 11. num. 5. *Ignis exiet de ore eorum*. Verbum hoc compositum ex præpositione *Ex*, & verbo *Eo*, facit in futuro, *Exibo, exibis, exibit*, & non, *exiam, exies, exiet*, vt pluribus legitur in eodem codice sacro. Respondeo, aut esse futurum subiunctiui cum detractione litterarum R. & I. *Exiet*, pro *Exierit*. Vel tamquam singularem legislatorem verbum reduxisse ad regulam quartæ coniugationis, dico, *tamquam singularem legislatorem*, quia sicut licuit antiquis mutare inflexionē ex auctoritatibus adductis ab Emanuele Aluar. de verbis anomalis; ita absonum non fuit D. Hieronymo vnico legislatore, & Authore versionis Latinæ ex Hebręo Sacræ Bibliæ; prætérquamquod abs re non erit illud Imperatoris admoniti, quod errauerat cōtrà leges Grammaticas, respondere: Ex eo, quod Imperator est suprà omnes leges, potuit etiam esse suprà leges Grammaticæ.

Dices 3. in Breuiario, & Missali plures voces sublatæ fuerunt, quæ videbantur infectæ diuersis errorib. Grāmaticis, nam in Euangelio Dom. 21. Pentec. dicebatur in antiquis Missalibus. *Simile est Regnum Cælorum homini regi*. In correctis autem dicitur. *Assimilatum est Regnum, &c.* Et in Psalmo 131. num. 11. dicebatur. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum*. Modo errore discordantiæ dicitur, *Eam*, genere fœminino. Demùm omnes ferè Hymni, qui multis scatebant erroribus, expurgati fuerunt, & reducti ad leges Grammaticæ. Respondeo, rectè correcta fuisse illa duo loca priora ratione erroris lapsi ex typographia, nam correctio est iuxta verum sensum, & litteram S. Hieronymi. Hymni non sunt pars Sacræ Scripturę, vt dicitur à Correctore illorum, & satis id clarum est, & illorum errores erant contrà regulas Poeticæ, non Grammaticæ dictionis.

Dicentem oppositum non iudicarem satis firmum in fide Catolica, quia posito errore huius generis, alij resultare poterunt ex malitia hereticorum. Quare concludendum esse boni Catholici iudicium, nullo errore Sacram Scripturam esse consperſam.

DECISIO LXXIII.

De professione Monialium solemni, sed limitata.

MOniales Ordinis N. sub regimine, & gubernio Regularium N. videntes quorumdam Ordinum Monasteria à viris Religiosis auctoritate Apostolica subijci Ordinario loci, timentes huiusmodi mutationem, & subiectionem, in vnum congregatæ inierunt consilium, quęrentes medium efficax subterfugiendi huiusmodi subiectionem, si quandoque accideret contrà earum Monasterium, & re diuersimodè pensata cum Confessario, & Superiore Ordinis sui, condiderunt sequens decretum à Generali Ordinis firmatum, quod abiecerunt formæ suæ

pro-

professionis in hæc verba, deinceps recitanda cum ipsa professione. *Insuper me declaro, & protestor, me fecisse, & facere hanc professionem cum eo pacto, & conditione, vt tantùm valeat, nec alitèr, aut alio modo, nisi quamdiù sictero sub obedientia, iurisdictione, correctione, & obedientia Superiorum huius mei Ordinis, sub quibus viuo, & viuere intendo, alitèr nulla sit hæc mea professio, quam intendo facere solùm hoc modo, & non alitèr, nec alio modo.*

Professio Monialium non obstante præfato decreto simplicitèr valet, & eo modo, quo valent professiones ab antiquis Monialibus anteà emissæ, ita quod deinceps professiones nuncupatæ Deo, cum expressione huius decreti, nihil noui inducant, sed eosdem tantùm pariant effectus, quos gignunt professiones antiquarum, editæ sine illo decreto. Ratio est, quia illud decretum nullum est; quod suadetur. Tum quia professio regularis est perpetua, durante vita professi, vt docent omnes, & probaui Resolut. 120. q. 27. hoc autem decretum facit illam temporalem. Tum quia præiudicat summæ auctoritati Pontificiæ, qui omniũ Regularium virorum, & Monialium est supremus Prælatus. Sanch. lib. 4. cap. 24. num. 20. Tambur. tom. 3. decis. 82. à num. 3. ad 10. Tum quia sicut ad Papam spectat confirmare Regulam cuiuslibet Religionis, ita ad eumdem spectat mutare, vel addendo, vel detrahendo eidem, præcipuè in ijs, quę pertinent ad eius substantialia, intèr quæ computatur forma profitendi, quæ est quasi anima contentorum in Regula, sine qua nullius sunt momenti, ergò dictum decretum carens Pontificia confirmatione nullum est, sed tamquam malitiosum, & dolosum inuentum omninò reijciendum est; conditio enim turpis pro non adiecta habetur cap. fin. de condit. l. Non dubitamus 20. de condit. & demonstr.

DECISIO LXXIV.

An Notarius detrahat, vel addat instrumento absentibus testibus?

IN foro conscientiæ non peccat Notarius addens, vel detrahens aliquid ab instrumento partib. præsentibus, & consentientibus, quamvis testes recesserint, ratio est, quia lex, siuè statutũ fundatum in pręsumptione fraudis, & iniustitiæ non obligant coram Deo, quando adest veritas in cõtrarium. Ita Nau. tom. 2. de incompatib. benef. ex Felino, & Panorm. Rodr. tom. 3. q. 54. art. 6. de communi Megal. consil. 6. num. 11. Hoc autem statutum de non addendo, vel detrahendo est fundatũ in præsumptione fraudis, quæ abest in casu nostro, ergò non obligat. Confirmatur, quia testes adhibentur, ne per Notarium fiat fraus, & iniustitia partibus; sed non fit in præsenti casu, ergò licitè potuit Notarius addere, vel detrahere de consensu partium. Intellige de consensu omnium partium, quæ primò concurrunt ad stipulationem instrumenti, si enim vnus ex illis absens est, nihil addi, aut detrahi potest.

DECISIO LXXV.

An simplex Confessarius delegatus ad casus reseruatos possit subdelegare?

Confessarius ex gratia Episcopi, vel Prouincialis sui, si sit Regularis, vel alterius Prælati delegatus ad omnes casus reseruatos potest sub delegare exercitium absolutionis vnius, aut alterius casus petiti, & occurrentis. Ea est ratio, quia Episcopus, vel Superior delegando hanc facultatem communicauit illi non tantum nudum Ministerium absoluendi, verum etiam potestatem iurisdictionis, quæ cum sit ad vniuersitatem causarum in genere casuum reseruatorum, reputatur ac si esset ordinaria, ex iuribus, & Doctoribus allatis à Sanch. lib.3. disp.31. num.2. sed habens iurisdictionem ordinariam eam alijs delegare potest, cap. Aqua, de consecr. ergo, & ità delegatus subdelegare poterit exercitium ad casum in indiuiduo petitum, & non toties, quoties occurrerit. Ita Nauar. c.27. num.43. ex glosa cap. fin. de off. ord. respondendo cap. fin. de off. deleg. vbi apertè negatur huiusmodi subdelegatio, quod intelligendum est, non posse delegatum subdelegare, quando sibi concessum fuit nudum Ministerium, non autem, quando communicata sibi fuit etiam potestas iurisdictionis. Sequitur Nald. v. Delegatus nu.8. & 14. Graff. part.1. lib.1. cap.13. num.16. Peyrin. ad const.10. Vrbani VIII. num.14. Intelligitur communicata iurisdictio, quãdo omnes casus indistinctè conceduntur ad vnum, vel alterum annum, ita quod concessio non finitur per vnam, aut alteram absolutionem. Quod si concedantur hic, vel ille casus, vel pro tempore Paschatis, dicitur concessum simplex Ministerium absolutionis, ac proindè subdelegatio locum non habet.

DECISIO LXXVI.

An Cardinales absoluant ab hæresi?

Non absoluunt, quia licet gaudeant priuilegio Tridentini c. 6. sess.24. ex allegatis à Diana resolut.59. de Cardinal. tamen quia illud sublatum fuit per Bullam Cœnæ, ex opinione plusquam quadraginta Doctorum apud Barbosam ad dictum cap. num.66. ideò illo priuilegio non gaudent, sicut nec Episcopi; & quod in Bulla Cœnæ sub reuocatione comprehendantur etiam Cardinales colligitur ex illa clausula, ibi: *Episcopali, vel alia maiori dignitate prædictis.* Quæ Cardinalibus applicatur, cum sint supra Episcopos in maiori dignitate. Confirmatur, quia priuilegia absoluendi auferuntur Imperatori, & Regibus, quibus Cardinales comparantur, ergo idem dicendum de Cardinalibus.

DECISIO LXXVII.

An excusetur ab irregularitate occidens à tergo prætextu defensionis?

Sacerdos in rixa Sacerdotem abeuntem à tergo occidit vulnere lætali, & hoc fecit dubitans ne ab illo prius occideretur, quia & ille, qui occisus remansit, solebat arma breuiora

uiora deferre, occidens non potest se excusare titulo defensionis, quia ipse primò aggressus fuit verbis incitatiuis ad rixam alterum, ac proindè cum ab aduersario non dicatur aggressus, immò ipse sit aggressor, non potest se tueri titulo defensionis, cum alter nondum vim inferre cœperit armis, Bonac. q.4. de irregul. p.6. initio. Deinde mortuus nulla arma euaginauerat, immò alapa impicta alteri cœpit fugere timens, ergo nullum periculum mouebat alterum ad vulnerandum sui percussorem, si aufugit, non enim locus erat defensioni, vbi futura non erat offensio, cessauit enim aggressio per fugam arreptam, & Doctoribus allegatis à Sayr. lib.6. c.17. num.7. Præterea non fuit seruatum moderamen inculpatæ tutelæ, nam vnus pugno, alter se defendit vulnere lætali supra dorsum infixo, debet enim esse paritas armorum, cęteris parib. idem Sayr. cit. §. Tertio, Nald. v. Defendere num.1.

DECISIO LXXVIII.

An Concilium Generale possit absoluere ab hæresi?

ITa, quia potest tractare causas fidei, immò ad hoc, vt plurimum, cogitur, ergo & super hæresi ligare, & absoluere, siquidem statuit anathemata, ac proinde illa tollere potest absolutionę. Confirmatur ex ijs, quæ dixi cap.6. q.17. de Sacris Concilijs. Neque obstat clausula derogatoria, vt vult obstare Nald. ibi num.60. quia in ea nulla fit mentio de aliquo Collegio, sed tantum de personis, à quibus auferuntur priuilegia. Intelligo prædicta in foro conscientiæ, quod Concilium potest committere hanc potestatem alicui absoluendi in foro animæ, nam in foro externo nullatenus dubitandum posse.

DECISIO LXXIX.

An gratia impetrata ementito, vel suppresso nomine valeat?

QVando delictum, propter quod petitur gratia absolutionis, vel dispensationis, est occultum, & ideò delinquens non teneatur se prodere, iuxtà illud: *Non dico, vt te prodas*. Cap. Quis aliquando 8. dist.1. de pœnit. §. His auctoritatibus, l. Nimis graue ff. de testibus, gratia petenda est suppresso nomine proprio, cuius loco ponitur littera N. vel quid simile, fingere verò nomen non licet, quia in iure nominis mutatio præsumitur fraudulenta, l.1. C. de mutat. nomin. Si autem delictum est publicum, nulla est ratio supprimendi nomen, vel illud ementiendi, ideò casus fit dubitabilis, si aliud nomen effingatur, vt faciliùs gratia impetretur, aut eo fine, quia Superior si notitiam haberet petentis, non concederet gratiam, in hoc casu, gratia facta nulla est, quia si concedens cognitionem habuisset petentis, gratiam non fecisset. Si demum contingat error in nomine casu, & sine vitio, gratia impetrata valet, quia error proprij nominis gratiam concessam non vitiat, quando constat de corpore personæ; vt probatur arg. Instit. de legatis §. Si quis. *Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij testator errauerit, si de persona constat, nihilominus*

nus valet legatum. Ergò idem dicendum est in gratijs petitis à Superioribus, sunt enim quasi quædam legata, & donationes, quas faciunt suis subditis. Vide Bonac. de dispensat. p. 4. num. 6.

DECISIO LXXX.

An homicidium offensiuum, probatum per falsos testes, defensiuum sit dispensabile?

FAma est, quòd Titius Sacerdos in rixa occidit Paulum Laicum, ex processu resultat probatum homicidium defensiuum per falsos testes, quāvis ex parte rei, homicidium fuerit iniustum, & offensiuum. Petitur modus supplicandi Summum Pontificem, vt dignetur dispensare Sacerdotem probatum homicidam solùm defensiuum in iudicio fori externi, vt possit celebrare Missam, & alia diuina Officia, sicut faciebat antequam esset homicida? An in memoriali sufficiat exprimere, homicidium quidem in genere constare, & esse publicum, qualitatem verò iniustitiæ, & offensionis esse occultam, quia ex processu constat homicidium fuisse defensiuum, & iustum, non expresso, quòd ex industria, & per falsos testes id probatum fuit, ad effectum, vt faciliùs obtineretur dispensatio super irregularitate?

Taciturnitas falsorum testium non vitiat eam dispensationem, eò quòd hæc circumstantia sit extrinseca ad materiam huius dispensationis, in cuius petitione satis est exprimere, quòd verum est in foro conscientiæ, nimirùm, illud homicidium fuisse offensiuum, & in rixa; in foro verò exteriori per processum constare esse tantùm defensiuum; ex his enim duobus, Summus Pontifex sufficientèr mouetur ad concessionem gratiæ. Confirmatur, quia præsumendum est pro testibus, quod dixerint veritatem, nisi alitèr constet, sed in foro externo non constat de falsitate testium, ergò neque id in supplicatione exprimendum est in graue præiudicium testium. Vide Sanch. lib. 4. cap. 47. à num. 13. Bonac. p. 4. de dispensat.

DECISIO LXXXI.

An homicidium defensiuum excuset ab irregularitate?

CAius prouocatus occidit pugiunculo Titium prouocantem, quia ab hoc sibi mortem probabilitèr imminentem timebat, eò quòd in conflictu verborum viderat, Titium apponere manum ad sclopetulum. Immunis est ab irregularitate, si in defendendo se aggressorem occidendo seruauit moderamen inculpatę tutelę, vt docent omnes in cap. Si furiosus, Clem. de homicid. quia vim vi repellere omnibus licet secundùm iura naturæ, & Portellus v. Homicidium num. 29. dicit, hoc esse ita verum, vt probatione non egeat. Debent autem tria concurrere. Primum, vt seruetur æqualitas armorum, e.g. percussus gladio, se defendat repercutiendo gladio, aut minori instrumento, neque enim licet repercutere pugione percutientem pugno, de æqualitate armorum, Sayr. lib. 7. cap. 17. de censur. num. 7. §. Tertio, Nald. v. Defensio. Secundum, quòd incontinenti se defendat, durante rixa, quia alitèr defensio non

erit,

ærit, sed vindicta, vndè occidens aggressorem fugientem, iniquè agit, & incurrit irregularitatem, Sayr. lib.7. de cens.cap.17.num.15. Portell. num. 32. Tertium, quòd occidens alitèr non possit saluare vitam propriam, nisi interficiendo inuasorem, Sayr.lib.7. cap. 17.num.17. Bonac.q.4.de irregul. p.6. num.11. & alij communitèr. In casu præsenti verificantur illa tria, provt narratur in casu proposito, nam Caius se defendit pugiunculo contrà sclopetulum, qui ex genere suo infert mortem, & vulgus dicit, hoc genus armorum, *la pistola*, secum defert oleum Sanctum, quod Sacramentum in extremis laborantibus confertur. Deindè vulneratio contigit in ipsa rixa: & non poterat Caius fugere, nisi cum euidenti periculo vitæ, quia Titius iam manum apposuerat sclopetulo, ergò iusta fuit illius defensio cum homicidio aggressoris. Neq; Caius tenebatur expectare explosionem sclopetuli Titij, sed iustè preuenit, debilitando aduersarium, ne ab hoc occideretur, ista enim preuentio licita est, ex P. Nau. lib. 2. de Restitut. cap. 3. num. 248. & 349. Nauar. cap. 15. num. 3. Sayr.lib.7.cit.num.8. Defensio autem non dicitur necessaria, quando Clericus, & Religiosus fugere possunt, absque tamen periculo vitæ, alitèr est necessaria defensio, Sylu.v. homicidium 3.num.6.§. Secundum, Sayr. cit. num. 17. Quod si in aliquo excedat, incurrit irregularitatem, quæ dicitur ex homicidio casuali, dispensabilem, in quo sensu accipitur cap. 7. Sess. 24. Tridentini apud Nauar. consil. 36. de homicid.

DECISIO LXXXII.

An Sacerdos tempore vacationis teneatur celebrare?

QVidam Canonicus Regularis ex ordine sui Superioris tenetur ter in hebdomada celebrare ad tale Altare pro satisfactione onerum suæ Ecclesiæ; singulis autem annis in mense Septembri, vel alio obtinet à suo Superiore licentiam manendi extrà apud suos consanguineos recreationis causa. Dubium est, an teneatur ad eas Missas?

Vtique tenetur, quod patet ex eo, quod non eximitur à Superiore per eam recreatiuam vacationem; fauor enim, & gratia alicui non præsumitur concessa in præiudicium alterius; deindè nullus supplet illas Missas, ergò ipse tenetur. Id autem præstare potest duobus modis; primò illas celebrando anticipatè alijs diebus; solutio enim anticipata valdè vtilis est, & proficua creditori, vndè secundùm Inst. de act.§.Plus autem, qui antè tempus dat, plus soluit, & Anniuersaria, quæ essent celebranda die, quo occurrit Dominica, premittuntur in hebdomada. Secundò, easdem Missas celebrando suis diebus in alia Ecclesia; sufficit enim defuncto, si suffragium recipiat sibi debitum; & si interrogatus, an contentus esset celebratione in alia Ecclesia, vtique, si posset, responderet, sibi non displicere, cùm non minus valeat Missa in Ecclesia non designata, quàm in designata. Satisfaciat ergò Sacerdos vno ex his modis.

DECISIO LXXXIII.

An S. Conradus fuerit professus Tertij Ordinis S. Francisci?

RAnutius Picus Parmensis in Annotat. vltima super vita S. Gulielmi Ducis Aquitaniæ §. Ma à questo, asserit S. Conradum Placentinum non fuisse professum Tertium Ordinem S. Francisci, ita loquens. *Il qual seruo di Dio, benche portasse l'habito conforme à quello dell'Ordine Serafico di San Francesco, non s'astrinse però mai à quella Regola.* Et paulò inferiùs repetit. *Oltre che mi vaglio del medesimo essempio, addotto di sopra del B. Corrado, il quale, benche, come appare dalla sua vita, nel principio della sua Conuersione, si trattenesse alcun tempo con alcuni Religiosi del Terz'Ordine di San Francesco, e prendesse l'habito da loro, non per questo rimase obligato al loro instituto, mà fù vago, & secolare romito, come chiaramente si raccoglie dalla detta vita, molto eccellentemente descritta dall'Auttore di sopra allegato.* Prædictus D. Picus adduxit hoc de S. Conrado, probans S. Gulielmum verè non fuisse professum Regulam S. Augustini, sed Eremitam simplicem, & vagum, nulli Regulæ addictum, sed quicquid sit de S. Gulielmo, meum est probare S. Conradum verè & propriè detulisse habitum Tertij Ordinis S. Francisci, & eius Regulam professe more Tertiariorum Sæcularium.

Punctus difficultatis in eò consistit, an professus fuerit Regulam Tertij Ordinis, cuius habitum detulisse constat, quòd probatur primò quidem ex certa delatione habitus, nam habitus indistincti delatio per annum arguit professionem tacitam eius ordinis, cuius habitum assumpsit persona, cap. Ex parte 22. de Regular. Cap. 1. eod. in 6. Nauar. consil. 20. n. 1. de Regul. & alij communiter; modò constat authenticè D. Conradum detulisse habitum Tertij Ordinis, vt clarè dicitur in eius Officij diuini quinta lectione à S. Congreg. approbata, illis verbis. *Ipse abijt in regionem longinquam, & Franciscani Ordinis, qui Tertiariorum dicitur, assumpto habitu Romam peruenit Sacras ædes visitaturus,* ergò sine dubio asserendum est D. Conradum fuisse professum hunc Ordinem saltem tacitè. Confirmatur; Tum quia in ordine idem est habitus Nouitiorum, & Professorum; Tum quia habitus Regularis, assumptio in iure denotat professionem, c. Vn. dist. 53. extremis verbis, & docet Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 54. Tum quia amictus hominis enuntiat de eo, Eccl. cap. 19. num. 27. Tum quia habitus est signum externum professionis, ex D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 8. dum dicit ibidem, Religiosum factum Episcopum teneri portare habitum suæ Religionis, quia est signum suæ obligationis. Tum quia talis quisq; præsumitur, in quali habitu viuit, cap. Si Iudex 12. §. Iustum est, de sent. excommun. in 6. l. Item 15. de iniur. Tum quia hæ voces *Assumptio, & Assumptus* sunt relatiuæ personæ assumentis ad concedentem rem assumptam, vndè dicimus, talem assumptum fuisse ad Episcopatum, ad aliam dignitatem ad habitum Religionis per talem Ministrum, Prælatum &c. ergò si S. Conradus assumpsit habitum Religionis, illum accepit

de manu alicuius Ministri Regulæ Tertij Ordinis iuxta illius cap. 2.

Contra hoc fundamentum potest obijci, illud locum habere in illis Ordinibus, qui propriè sunt Religio, Tertius autem Ordo Religio non est, vt ex illius Regula colligitur, quæ communis est etiam coniugatis, sed est quidam viuendi modus strictior, quàm cæterorum sæcularium, vt colligitur ex ijs, quæ refert Nau. consil. 35. & 54. de regular. Deindè Ioan. Faber in Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles. nu. 17. Felin. consil. 29. nu. 3. & 4. ex illis Rota Rom. vol. 1. decis. 50. dicunt, gestationem habitus non probare professionem.

Neutrum obstat; non primum, quia Tertius Ordo æquiparatur Religionibus, quò ad assumptionem habitus, & professionem, siquidem in eo sicut in Religionibus præscribitur assumptio habitus, & post annum probationis professio, ergò in hoc nulla vis facienda est. Quod aiunt Doctores allegati, intelligendum est de professione expressa, quam non probat gestatio habitus, ad quam requiritur factum Superioris, nimirum acceptatio professionis, non autem in professione tacita Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 14. ideò sola gestatio habitus sufficienter probat professionem tacitam; immò Rota Roman. coram Roias in causa Firmana Professionis ex delatione habitus probat simplicitèr professionem etiam in præiudicium tertij. Eam decisionem ad verbum refert Diana ad calcem part. 6. decis. 8. vidè præsertim §. Secundò, & sequent.

Secundò ex absurdis, quæ sequerentur, negata eius professione, probatur D. Conradum esse professum Tertij Ordinis. Primò quidem, quia qui assumit habitum alicuius Ordinis, & intendit in eo perseuerare, debet in fine anni emittere professionem, alitèr peccat, nisi subsit aliqua causa, si diu differat professionem, in casu autem præsenti nulla est assignabilis causa differendi, aut non profitendi, maximè in tanto viro, ergò ne illi hoc crimen inferatur, dicendum est, profecisse Regulam Tertij Ordinis, cuius habitum assumpserat. Secundò sequeretur ipsum subterfugisse subiectionem sui Ministri, & visitatoris iuxtà professionem dictæ Regulæ, ac proindè non fuisse humilem, sed propriæ voluntatis amatorem, quod valdè vitiosum est. Tertiò sequeretur, ipsum fuisse inconstantem, non manendo in vocatione, qua illum Dominus vocauerat, eligendo potiùs velle viuere secundùm proprium arbitrium, quàm subiectum alicui Superiori. Ne ergo sequantur prædicta absurda, quæ non parum dedecent tàm gloriosum virum, asserendum est habitui assumpto adiecisse professionem solemnem.

Quare neque audiendus est Cherubinus, dum ad Bullam 47. Vrb. VIII. ait, hunc Sanctum nō esse Tertiarium Regularem, quod non probat, ideò reijcitur ex dictis.

Interrogatus à me per litteras Perillustris, & Reuerendissimus D. Petrus Maria Campus Cathedralis Placentinæ Canonicus, cuius laus est immortalis in Scribendis Sanctorum vitis, gratum dedit responsum, ex vita à se composita de S. Conrado, neque clarè, neque deductiuè colligi posse, quod ex ipso asserit D. Pius felicis

G 2 me-

memoriæ, sed potiùs contrarium deduci; nimirùm, & legitimè habitum recepisse, & in eo profecisse iuxtà præscriptum Tertij Ordinis S. Francisci, vt etiam ex libro à se composito vulgari idiomate, & eleganti stilo mihi per illum donato collegi, & sequentia.

Conradus Placentinus ex nobili familia de Confalonerijs venationi deditus, ex quo silua quadam incendio vastata, pœnitentia ductus, vxore Euphrosina, Monacali habitu assumpto, circà annum 1315. in agro Placentino in Ecclesiola Fratrum Tertij Ordinis S. Francisci, sita in loco dicto Gorgolaro, eiusdem Ordinis habitum suscepit ab illis Fratribus, quorum vnus senior ex illis nomine Aristides futuram Conradi sanctitatem prędixit, indè paulò post, ne ab amicis crebris visitationibus à seruitio Dei interpellaretur, de licentia Superioris Romam se contulit, deindè apud Ciuitatem Nothi vitam egit eremiticam in summa austeritate, vbi in scripta dicta de Pizzoni, miraculis clarus obijt in Domino die Sabbati 19. Februarij, anno 1351. Reliqua vide in dicto libro inscr. Vita di S. Conrado, &c. typis Placentinis. 1614.

DECISIO LXXXIV.

An prouocantes se ad duellum, pugna non secuta, sint excommunicati?

NOn sunt excommunicati, quia iura, quæ excommunicant præcisè duellantes, requirunt in istis effectum pugnæ, vt probatur primò, ex publico duello Tridentini Sess. 25. cap. 19. ibi: *Qui verò pugnam commiserint*, vbi excommunicantur, & pœnas proscriptionis bonorum, & infamiæ incurrunt, & morientes in duello carent sepultura. Secundo Gregorius XIII. in sua constitut. incip. *Ad tollendum*, decretum Concilij allegatum, quod loquebatur de duellis solemnibus, & publicis, extendit ad priuata duella, & nihil in specie addit circà effectum pugnæ diuersum ab eo, quod statuerat Tridentinum. Tertiò demum Clem. VIII. in sua incip. *Illius vices*, confirmat, declarat, & extendit constitutiones suorum prædecessorum, & Decretum Tridentini, & in specie, neq; expresè, neq; tacitè disponit duellantes incurrere pœnas, pugna non sequuta, sed id tantùm dicit, respectu aliorum concurrentium, & cooperantium ad duellum, licèt non sequatur pugna, vult illos pœnas incurrere, quando per eos duellantes non stetit, quominùs pugnarent. Quare qui se diffidant, & locum assignant, & tempus, licèt ambo accedant ad locum, si pugnam non committunt, pœnas non incurrunt, quamvis alij incurrant, qui faciunt actiones, vel omittunt illas in prædictis Bullis præscriptis. Ita Doctores, quos citat pro se Bonac. q. 6. de excommun. p. 2. num. 16. Nald. v. Duellum num. 6. cit. Sanch. lib. 2. cap. 39. num. 28. contrarium sentientes vocat Barbosa ad locum Concil. num. 12.

DE-

DECISIO LXXXV.

De matronis electis immutabilitèr, pro associandis fœminis Illustribus intra clausuram Monialium.

NOnnullæ Illustres fœminæ ex priuilegio Apostolico pro vna vice in anno possunt ingredi Monasteria designata cum tribus matronis electis. Talia sunt verba priuilegij. *Tibi, vt à tribus matronis modesto, ac decenti habitu indutis, quas semel electas, nec variare, nec mutare possis, nisi alicuius earum obitu eueniente, &c.* Dubitatur, an in alio casu pratèr mortem mutari possit vna ex matronis electis?

Ego puto non posse mutari, quod probatur; Tum quia verba priuilegij casum mortis tantùm exprimunt; ergò alij excluduntur, cùm nulli alij similes casui mortis dentur. Tum quia casus mortis arguit necessitatem mutationis, quod non faciunt alij casus. Tum quia casus mortis non dicitur expressus per modum exempli, sed præcisè limitatiuè, & taxatiuè, neque enim mors similes casus habet, ex sua igitur natura excludit consortium quorumcumq; casuum, arg. cap. 7. sess. 14. in Trident. de absolutione negata à casibus reseruatis, excepto mortis articulo, vndè constitutus in necessitate celebrandi, non potest absolui à simplici Sacerdote à reseruatis, quia casus mortis excludit à se quoscumq; alios casus; sic in presenti, casus mortis excludit à se quoscumq; alios, ita vt matrona electa mutari non possit ex quavis alia causa superueniente, siuè morbi, quia potest expectari, quod sanitati restituatur, siuè absentiæ, quia vocari potest; siuè nolendi associare, quia tenetur cum electa fuerit scientèr ad hoc, & quòd ab initio placuit, ampliùs displicere non debet; præterquamquod huiusmodi nolitio non videtur habere locum, nisi ex malitia, & conniuentia Dominæ, vt altera forsan curiosa assumatur in sociam. Demùm agitur de priuilegio contrà clausuram Monialium, quam magni æstimant Summi Pontifices, ne in minimo quidem violetur, quam fieri possit, ergò presumendum est, & inferendum, priuilegium non esse ampliandum, sed intelligendum iuxtà quod sonat.

Peyrinus, qui in priuilegiorum materia solet habenas relaxare, in Formul. lit. M. cap. 3. n. 4. quod Pellizzario in suo erudito Tract. de Monial. cap. 5. num. 137. visum fuit satis probabile, asserit fieri posse mutationem, quando aliqua ex electis est absens, aut ægrota, aut nolens; probat, quia priuilegium fauorabile latè interpretandum est, ac proindè excluditur mutatio tantùm voluntaria, non necessaria, per quam dicendum est potiùs loco alicuius ex sociabus aliam supplere, quàm mutari. Sed ex supradictis patet in expressis casibus mutationem non esse propriè necessariam, sed voluntariam, cùm Domina expectare tempus possit, quò socia sit præsens, & sana. Si enim pro aliquo alio interesse expectaret, cur & non in præsenti casu?

DECISIO LXXXVI.

Quot vicibus Fœminæ Illustres possint ingredi Monasteria Monialium.

IN supradicto priuilegio ex parte relato à patre Pellizzario, sic dicitur: *Et super veritate narratorum cognitione per Ordinarium loci adhibita Sancti N. ac Sanctæ N. & Sancti N. Monialium Monasteria ciuitatis N. tribus vicibus in totum, non autem eorum singula quolibet anno de earumdem Monialium capitularitèr &c.* Quid si exprimantur quatuor Monasteria, an ingredi poterit quartum, si iam semel ingressa fuit in quodlibet primorum trium? Videtur, quod debeat omittere vnum illorum, quia expresſè constat de triplici ingressu, de quo non dubitatur, ergò cum non detur quantus ingressus, priuilegium non habet locum in quarto Monasterio. Ego dico, id verum esse: quod si oratrix petijt in supplicatione gratiam pro quatuor Monasterijs; eo in casu posse ingredi singula illorum pro vna vice tantum, licèt adsit illa clausula: *Tribus vicibus in totum*, quia Scriptura præsumitur digesta errore Scriptoris, qui non aduertit ad tenorem petitionis, & gratiæ factæ. Ratio est, quia Princeps solet se accommodare precibus sibi porrectis, l. Si preces ff. de legibus cap. Inter dilectos §. Cæterum, de fide instr. vbi glosa v. Petitioni, ait, responsum conformari petitioni; sed oratrix, vt suppono, petijt gratiam ingrediendi quatuor Monasteria, & obtinuit, quia illa exprimuntur in Rescripto Pontificio, ergò cum gratia efficaciter facta fuerit, præsumendum est, Scribam vsu styli Ordinarij inaduertentèr errasse. Quod si oratrix petijt ingressum ad tria, & Rescriptum est ad quatuor, abstineat ab ingressu eius, de quo non fecit mentionem in supplicatione, vt superiùs dictum fuit. Si Rescriptum sit ad duo Monasteria, cum expresſione trium vicium, vnum illorum bis ingredi non potest, cum certa regula sit, non concedi duplicem ingressum, & gratia facta sufficientèr sortitur suum effectum.

DECISIO LXXXVII.

An Nobilis fœmina cum duabus tantùm matronis ingredi possit?

NEquaquam, quia Rescriptum exprimit tres matronas de necessitate assumendas, alitèr non seruata illius forma, ingressus est malitiosus; & oratrix sic ingrediens incurrit pœnas inflictas contrà fœminas ingredientes clausuram Monialium sine licentia, cum illi Rescriptum non suffragetur, non seruata illius forma, immò tunc nullius sit valoris sic adhibitum, quia fines mandati, & rescripti diligenter sunt obseruandi, alitèr factum non tenet, cap. Cum dilecta 22. de rescr. c. Si cui 23. de elect. in 6. cap. cui de non 27. de præb. in 6.

DECISIO LXXXVIII.

An translatio pecuniæ à monte ad montem sit actus alienationis?

NEquaquam, quia sicut capitale census transfertur in extinctione à fundo ad fundum, ita pecunia à monte ad montem licet etiam non

magis

magis lucrosum. Deindè alienatio est translatio rei ab vno Domino ad alium, quod non accidit in casu nostro, in quo res translata semper remanet apud eumdem dominum quò ad eam vtilitatem. Vide quæ dixi Resolut.27.q.14.& 15. & Resol.126. de pecunia non subiecta prohibitioni.

DECISIO LXXXIX.

An Religiosus absoluatur à reseruatis per Confessarium non habentem reseruationem?

RReligiosus extrà suam Prouinciam peregrinans, habens in sua casum reseruatum, absolui potest in aliena à Confessario, etiam extraneo, quando, vbi confitetur, casus non est reseruatus. Ratio est; Tum quia lex reseruationis primò, & principalitèr afficit Confessarium, secundariò, & accessoriè pœnitentem; sed in casu præsenti Confessario non limitatur facultas per reseruationem, quia illud peccatum, vt suppono, vbi fit Confessio, non est reseruatum, ergo Religiosus aduena absolui potest. Tum quia quisque iudex secundum leges sui loci iudicat, & non alterius, cùm extraneas leges ad se non pertinentes nullus scire debeat, ergò neq; secundùm illas iudicare. Tum quia Laicus sic confitetur cùm est in itinere, ex Caietano v. Absolutio 2. Nau. cap.27. num.275. Regin. lib.8.cap.5. nu.69. Suar. de Pœnit. disp.30. sect.1. num.4. quos pro se citat Mazuchellus dispur.1. de casib. reseru. Mediol. q.3. diff.8. alios citat Faber disp.27. de pœnit. num.32. Lupus part.1. de casibus Bergom. Artic.3. diff.2. Ego resolut.6. q.20. & resolut.38. quæst.8. in terminis, Layman lib.5. tract.6. cap.10. num.10. qui subdit, statutum esse suæ Societatis, vt postmodum se præsentet suo Superiori pro eo casu. Longus part.1. de casibus reseruat. sect.3. art.10. videtur sentire non posse absolui, nisi ab habentibus facultatem absoluendi à reseruatis, demum concludit teneri reseruatione loci, vbi hospitantur. Sed dic tu, vt supra, absolui, quia censetur de illo foro pro tunc, & non aduena.

DECISIO XC.

An Capellanus teneatur celebrare pro fundatore Capellæ?

CApella fundatur, & erigitur sub his verbis. *Capellam erigit, vt inseruiat Rector præsentandus, Missas celebrando, & Officia diuina iuxtà morem, & consuetudinem Cathedralis Ecclesiæ; & hoc pro salute animæ fundatoris.* Et paulò infrà. *Qui prædictæ Capellæ Rector pro anima fundatoris exorare teneatur.* Dubitatur an Capellanus teneatur fundatori applicare Sacrificium, propter ea verba: *Exorare teneatur*, ergò non applicare, cùm id non expresserit, habemus autem Regulam 57. in 6. contrà eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda. Sed hæc non conuincunt, nec quicquam suadent, ideò.

Dicendum est prædictum Capellanum teneri applicare pro fundatore Capellæ, quod expressè indicant illa priora verba: *Missas celebrando, & Officia diuina iuxtà morem, & consuetudinem Cathedralis Ecclesiæ; & hoc pro salute animæ fundatoris.* Nec vlla ratio-

ne hæc posterior clausula; *Pro salute animæ fundatoris*: referenda est præcisè ad verbum, *Erigit*, sed ad vtrumq; nimirùm ad erectionem, & celebrationem. Deindè illud verbum, *Exorare*, genericum, & commune ad orandum, & offerendum, restringendum est ad speciem oblationis, iuxtà quod dicitur 2. Machabeor. cap. 12. num. 46. *Pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, relaxatiuè ad præcedentia: *Offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium*; nam quandocumq; in dispositione aliqua fit mentio generis, & speciei, vt in prędictis, genus limitatur, & restringitur per speciem, & ad sensum speciei, generali 32. §. Vxori ff. de vsu, & vsufruc. l. Sed & si adijciatur ff. pro soc. Papponius consil. 106. num. 1. Ex quibus patet verbum, *Exorare*, non esse specificum, sed genericum restrictum ad speciem applicationis Sacrificij. Ad regulam dicitur per Glosam. ibidem, illam non habere locum in vltimis dispositionibus; præterquam quod fundator satis clarè se declarauit, dum imposuit celebrationem pro salute animæ suæ. Demùm etiam in dubio pro fundatore inferendum est, quia præsumitur sibi voluisse prouideri eo meliori modo, quo potuit Bonac. disp. 4. de Sacram. q. vlt. p. 7. §. 2. num. 14.

DECISIO XCI.

An consensus in professionem semper duret ex parte Conuentus, quousque reuocetur capitulariter à Conuentu?

PRo intelligentia pono casum. N. nullitèr professus, petit dimitti iuxtà Decretum cap. 19. sess. reclamando, velle exire, quia inualidè est professus, vel quia ex metu graui profecit, vel ante debitam ætatem, vel nondùm finito probationis anno, &c. Et super his examinantur alij Conuentus professi, qui ferè omnes deponunt, veras esse prædictas causas professionem annullantes, & in reclamante verificari, & omnes contenti sunt, vt dimittatur; posteà nullitèr professus precibus amicorum coram testibus profert hęc verba. *Verum est, quòd nunquam habui intentionem profitendi, nihilominus nunc volo esse Religiosus*. Dubitatur hic primò, an hæc verba exprimant professionis ratificationem? Secundò, an teneat, cùm non ampliùs adsit consensus antiquus Monasterij? Tertiò, an Superior cum Fratribus, non obstante ratificatione, possit agere contrà professum ratificantem, vt dimittatur?

Primò, verba illa sufficientèr exprimunt ratificationem, quia sunt pręsentis temporis indicantia productionem ratificationis de pręsenti ad actum præteritum, nam verbum, *Volo*, adiunctum infinitiuo, importat exequutionem, Seraph. de priuileg. iurament. priuileg. 23. nu. 23. & significat actum perfectum maximè cum verbo substantiuo præsenti. Confirmatur, quia proferens hæc verba. *Volo nunc te habere in vxorem*; importat Matrimonium, & Doctorib. allegatis à Sanch. lib. 1. disp. 18. num. 24. & 28. Nec obstat, quod ex Cornet. lib. 3. consil. 91. dicit Rota Roman. vol. 1. decis. 121. num. 10. verbum, volo, iunctum infinitiuo in ijs, quæ à solo animo pendent loquentis, non inducere dispositionem de præsenti, sed de futuro; quia

quia id intelligitur de verbis executionem non importantibus, aut carentibus aduerbio temporis præsentis, aut non comparatis ad actum præscriptum. Ita colligitur ex Host. in cap. Porrectum, de regular. col. 1. ibidem Abbas in 3. not. & de quadam Moniali in terminis nostris Decis. coram D. P. Carillo, quam habes extensam, apud Dianam in calce part. 6. decis. 14.

Secundò patet validam fuisse professionis ratificationem, quia prior consensus ab initio præstitus adhuc durat, quod est principale intentum huius decisionis. Vnde probatur illum consensum antiquum adhuc durare, eò quòd non cessauit, neq; reuocatus fuit. Pro probatione suppono, alium actum esse aliquid cessare, alium esse aliquid reuocari; nam prior actus non dicitur contrarius, sed tantùm extinctio prioris actus per mortem contigens sine actu contrario; secundus verò consistens in reuocatione dicitur contrarius; quare per mortem concedentis gratia ad beneplacitum concessa non dicitur reuocari, sed extingui, & cessare, quia per mortem non contingit aliquis actus contrariæ voluntatis. Vide de hac re Gonzal. ad Regulam 12. à num. 58. His suppositis, non video, qua ratione consensus præstitus per Monasterium dicatur cessare, quia nullus ex Religiosis mortuus est, immò & si omnes mortui essent, cùm illorum loco successerint alij, qui priorum præsentant personam, præstitus consensus non dicitur ex hoc cessare, cum virtute perseueret in Collegio Conuentus, quod nunquam moritur, arg. cap. Si gratiosè 5. de rescr. in 6. ex quo in casu nostro non videtur habere locum cessatio consensus in rigore formalitatis. Neq; expressè, aut tacitè censetur reuocatus per illas depositiones professorum, quia ad reuocandum consensum capitulariter præstitum, qualis est requisitus ad profitendum, requiritur capitularis reuocatio in forma, nam res, per quas causas nascitur, per easdem soluitur, cap. 1. de regul. iur. & actus eo modo destruitur, quo constructus fuit, l. 2. C. si aduers. donat. Authent. contrà C. de repud. & requirit easdem solemnitates, quas habuit, cum fieret, l. Hæredes palam §. Si quid post, ff. de testam. de illo autem non constat, cōsequenter prior consensus præsumitur durare, glos. v. insciam cap. 1. de eo, qui duxit in matr. Demùm illæ depositiones referuntur ad probandum præcisè nullitatem professionis, ergò non sunt extendendæ ad reuocationem consensus; præterquamquod etiamsi professi singillatim, & priuatis actibus intenderent reuocationem consensus, adhuc is nullus esset, quia actus priuatus non potest derogare publico, & capitulari. Et ita in terminis docuit ea Decisio superiùs allegata §. Quoniam. Et in ratificatione non esse necessarium Conuentus consensum plurib. docui, Resolut. 132. q. 16. ideò parum refert, siue maneat, siue euanuerit consensus Monasterij.

Tertium dubium liquet Resolut. 23. q. 4. vbi probaui non posse eijcere nulliter professum, quando constat illum ratificasse professionem, siue sit infrà, siuè vltrà quinquennium; quia verè est professus, beneficium autem reclamationis tàm ex parte nulliter professi, quàm Monasterij habet pro obiecto nullitatem professionis.

DE-

DECISIO XCII.

An Episcopus sub censuris cogere possit Regulares ad processiones?

COncilium Tridentinum Sess.25. cap.13.ita disponit *Exempti autem omnes, tam Clerici sæculares, quam Regulares, quicumque etiam Monachi ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, ijs tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.*
1 Dicit, *exempti omnes*, quia subditi de iure in his obedire debent Episcopo; *omnes* quidem exempti, quia ex illis nullus excipitur, nisi habeat priuilegium. *Clerici sæculares* intellige exemptos debere accedere ad processiones. Sub ea dictione, *Regulares*, Comprehenduntur Religiosi non solum Mendicantes, sed etiam Canonici
2 Regulares, sunt enim isti maximè, & principaliter Clerici ex institutione, Penottus lib.2. Histor. huius Ordinis cap.1. Tambur. tom.1. disput.25.q.1. per totam. Sub hoc decreto includuntur etiam Monachi quicumque, quæ dictio, *Quicumque*, referri potest indifferenter tàm ad Regulares, quam ad Monachos, ne quispiam excludatur. Textus igitur continet duas vniuersalissimas dictiones, *Omnes*, & *Quicumque*. De efficacia vtriusque vide collecta apud Barbosam dict.241. omnis, & dict.317. quicumque. Ex quo infertur nullum excludi, seu eximi ab hoc onere, nisi viuentes sub perpetua clausura, aut nisi habeant speciale priuilegium non accedendi ad processiones, quod impetrarunt modernę Religiones nonnullæ, ne nouissimum tenerent locum.

Certum est igitur Episcopum Regulares inobedientes compellere posse ad publicas processiones, ibi: *Accedere compellantur*, controuertitur verò, quibus pœnis cogendi sint nolentes accedere vocati.

Ego semper fui in ea opinione, quod Episcopus quoscumque Regulares cogere possit ad processiones, etiam per censuras. Id autem probo, Primò quidem, quia patet ex hoc decreto Episcopum posse cogere Regulares ad publicas processiones, igitur in illos habet potestatem, vel or-
3 dinariam, vel delegatam à Sede Apostolica; si Ordinariam, ergo potest procedere contra Regulares per censuras, quia hæc potestas est eiusdem rationis, virtutis, & efficaciæ cum iurisdictione, quam habet contrà suos Clericos, quos inobedientes censuris cogere potest, ergo & Regulares. Est autem valdè probabile, immò apud me certum, potestatem hanc esse ordinariam, quia quælibet res facilè reducitur ad suam pristinam, & antiquam naturam, cap. Ab exordio dist.35. l. Si vnus §. pactus ne peteret ff. de pact. Religiosi autem ex natura rei, & moris erant antiquitus subiecti Episcopis, sub quorum iurisdictione oriebantur, & fiebant, modò ex priuilegio exempti; ergo quando Regulares denuò in aliquo vsu subduntur Episcopis, incipiunt illis subesse eo modo, quo erant ab initio, quia per subiectionem destruitur exemptio, consequenter sicut Episcopis censuris cogere potuissent Religiosos antequam per priuilegium Pontificium eximerentur ab eorum iurisdictione, ita & nunc compelli possunt eisdem pœnis, cum in hoc, & similibus redierint ad pristinum statum

sub-

subiectionis. Hinc benè Papponius lib.1. consil.1. num.13. dicit, exemptum non posse se submittere Prælato extraneo sine licentia Papæ, vtiq; verò Episcopo, quia est suus naturalis Superior. Si verò habet delegatam, adhuc probatur posse censuris procedere contrà Regulares, quia tamquam delegatus non propria, sed aliena
4 na vtitur potestate, nimirum Papali, delegatus, n. quia talis, nihil proprij habet, sed alienam iurisdictionem exercet, glos. v. Impendant, extr. com.2. de sepult. Nau. consil.8. de offic. deleg. nulli autem dubium est, Papæ delegatum siue ab homine, siue
5 à iure, quod maius est, posse sub censuris rebelles cogere ad obediendum, cap. Præterea 5. cap. Significasti 7. cap. Sanè 11. & alijs, de off. deleg. Episcopus igitur quauis potestate procedat Regularibus indicere potest accessum ad processiones per censuras.

6 Secundò, exemptio quandòque est omnimoda, interdum ex parte, super vna re, & non super alijs, vndè exemptus in vna re non censetur exemptus in alijs, quæ sub illa non comprehenduntur, sed subiectus dicitur cap. Cum capella 16. de priuileg. & sequenti cap. Ex ore 17. eod. in casu præsenti Regulares non dicuntur exempti hoc ipso, quod compelli possunt ad processiones; immò quò ad hoc nunquam videntur fuisse
7 exempti, quia semper, & ab exordio institutionis cuiuslibet Ordinis iuerunt ad procesſiones publicas ab Episcopis indictas, ergò quò ad hoc videntur Regulares simpliciter subiecti, sicut Clerici, cum nunquam fuerint exempti à processionibus Episcopalibus; quare cum in hoc æquiparentur Clericis sæcularibus, qui semper iuerunt ad processiones, sub censuris cogi poterunt ab Episcopis, sicuti ab ijsdem compelli possunt Clerici inobedientes. Vndè decretum Concilij supradictum non subijcit Regulares ordinarijs, quasi antè essent exempti, sed decernit illos iam subiectos esse compellendos ad processiones publicas, ad quas anteà tenebantur; sed quia nonnulli recalcitrabant putantes, se in hoc etiam esse exemptos, & non teneri procedere, ideò Tridentinum decreuit, vt compellerentur ab Episcopis, supponens, illos semper in hoc fuisse subiectos publicis processionibus.

8 Tertiò, Episcopus pluris iurisdictionis habet in locum exemptum, & illius personas, quam in prorsus extraneas, text. in cap.1. de priuileg. §.1. in 6. vbi Ioan. Monach. num.4. cum alijs, Rota decis.702. n.4. par.1. diuers. ex illis Gonzal. gloss.43. n.189. Sed extraneas in sua diœcesi delinquentes cogere potest censuris, ex cap. Postulasti 14. de foro comp. meliùs c.1. de raptor. Glos.1. c.1. 9. q.2. ex Ioan. de Lignano de censur. Eccl. §.9. num.20. Megal. ex illis lib.1. de censur. cap.3. n.50. alios citat Bonac. q.1. de cens. in communi p.11. nu.18. ergò à fortiori Regulares, in quos plus iurisdictionis habet, quam in extraneos ex Doctrina allata.

9 Quartò, excommunicatio per Episcopum in Sacra ordinatione comminata contrà illegitimè ordinandos afficit etiam Religiosos, ex adductis per Bonac. de ordine p.4. nu.32. ergò & in casu præsenti, cum Religiosus non sit minus subditus Episcopo, quò

ad

ad processiones, quam quò ad Ordines. Immò videtur magis subditus quò ad illas, quàm quò ad hos, quia ex dictis in secundo argumento, Regulares semper fuerunt subiecti Ordinario Episcopo quò ad processiones, non verò quò ad Ordines; nam vsq; ad Tridentinum, & etiam post vsq; ad quoddam Decretum Clem. VIII. de quo Quar. Nald. & alij v. Ordo, poterant Ordines recipere à quovis Episcopo, ac proindè ab Ordinario suo erant exempti, nunc verò subditi.

Quintò, Episcopus potest excommunicare Fratrem Capellanum Religionis Hierosolimitanæ nolentem reddere rationem administrationis Parochialis sęcularis, vt ex Sellio decisum refert Barbosa ad Sess. 22. cap. 9. num. 25. ergò & in casu præsenti, in quo Regulares sunt magis subditi.

Sextò demùm probatur per alias rationes adductas à me Resolut. 7. q. 6. & num. 130.

Hanc opinionem in terminis processionis docent Perez de Lara de Anniuers. & Capell. lib. 1. cap. 24. num. 14. Zerola part. 1. v. processiones, Cenedus lib. 1. Canon. quæst. 26. num. 16. Salgado de protect. regia tom. 1. part. 2. cap. 9. num. 109. Aloysius Ricc. in praxi fori Eccl. resol. 308. n. 5. & 6. & in praxi aurea resolut. 210. num. 1. Armend. in Addit. ad recopilat. legum, Nauar. lib. 1. tit. 14. l. 24. §. 31. de process. num. 7. Gratianus Marchiæ decis. 232. num. 15. Barbosa de potest. Episc. part. 3. allegat. 78. num. 25. quos idem Barbosa citat ad Sess. 25. cap. 13. Tridentini num. 20. prædictis adde Genuensem ex Diana resolut. 76. sentiente oppositum, nouissimè Ioannem Baptistam Paroletum part. 3. suæ Aureæ Palestræ, cap. fin. §. Sed quibus pęnis, vbi citat alios, Aphor. Episcopales v. Processio n. 3.

In contrarium sunt multi alij, quos pro se citat Diana resol. 76. de Regular. Lezana tom. 4. v. Processio quò ad Regulares. Probant autem primò, quia quoties Concilium voluit, Episcopos procedere contrà Regulares per censuras id expressit, vt videre est Sess. 22. in Decreto de obseru. & vitandis in celebr. Miss. Sess. 25. cap. 5. & 16. ergò vbi non exprimitur, Episcopus procedere non potest per censuras; hæc ratio est Sanch. lib. 7. disp. 33. num. 23. vbi adducit etiam cap. 1. de priuileg. in quo prohibetur Episcopis procedere per censuras contrà Religiosos habentes priuilegium, vt non possint censurari; omnes autem Religiosi hoc priuilegium habent, vt docent præcitati, ergò Episcopus contrà eos censuris procedere non potest. Secundò, quia alijs pęnis possunt illos compellere, nimirùm deponendo Superiores, incarcerando, à Monasterio amouendo, priuando munere predicandi, etiam mulctando pęnis pecuniarijs, ex Peyrino ad Bullam 2. Sixti IV. num. 60. ex eo Lezana tom. 4. v. Processio num. 2. in fine.

Respondeo prædicta non obstare, & primùm quidem, quia siuè exprimatur species pęnæ, siuè non, hoc nihil refert, siquidem certum est, habentem potestatem fori externi contentiosam, illa vti posse electione cuiuslibet pœnæ, & maximè spiritualis censuræ, quæ est principalis pęna, qua Prælati Ecclesiastici procedunt contrà subditos, ergò hæc deneganda non est Episcopis contrà Regulares pręcisè ex eo, quod Tridentinum mentionem

non

non facit de censuris, quando Regulares sunt subiecti Episcopis in certis casibus, & in alijs exprimit, quòd censuris cogantur inobedientes; nam
10 quando aliquid ex natura rei inest, parum refert, siuè exprimatur, siuè nō, quia nihil operatur, l. Aliquando 106. ff. de cond. & demonstr. l. Non rectè 3. C. de fideiussor. vnde frustrà exprimitur, quod tacitè subintelligitur, l. Cornelia ff. de hered. instit. l. Hæc verba ff. de leg. 1. quia pro expresso habetur, quod tacitè inest, l. fideicommissa §. Si
11 filij ff. de legat. 3. Sed potestas procedendi in causis per censuras ex natura rei inest iurisdictioni Spirituali fori contentiosi, vt omnes docent in materia censurarum, dum quęrunt, quis potest ferre censuras, respondentes, id esse munus Ecclesiasticorum habentium potestatem fori contentiosi Spiritualem, Canon. in cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. Ordin. glos. Innoc. Host. Panor. & alij ibidem: est autem extrà dubium hanc potestatem feren-
12 di censuras inesse Episcopis pręcipuè, ex citato cap. Cum ab Ecclesiarum, & cap. Irrefragabili, de off. Ordin. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 5. Ergò Episcopi habent iurisdictionem fori contentiosi in Regulares, possunt procedere contrà illos per censuras, hoc ipso, quod hæc potestas inest Pręlaturæ Ordinariæ. Quare parum refert ea obseruatio, quam faciunt aduersarij, dicentes, Episcopos posse procedere per censuras contrà Regulares, quando Tridentinum de illis mentionem facit, non verò, quando illas pręterit, eadem enim ratio est in vtroq; ex adductis, vndè ad hoc propositum facit, quod ait Craueta in l. Cum filio ff. de legat. 1. part. 2. num. 28. Signos. consil. 173. num. 13. apud Rotam vol. 2. decis. 49. num. 46. expressum non facit cessare tacitum, quando in hoc eadem est ratio, quæ in expresso, vt in casu pręsenti, eadem est ratio in radice potestatis, vt sic ferendi censuras apud Episcopum, ergò hæc potestas expressa in aliquibus casibus non facit cessare hanc eandem potestatem tacitam in alijs casibus. Dic in tribus
13 locis Tridentini superiùs allatis exprimi censuras, non ex necessitate, quasi Concilium tunc Episcopis, & Ordinarijs tribuat ius censurandi, cùm id iam habeant, sed ad remouendam difficultatem, & dubitationem aliquorum, & ad maiorem expressionem facultatis, quam habent. Immò excepta Sess. 22. ex cap. 5. Sess. 25. colligitur expressas ibi censuras, per quas Episcopus, & alij Superiores, nimirùm Regulares, procedere possunt contrà inobedientes, non referri in Regulares, sed in alios impedientes reductionem Monialium intra Ciuitates. Et in cap. 16. eiusdem sessionis 25. Episcopi per censuras compellunt Regulares restituere omnia Nouitio abeunti; exprimuntur autem ibi censurę, non ex necessitate conferendi tunc hoc speciale munus censurandi, sed ad maiorem declarationem; poterat enim rationabilitèr dubitari, an Episcopus posset Regulares inobedientes in eo casu excommunicare, quia Synodus ibidem comminatur illis excommunicationem, nisi receptum restituant Nouitio abeunti; non est autem conueniens pro eodem delicto eumdem delinquentem bis excommunicare: Synodus igitur, vt remoueret difficultatem expressit, Episcopum posse censuris procedere contrà Regulares non

resti-

restituentes ; & hanc expositionem suadet ea dictio, *Etiam*, ibidem posita, quasi dicat, non obstante comminata excommunicatione volumus etiam, quod Episcopus censuris compellat inobedientes; ea enim dictio, *Etiam*, exprimit casum magis dubitabilem, l. Etiam ff. de verb. signif. Barbosa dict. 112. initio.

Caput primum ex §. In eos autem 1. de priuil. in 6. adductum à Sanch. & alijs, vbi dicitur, quod plures Religiosi habent priuilegium, vt non possint ab Episcopis excommunicari, suspendi, & interdici, habet locum primò in casibus extra Tridentinum; secundò in casu, in quo Regulares non subduntur Episcopis, is enim attentans procedere per censuras contra illos in negotio, in quo illi non subduntur, nihil agit, quia tunc non dicitur illorum iudex. Tertiò ex contextu verborum eiusdem capitis col-
14 ligitur, Episcopum procedere posse per censuras contra exemptos in ijs casibus, in quibus ius habet super illos, ibi: *Nisi forsan ipsi Monachi ad Monasterium suorum Prioratus ordinarijs eisdem subiectos, vel vt gerant eorum regimen, vel in eis, tamquam proprijs locorum ipsorum Monachi resideant, fuerint destinati; tunc enim, & si possint libere ad eadem Monasteria reuocari... ratione tamen eorumdem Prioratuum, dicti Ordinarij iurisdictione in ipsis etiam, quo ad præmissa, quamdiu morantur in illis, licitè vti possunt*. Ecce, quod, non obstante priuilegio, quod non possint censurari, adhuc censuris compelluntur in casibus subiectis Ordinario, quia exemptio intelligitur secundùm esse formale, & in esse existentiæ suæ. Neque valet dicere, præ-

dicta habere locum in allegato tantum casu, quia ponitur in exemplum, & non limitatiuè, vndè regulam non restringit; quod autem sit in exemplum, constat ex particulis, *vt, vel*,
15 quæ important exemplificationem, argum. eorum, quæ dicuntur cap. Quemadmodum, de iureiur. cum Sanch. lib. 1. disp. 57. nu. 4. & 6.

16 Secundum argumentum videtur pati maiorem difficultatem, quia non video, qua ratione Episcopus possit deponere Superiorem, quem non constituit, cum eius sit destituere, cuius est constituere; res enim, per quas causas nascitur, per easdem destruitur, cap. 1. de reg. iur. & actus eo modò destruitur, quo construitur, l. 2. C. si aduers. donat. Menoch. consil. 1095. n. 24. Surd. decis. 128. nu. 14. Episcopus autem non constituit, ergò neque destruere potest. Deindè non potest dare Superiorem Religiosis, ergò in eo casu remanerent oues sine pastore, quod est absurdum. Alia inconuenientia, præter dicta, acciderent, si Episcopus punire posset carceratione, mutatione, nam, his solus Superior esset afficiendus, quia alij non sunt in culpa, cum erigere Crucem, & ire ad processiones, spectet tantum ad Superiorem; qui si carceraretur, aut aliò mitteretur, subditi Religiosi remanerent sine Superiore; neque Episcopus e. g. Parmensis potest cogere Priorem Conuentus Regij, vt recipiat de familia remotum Priorem Conuentus Parmæ, vt id certissimum est. Demum Regulares ex hoc, quod sunt Mendicantes, non sunt mulctandi pecunijs, præterquamquod Conuentus, qui est Dominus, non est priuandus rebus suis, cum non peccauerit.

uerit. Capucini abirent impunes, cum pecuniam non tangant.

DECISIO XCIII.

An iniri possit Matrimonium in dubio impedimenti dirimentis?

PEtrus per plures annos illicitè cognouit Bertam coniugatam, intrà quod temporis spatium Berta habuit filiam fœminam, eodem ferè tempore idem Petrus ex alio concubitu sæpius repetito cum alia muliere pariter coniugata, dubitat, ex ea natum filium masculum esse suum. Quæritur modò an is filius masculus ducere possit in vxorem filiam Bertæ? Ratio dubitandi est, quia & ipse Petrus dubitat, vtrumque esse suum filium, & in loco rumor est de hoc, quia notorium est, Petrum cum dicta Bertà, & alia vxoratis ex consuetudine illicitè conuersari, frequentauit enim illarum domos cum scandalo hominum loci.

Puto, cupientes contrahere hoc Matrimonium remouendos esse ab hoc desiderio, quod probatur ex diuersis iuribus, cap. Super eo 22. de testibus cap. Super eo 5. de eo, qui cognou. iuncta glos. v. Rumor; cap. 2. de consang. in quibus locis fama, scandalum, seu rumor impedimenti obstat futuro Matrimonio; est enim vehemens præsumptio consanguinitatis inter natos desumpta ex copula sæpius repetita per Petrum cum illis duabus vxoratis, tempore conceptionis illorum. Neque cum dubia conscientia peccandi operandum est, neque id permitti potest per Parochum, cui ex officio incumbit, vt Matrimonia ineantur sine periculo peccandi. Nec obstat cap. Cum in tua 27. de sponsal. vbi dicitur, quod si fama est, vel scandalum non potest Parochus impedire Matrimonium, sed tantum monere volentes contrahere, vt desistant, quia id intelligitur, quando de fama, aut scandalo nullum traditur documentum, & procedit in foro externo. Nec placet responsio Sanchez in select. disput. 43. num. 44. facta sufficienti diligentia, posse iniri Matrimonium sine dispensatione, quia, inquit, possessio stat pro libertate ad contrahendum, & sic dubium fauet impedimento; nullus autem spoliandus est sua possessione sine certo iure. Siquidem dico possessionem state fauore Matrimonij contra contrahentem, ne periculo se exponat attentandi nullum Matrimonium & fornicandi, vnde ex parte contrahere cupientis nullus ius apparet acquisitum, nisi quod si vult contrahere, debet se legitimè ad illud disponere, quod accidit, se expediendo ab impedimentis, vel per dispensationem, vel remouendo dubitationem per sufficientem diligentiam, quæ in hoc casu est impossibilis, cum vtraque mulier sit vxorata, & omninò dubitetur cuiusnam sint filij, maritinè an adulteri? Vide Sanch. lib. 1. disput. 71. à num. 13. de communi, melius ad rem lib. 8. disp. 6. num. 18. Bossius nouissimè de Matrim. cap. 7. §. XXI. vbi ait, conuenire omnes, ad impediendum futurum Matrimonium sufficere rumorem, & famam in loco.

DE-

DECISIO XCIV.

An, & quomodo impedimentum criminis annullet matrimonium?

VXoratus quidam, dum commercium carnale habet pluries cum quadam vidua, ex beneuolentia ergà illam ductus, promisit ex animo ducere illam in vxorem post mortem propriæ vxoris; accidit autem casus mortis vxoris, quęrit, an possit ducere Viduam, cum qua habuit copulam cum promissione matrimonij futuri, ipsa vidua ad hæc nihil respondente?

Difficultatis resolutio pendet ex Doctrina de impedimento criminis dirimere matrimonium, an nimirùm in casu pręsenti reperiatur cum omnibus suis requisitis, ad quod constituendum ex communi Doctrina omnium duo requiruntur, copula, & promissio matrimonij, viuente priori vxore, vt expresse habetur cap. Relatum 4. 31. q. 1. & in tit. de eo, qui duxit in matr. pręsertim cap. Cum haberet 5. & fin. ab Ecclesia inuentum, vt coniugibus præcludatur occasio captandi mortem alterius. Vsque modo apparet in casu nostro impedimentum habere locum, cum vxoratus fatentur copulam, & promissionem ex parte sua. Nihilominus restat adhuc difficultas tollenda, an nimirùm ex parte Viduæ fuerit necessaria repromissio, aut saltem acceptatio promissionis vxorati, quæ est virtualis repromissio, ad ponendum impedimentum, vt non possit sequi matrimonium. Quidam asserunt sufficere alterius promissionem; sed verius est requiri ad minus acceptationem ex parte viduæ, ac proindè cum defuerit in casu nostro, dicimus posse inter illos constare matrimonium. Probatur autem requiri mutuam promissionem saltem virtualem per acceptationem. Primò quidem quia id colligitur ex citatis iuribus in illis clausulis. *Dare iuramentum. Fidem præstare. Fidem præstiterit adulteræ*, quæ arguunt mutuum consensum, seu tractatum affirmatiuum super matrimonio, non enim præstamus fidem, neq; damus iuramentum, nisi exigatur ab alio super aliquo negotio, vndè Cicero de offic. dicit. *Fundamentum iustitiæ est fides, idest dictorum, conuentorumq; constantia*; conuentio autem importat mutuum colloquium, & consensum, l. 1. §. Conuentionis ff. de pact. vt ipsa dictio de se præsefert. Secundò ex contextu illorum capitum apertè colligitur mutuus consensus, quia in illis petitio matrimonij supponitur ex parte mulieris, quæ non patitur carnalitèr cognosci, nisi priùs à se petitum matrimonium firmetur per adulterare cupientem, id enim insinuat ea verba. *Mœchæ viuente viro suo iuramentum dedisse, vt post legitimi mariti mortem, si superuixisse, duceret eam in vxorem*. Capitis Relatum citati. Tertio promissio onerosa, cuiusmodi est matrimonialis, debet esse mutua, non enim sufficit simplex, quæ fit tacenti, & non respondenti, non arguens consensum in onerosis iuxtà glosam in Reg. 44. in 6. ergò desideratur responsio ex parte alterius, vt promissio subsistat, & sit efficax, & nō inanis. Quartò sponsalia, & in matrimonium requirunt mutuam promissionem, alitèr nulla censetur promissio, ergò & in casu præsenti, agitur enim de matrimonio, quod intelligi non potest sine suis requisitis. Demum quintò impedimen-

dimentum criminis afficit vtrumque, ergò ambos secundum omnes suas cõditiones, vterque enim peccat, vterq; conscius esse debet constantis matrimonij, consequentèr sicut copula dicitur esse ex parte vtriusque, ita & promissio vtriusq; oriri debet saltem virtualitèr per acceptationem promissionis factæ. Ita docent Henriq. & Sà apud Sanch. lib. 7. disp. 79. num. 19. qui num. 22. necessariò requirit dictam acceptationem, Bonac. q. 3. de matrim. p. 6. num. 9. §. Secundo, Cęlestinus tract. 2. cap. 21. §. Tertium, Becan. cap. 49. de Sacram. §. De crimine, Diana part. 2. resolut. 198. de Sacram. vbi alios citat, Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 10. in quinta conditione. De alio crimine homicidij infrà 279.

DECISIO XCV.

An simonia interueniat in hac permutatione beneficiorum?

DVo Clerici beneficiarij, vnus Rector, alter Capellanus tractant de modo permutandi intèr se propria beneficia, Rector se declarat, velle beneficium quinquaginta aureorum, quia proprium est centum, Capellanus promittit, & ambo prosequuntur negotium, & se disponunt ad permutationem, cum intentione faciendi illam coram Superiore. Capellanus igitur, quia proprium beneficium non excedit valorem 25. aureorum, secum recogitat, & cum amicis, vt proprium beneficium reducat ad valorem quinquaginta aureorum, ex quo concludit velle augere illud vsq; ad dictam summam non simplicitèr, sed tantùm durante vita eius, cui conferendum est, nimirùm prædicti Rectoris.

Quęritur ergò an hic locum habeat simonia? Videtur, quòd non, quia Capellanus ad eam euitandam, verè & realitèr coram Ordinario antè permutationem, proprium auget beneficium, nihil dicendo Rectori, vndè in celebratione permutationis postmodùm facienda permutantur ambo beneficia iam renuntiata, absolutè, purè, & sine vllo pacto, in casu quo Osdinarius potest approbare permutationem, secundùm omnes in cap. Quæsitum 5. cap. Ad quæstiones 6. de rerum permut. Barbosa de potest. Episc. parr. 3. alleg. 69. num. 11. Parolettus part. 1. Aureę Clericalis palestræ cap. 7. de permutat. Bonac. q. 4. de simon. §. xij. num. 7. Tamb. tom. 1. disp. 13. q. fin. n. 14. Vbi verò interuenit aliquod pactum, pecunia, aut pensio, non potest, quia inferunt simoniam iure Ecclesiastico, quam solus Papa censetur tollere admittendo coram se permutationem. Immò in hoc casu, stante fructuum inæqualitate potest Episcopus pro illorum adęquatione apponere pensionem fructuum, durante vita Rectoris, vt docent Nau. consil. 43. num. 4. de simon. Caiet. Sylu. Tabien. apud Bonac. q. 4. de simon. §. xij. num. 10. asserẽtes auctoritate Episcopi licitum esse compensare inæqualitatem fructuum in pecunia numerata; ergò à fortiori augere beneficium tenue ea intentione, vt facilitetur permutatio. Quibus tamen non obstantibus.

Dico, quòd permutatio hęc non est pura, & absoluta, sed cum pacto quasi adæquationis, & compensationis fructuum inæqualium, inducente simoniam, si non fiat coram Papa, cuius tantùm est tollere simoniam iure Ec-

clesiastico inductam, seu aliàs, patet enim beneficia esse conferenda, & permutanda sine aliqua conuentione, aut pacto extrà naturam benefi-
2 cij, cap. Quampio 2. 1.q.2. Cap. Cum pridem 4. Cap. Accepimus 5. cap. Cum Clerici 6. cap. Pleriq. 7. cap. Pactiones 8. de pactis, Cap. Quæsitum 5. vbi pacto præcedente non tenet permutatio, cap. Exhibita 9. Spirituale cum temporali permutari non potest de rerum permut. in casu autem præsenti interuenit pactum, & quid temporale, quia Rector petit beneficium quinquaginta aureorum, alitèr non vult permutare, & scit beneficium Capellani non excedere vigintiquinque aureos, consequentèr petit aliquid temporale præter beneficium pro suo beneficio pinguiori. Capellanus promittit beneficium quinquaginta aureorum, sub quò palliatur simonia, pensio, seu compensatio fructuum, quam intendit fugere, & euitare augendo proprium beneficium tenue auctoritate Ordinarij, ea tantum intentione, vt possit exequi permutationem; sed reuera Capellanus per hoc augmentum non potest euitare
3 simoniam, quia augmentum hoc non transit in naturam beneficij, sed remanet, quid merè temporale, nam de ratione beneficij est, vt in se sit perpetuum, non solùm ratione colla-
4 tionis, quia non potest ad tempus alicui conferri, sed dari debet eius durante vita, quia est quoddam spiri-
5 tuale Matrimonium, quod assimilatur carnali indissolubili, vsq; ad mortem alteriùs coniugis. Vidè Doctores quos citat Gonzalez gloss. 5. n. 11. ex parte Clerici probatur perpetuitas ex cap. Præcepta 12. dist. 55. cap. Satis peruersum 6. dist. 56. cap. Sanctorum 2. dist. 70. & alibi; ex parte ipsius beneficij suadetur, quia semel Deo dicatum, non est prophanis vsibus contaminandum, nec reuocari potest extrà Ecclesiam, cap. 3. de rerum permut. cap. Ecclesiæ 9. de immun. Eccles. nam beneficium semel affectum semper remanet affectum, vt alijs citatis refert Gonzal. glosa 6. num. 199. sed hoc augmentum non remanet perpetuo sub iure beneficij, cum cesset morte Rectoris, ergò non potuit induere naturam beneficij, sed remanet quid merè temporale; vndè neque ex auctoritate ordinarij potuit fieri spirituale ratione tituli, & beneficij. Quare cum illud augmentum verè non transierit sub iure beneficij, remanet simplicitèr temporale, ac proindè succedit loco fructuum ex parte pinguioris beneficij. Quid simile habet Nau. consil. 50. de simon. dum dicit, permutationem pinguioris beneficij cum minùs pingui, cum pacto, vt fructus excedentes sibi restituantur, esse simoniacam, idem est, inquit, si propria auctoritate conueniant, vt constituatur pensio pro adæquatione fructuum.

Ad obiecta patet ad primum palliari simoniam sub prætextu beneficij aucti, cum id verum non sit ex probatis. Ad illud Nauar. ex cap. Ad quæstiones dicunt communiter Canonistæ cum Panorm. ibidem Papam loqui non de fructibus beneficiorum, sed de fructibus possessionum extrà titulum beneficij, pro earum inæqualitate supplenda. Vide etiam Vasq. in opusc. moralibus de Benef. nu. 178.

DE-

DECISIO XCVI.

An Religiosi personaliter non vocati ad processionem non accedentes incurrant Interdictum?

IN quadam ciuitate Ordinarius affigi mandauit edictum ad valuas Cathedralis, præcipiendo sub pœna Interdicti ipso iure incurrenda, vt omnes etiam Regulares accederent tali hora ad processionem Sanctissimi Corporis Christi. Quidam Regulares non accesserunt, an illud incurrerint? Audiui autem antea in vsu esse pœnam pecuniariam contrà non accedentes; pariter consuetudo semper fuit non vocandi illos personaliter.

Apud me certum est, Episcopum cogere posse per censuras Regulares ad publicas processiones, vt multis probaui supra sub decisione 92. & in primo tom. Resol.7.q.6.& num.130. Pariter vocandi sunt personalitèr, & non sufficit edictum ad valuas Cathedralis, vt alijs citatis docui sub eadem Resolut. num.129. Videè etiam Resolut.68. Sed quoniam in hac ciuitate vsus est non vocandi illos personalitèr, sed per edictum ad valuas Cathedralis citare cum omnibus alijs, & censetur approbatus per ipsos Regulares, qui non contradixerunt, sed semper accesserunt ad processiones, ideò Tridentino non obstante, quod essent vocandi, Episcopus ius acquisiuit super illos per illud commune edictum. Id non caret difficultate respectu processionum quidem publicarum, sed extraordinariarum, vti quæ instituuntur ad petendam pluuiam, serenitatem, vel quid simile in bonum totius publici, quia Religiosi non tenentur accedere ad valuas Cathedralis, vt edoceantur de processionibus huiusmodi, quæ non habent determinatum diem, neq; horam; quare non accedentes non præsumuntur inobedientes, sed potiùs id ignorare probabilitèr, cum sit quid facti, ex Reg.13. in 6. consequentèr excusandi sunt, nec pœnas incurrunt, quia ignorans non potest dici inobediens, cap. Cum pro voluntate, de sent. excommun. neque dicitur negligere, aut cõtemnere, l. Nec ignorans. de donat.

In casu nostro magna est difficultas, quia esto Regulares cogi possint per censuras, non est tamen certum, hunc Episcopum potuisse cogere per edictum, omissa personali vocatione, seu citatione saltem ad Monasterium, non suffragante illi ea consuetudine, ideò.

Dicendum est, Episcopum non potuisse per illud edictum ad valuas Cathedralis cogere Regulares per Interdictum ad processiones, sed ad effectum incurrendi illud, fuisse necessarium Episcopo citare illos personalitèr, seu ad Conuentum transmittere citationem, & monitionem. Probatur, quia ad incurrendam censuram prærequiritur admonitio, cum tantum feratur in contumaces; contumax autem est ille, cui inobedienti præcessit monitio, l. contumacia 53. ff. de re iud. & contumax non est, qui non audiuit vocem præconis, gloss. c. Caueant 2. 3. q.9. De monitione necessaria ad incurrendas censuras ab homine latas, de excommunicatione quidem cap. Sacro 48. de suspensione, cap. Reprehensibilis, 26. de appellat. de interdicto ad propositum nostrum cap. Statutum 13. de sent. excom. in 6,

Sed isti Regulares admoniti non fuerunt, neq; pręconis vocem audierunt in domo sua, ergò illud interdictum non incurrerunt, neq; enim edictum ad Valuas Cathedralis, quæ generalis citatio est, sufficit, cùm respectu censurarum debeat esse personalis, & ad domum, ex ijs, quæ habet Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 11. lib. 5. cap. 11. num. 24. alijs citatis. Neque Episcopo suffragatur consuetudo citandi ad Valuas Cathedralis in casu præsenti, quia ea intelligitur secundum consuetam pœnam pecuniariam, quæ infligi potest contrà contumacem factum ex generali citatione, cùm neutrum ignoretur, respectu verò censurarum requiritur personalis monitio.

DECISIO XCVII.

An solemnitates in alienatione præsumantur?

ANno 1595. ex instrumento constat factum fuisse liuellum super nonnullis Ecclesiæ bonis, in notabile præiudicium Ecclesiæ, & in co nullus apparet consensus Papæ, aut sui Ordinarij, an præsumatur licentia cum ceteris requisitis ad liuellandum?

Est communis Doctorum sententia pręsumi solemnitates etiam extrinsecas interuenisse initio contractus, ex diuturnitate temporis, ex l. si filius ff. de pet. hęred. Doct. in l. Qui in aliena §. 1. ff. de act. hęred. Aymon. de antiq. temp. part. 3. num. 14. vbi ait procedere etiamsi agatur de graui præiudicio, Rota Rom. vol. 4. decis. 201. num. 8. Gonzalez glos. 12. num. 79. dicit, quòd generalitèr ex antiquitate temporis præsumitur solemnitas, quod ait probari per Antonium Gabrielem lib. 1. opin. commun. de præsumpt. concl. 1. Mascard. de probat. concl. 1322. Menoch. de pręsumpt. lib. 3. pręsumpt. 132. Tempus autem antiquum est triginta annorum ex Doctoribus citatis à prædicto Gonzal. num. 78. Habet locum, quando præsumptio allegatur ab eo, ad cuius fauorem præsumptio oritur, non autem si ab eo negetur, ex allegatis per Paris. lib. 3. de resignat. q. 6. num. 74. ad 78. Clericus, qui experitur, Ecclesiam suam per hunc contractum liuellarium enormitèr lęsam fuisse, intellige tempore contractus, vti minoris priuilegio, quo Ecclesia gaudet, petat restitutionem in integrum. Intellige, locum habere præsumptionem, quando ambo primò contrahentes iam sunt mortui, alitèr Laico contractori incumbit probatio interuenisse solemnitates.

DECISIO XCVIII.

An domus Ecclesiæ locari possit Laicis?

DOmus Ecclesiæ, quæ est Canonica Rectoris certè locari non potest, quia ibi habitare, & residere debet Rector, nisi secum admittat consanguineos. Aliæ verò domus relictæ Ecclesiæ locari possunt, immò debent, quia fructus earum sunt locatio. Id colligitur ex sacris canonibus, nam cap. 4. 12. q. 1. dicitur. *Nulla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantùm Clericorum.* cap. Quæ semel 4. cap. Quoniam 5. 19. q. 3. dicitur, quæ semel sunt dedicata Monasteria, semper Monasteria perseuerent, neq; ad mundanos

danos vsus redire debent, cap. Ad hæc de relig. domib. ita quod id verum est etiam in lignis Ecclesiæ vetustæ, & dirutæ, vt eius ligna non possint conuerti ad alios vsus, quam loci Religiosi. cap. ligna 37. dist. 1. de consecr. Ex quibus deducitur, multò minùs locari posse sæcularibus. Monasterium autem, vt non possit Laicis locari, debet esse ab initio dedicatum pro seruitio Religiosorum, nam si simplex domus recepta ad habitandum non redacta in formam Conuentus, Religiosis indè recedentibus, locari potest Laicis, ne sit illis inutilis. Super tecta Ecclesiæ nulli Laico habitatio concedenda est, si enim domus Canonica, nec Monasterium fieri potest habitatio sæcularium, multò minùs tectum Ecclesiæ.

DECISIO XCIX.

An S. Franciscus de Paula non profitendo in Ordine Minorum, fuerit inconstans?

EX Lect. 4. Breuiarij Romani ex voto facto à suis parentibus susceptus fuit, ibi: *Quem parentes, cùm diù prole caruissent, voto facto, Beati Francisci precibus susceperunt.* Ideò voti memor parentum instructione ingressus fuit Religionem S. Francisci, vt dicitur in Bulla Canonizationis Leonis X. quæ est XVI. apud Peyrinum, de Priuileg. his verbis. *Quæ cùm eius parentes animaduertissent, ipsum annum circiter decimum tertium agentem, iuxtà votum per eos emissum, domui S. Francisci Ciuitatis S. Marci obtulerunt, in qua puer in sortem Domini electus, anno per eum exacto, nullaque professione emissa, vocatis parentibus, eos, vt se ad Ecclesiam S. Francisci de Assisio, & S. Mariæ de Angelis deuotionis causa ducere vellent, enixè rogauit, qui pio eius desiderio annuentes, se se itineris comites præbuerunt, quibus Ecclesijs deuotè visitatis in patriam reuersus idem Beatus Sancto Spiritu inspirante ad Ecclesiam construendam animum addixit.* Ratio dubitandi de inconstantia est; primò, quia Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. num. 20. inquit: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Secundò, puer à parentibus oblatus Religioni resilire non potest; cap. Monachum 3. 20. q. 1. maximè stante voto à parentibus nuncupato, quod exequendum est. Tertiò Nouitius rediens ad sæculū videtur notandus leuitate, & redarguendus, relicto statu tàm bono pro salute animæ suæ. Videtur ergò inferendum, D. Franciscum de Paula fuisse inconstantem relinquendo assumptum habitum Religionis Minorum. His tamen non obstantibus.

Certum est, B. Franciscum de Paula in hoc nullatenus peccasse, neque de inconstantia esse redarguendum. Primū, quòd non peccauerit, patet ex eo, quod annus probationis est cuiq; arbitrarium ex cap. Consulti sumus 20. cap. Postulasti 21. cap. Statuimus 23. de regular. cùm igitur Beatus Franciscus vsus fuerit iure suo nemini fecit iniuriam, ac proindè non peccauit, est enim peccatum quædam iniuria. Quod non fuerit inconstans probatur, quia inconstantia est illa, qua homo à bono, ac debito proposito recedit, non exequendo illud, secundùm Caiet. v. Inconstantia. Armilla ibid. Beatus autem non habebat debitum permanendi in Religione, nec tale fuit vo-

tum parentum, nisi offerendi illum Religioni S. Francisci, prout fecerunt, neque poterant illum cogere ad perseuerandum, quia in certis statibus, vt Religionis, Matrimonij, &c. filij non tenentur obedire parentibus.

Ex quibus patet responsio ad obiecta; Ad primum ex D. Paulo, consilium esse, manere in bona vocatione, quando melior à Deo non inspiratur, vt factum fuit in beato Francisco, quem Deus illustrauit ad fundationem nouæ Religionis Deo gratæ, & fidelibus valdè vtilis, quod est quid meliùs, quam manere in priori. Laudabilius autem est proprium consilium mutare in melius, id enim est sapientis, & viri prudentis, l. Nonnumquam ff. de collat. bon. Instit. de legat. initio. Ad secundum dico, puerum oblatum resilire non posse post professionem tacitam, aut expressam, vt inde colligitur, & ex cap. Significatum 11. cap. Cum virum 12. de regul. Beatus autem non profecit, immò nec dici potest resilisse, quod est retrocedere, cùm in melius suum propositum mutauerit, fundando nouam Religionem. Ad tertium, quamuis redire ad seculum sit inconstantia, hæc autem non fuit in Beato Francisco, qui non redijt ad sęculum, sed ad quid melius se conuertit. Exempla mutationis status, aut propositi, habes quamplura Sanctorum virorum in opere Castaldi Theatini inscripto Bellum Pacificum, vbi egregiè seipsum, & sua defendit.

(∴)

DECISIO C.

An Moniales S. Claræ capaces sint bonorum?

Moniales S. Claræ sunt in duplici differentia, aliæ vocantur Collectaneæ, seu sub prima Regula, quasi filiæ immediatè S. Claræ, cum qua simul lac Spirituale Paupertatis comederunt, quibus ex Regula prohibetur acquisitio, & possessio bonorum in communi, & non tantum in particulari. Subsecunda classe vocantur Vrbanistæ ab Vrbano, qui eis dedit secundam Regulam, quibus ex Regula conceduntur bonorum acquisitio, & possessio.

Monasteria vtriusque Regulæ capacia sunt bonorum stabilium, siue ex testamento, & legato, siue ab intestato, aut alio titulo illis relictorum, vt colligitur ex Tridentino sess. 25. cap. 3. illis verbis: *Concedit S. Synodus omnibus Monasterijs, & domibus tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium, exceptis domibus S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Ergo Moniales S. Claræ etiam sub prima Regula per Tridentinum sunt capaces bonorum, quia illæ non includuntur sub exceptione, ergo pro ipsis facit Regula Tridentini concedentis omnibus bona immobilia non inclusis in exceptione, ex vulgatis iuribus dicentibus, quod exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, l. Quęsitum §. Denique ff. de fundo instru.

ex

ex cap. Dominus 6.32. q.7. cap.2. de coniug. leprof. Barbosa axiom.85. num.4. Nec obstat, quod vocantur Sorores Minorum de Obseruantia, quia sic appellantur per respectum ad gubernationem eorumdem Fratrum, & in fauorabilibus, non autem in odiosis, cuiusmodi est non posse possidere stabilia. Nec vrget illa particula. *Etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat probibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum.* Quasi excludantur illæ moniales, siue Religiosi, quibus ex Regula erat prohibitum possidere, vt Collectaneis iuxta dicta. Quia nomine constitutionum venit etiam Regula, eo communi vocabulo contenta fuit S. Synodus, quia aliquæ Religiones solis constitutionibus viuunt, præterquamquod, si sub ea voce non comprehenderentur Regulæ, frustrà fuisset exceptio Minorum, & Capuccinorum, quibus ex Regula prohibetur possidere. Ita ex Rodriq. to.3. q.29. art.14. Compend. resolut.72. nu.19. alijs citatis Sanch. lib.7. cap.12. nu.2.

DECISIO CI.

An domus Parochialis liuellari possit?

CErtissimum est, & extrà controuersiam Parochum teneri residere, & habitare in sua Parochiali Ecclesia, cap. Quia 3. de cler. non resid. cap. Extirpandæ 30. §. Qui verò, de præbend. c. licet 14. de elect. in 6. Tridentinum sess.23. cap.1. immò id esse de iure diuino, communissima est sententia, cuius Doctores refert Barbosa ad citatum cap. Tambur. tom.1. disp.14. q.2. ergò domus Parochialis in præiudicium Rectoris liuellari, nec locari potest, quia ex emphyteusi, & locatione transfertur vtile Dominium in emphyteutam, & conductorem, ac proindè priuatur Rector, tali vsu, & consequenter præiudicatur Residentiæ. Nec obstat, quod Curatus habeat domum parentum, & consanguineorum sub Parochia, cum quibus habitat, quia Domus destinata ad vsum Parochi debet remanere libera pro seruitio Parochi pro tempore; & id solum arguit Parochum habentem domum consanguineorum intrà Parochiam, posse, dum ipse viuit, locare illam alijs, ne inutilis remaneat sine fructu, neque fiat deterior sine habitatione. Quare rescissio contractus procurari debet per Vicarium Episcopi, recompensatis melioramentis Emphyteutæ.

DECISIO CII.

An depositus ab Officio, ex hoc fiat inhabilis ad idem, & alia?

DEpositus ab officio suo ex crimine inducente infamiam, seu irregularitatem, remanet inhabilis, & ineligibilis, ita quod promoueri non potest ad idem, vel aliud, nisi præuia dispensatione; & hoc verum est, non præcisè ex depositione, sed ex infamia, & irregularitate contractis ex delicto, propter quod reus depositus fuit; hoc probatur, tum quia irregularitas causat inhabilitatem, & ineligibilitatem in persona irregulari, ex cap.2. de cler. non ordin. cap.2. de cler. pugnant. c. Dudum 22. de elect. cap. Cum bonæ, de ætate. Nauar. cap.27. num.351. Sayr. lib.6. de cens.

cap. 2. num. alios, pro se citat Diana resol. 37. de irregular. Tum quia portæ dignitatum non patent infamibus 87. in 6. & ita intelligenda sunt iura, quæ passim referuntur, ita quòd depositio de se non inferat inhabilitatem, nisi reperiatur aliquo iure inducta, cùm sit pœna, quæ non asseritur sine iure illam imponente. Vide Abbatem in cap. Accusatum de simon. Quare cap. Super eo 12. de elect. cap. Omnipotens 4. cap. Super his 16. de accusat. & alia, in quibus repellitur etiam accusatus delicto probato, ac proindè à fortiori repellendus est iam ab officio priuatus, & depositus; huiusmodi iura intelligenda sunt, quando accusatio probata, & depositio sequuta proueniunt à delicto inducente infamiam, irregularitatem, seu inhabilitatem, alitèr non, vt facilè colligi potest ex citatis iuribus, & Doctorib. de ea tractantib.

Collige hinc, non esse inhabilem, neque ineligibilem illum Religiosum, qui ab officio depositus fuit, quia omittit facere aliquid, ad quod tenebatur sub pœna priuationis sui officij, vt quia non procurauit recitari diuinum Officium de nocte, legi casus conscientiæ, &c. Qui autem omisit lectionem Decretorum de celebratione Missarum; item Bullarum S. Inquisitionis; item Decretorum de eiectis, & Apostatis; item Bullæ, & Decreti de largitione munerum, non solùm est priuatus ipso iure sui officij, sed etiam voce actiua, & passiua, & inhabilis, vt expresè dicitur in illis. Ideò sine dispensatione promoueri non potest, conferenda à suis Superioribus, cùm non reseruetur dispensatio in dictis Bullis, & Decretis, respectu omittentium illorum lectionem. Ad actualem autem incursionem pœnarum in illis expressarum requiritur Iudicis sententia, vt alibi probaui; & in specie de inhabilitate docent Nauar. tom. 3. de Datis num. 31. & 44. Sanchez lib. 7. disp. 13. initio Portellus illos citans v. Inhabilitas num. 3.

DECISIO CIII.

An negligens legere Decreta de Eiectis, & Apostatis incurrat aliquas pœnas?

NVllas incurrit, quia ibi non exprimuntur contrà Superiores non procurantes, vt legantur; neq; obstat illa clausula: *Si quis verò ipsorum aduersus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnas incurrat, &c.* quia pœnæ infliguntur contrà facientes, & molientes aliquid, ac proindè actione positiua; moliri enim idem est, quod facere, glos. in extr. de crimine falsi; sed negligentes lectionem illorum Decretorum non dicuntur facere, neq; moliri; sed præcisè illa non legere, & omittere. Confirmatur; Tum quia facere, & omittere se habent, sicut peccata commissionis, & omissionis, quæ inter se specie differunt, ex quo vnum aliud non includit, & ita sub factione non includitur omissio. Tum quia in alijs Decretis, & Bullis proximè exprimitur pœna contrà non procurantes earum lectionem, non autem hic, vbi contingere possunt aliæ transgressiones, & inobseruantiæ illorum Decretorum, ergò inferendum est, dictas pœnas non esse extendendas ad negligentes illorum lectionem.

DE-

DECISIO CIV.

An vnica Missa pluribus satisfieri possit?

AFfirmatiuam docui in gratiam quorumdam Amicorum Sacerdotum tàm sęcularium, quàm Regularium resolut.24.q.7. Primò, quando offerens eleemosinam expresse cõtentatur, si non sit executor alienę voluntatis, quod adhuc sustineo, quia nulli fit iniuria, neq; proindè id prohibetur. Secundò, si Sacerdos propriam applicet portionē danti stipem, quod pluribus ibi approbaui sub q.8. & post Decretum de celebratione Missar. Idem docent Faustus lib.2. de Euchar. q.58. & 158. quem citat contrà se Diana part. 5. tract.14. resol.65. atq; Marchinus de ordine tract. 3. part. 2. cap.16. num.7. apud dictum Dianam part.6.tract.6.resol.8. Tertiò mediante Altari priuilegiato, seu megdalea benedicta liberantibus animam de Purgatorio q. 9.

Nunc autem re meliùs perpēsa pro salute animæ, & eorum, pro quibus offerendum est, & ad euitandum auaritiæ vitium, me declaro, & prędicta admitto, quando offerens stipem voluntariè, & non obligatus, & sponte contentus, quod Sacerdos sic applicet, alitèr reprobo, & detestor eam opinionem, quam semper tenui cum prædicta limitatione, vt patet legenti totam quæstionem octauam in fine §. Prędicta, & in fine q.9. ad quæ non videtur respexisse Lezana v. Missa num.19. loquendo de Altari priuilegiato. Me igitur ita latiùs declaraui, ne deinceps aliqua ratione particeps fiam iniustitiæ, & auaritiæ Sacerdotum Missarum stipendia quærentium, & cumulantium, non habita ratione illius limitationis; præterquamquod quemdam Sacerdotem in extremis laborantem, qui hanc meam sequutus fuerat sententiam, audiui scrupulis vehementibus valdè agitari, ex quo me consulente statim tot stipendia obtulit diuersis Sacerdotibus, vt pro se satisfacerent, quot promiserat celebrare Missas, tacito applicandi modo illa offerentibus; ò mirabile dictu! stipendijs à se abductis, statim cępit conualescere, quia febris mentalis multum vexabat corpus.

DECISIO CV.

An Confessarius sub mortali teneatur interrogare pęnitentem?

COnfessarius regularitèr non tenetur interrogare pœnitentem; Ratio est, quia ad pęnitentem spectat confiteri peccata sua, vt ex sacris scripturis deducitur. Prouerb. cap. 18. num. 17. *Iustus prior est accusator sui.* Et in Psalmo 31. num. 5. *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meo Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Officium igitur Confessarij non est interrogare, sed audire peccata, de quibus pœnitens debet se accusare, siquidem Confessio non est formalitèr interrogatio, sed spiritualis accusatio suorum peccatorum. Ita Sotus in 4. dist. 18. q.2. art.4. fine, & alij communitèr apud Bonac. disp. 5. de Sacram. q.5. sect.2. p.2. §.1. in fine. Dixi, *regularitèr*, quia sub mortali tenetur interrogare in tribus casibus. Primò, quando pœnitens exprimit peccatum in genere, e.g. accusando se peccasse

car-

carnaliter, se percussisse, &c. debet tunc interrogari de specie peccati, an sit adulterium, Sacrilegium, &c. Secundò, quando audit infirmum periculosum, debet enim ex charitate illum adiuuare, ne illius anima in æternum pereat, quando Confessarius aduertit illum non benè, & exactè confiteri attenta qualitate personæ, & temporis, quò non fuit Confessus. Tertiò, ignari, rustici, & pueri, vt plurimum, interrogandi sunt, potius vt edoceantur modum confitendi, quam alitèr, maximè si rarò confitentur. Qui singulis mensibus, & sæpius confitentur nullatenus videntur interrogandi, nisi deficiant in primo, & secundo casu. Vidè Angelum, & Syluestrum v. Confessor. Sciant Confessarij celebres prædicati, ex crebris interrogationibus, à viris prudentibus non laudari, quia hac ratione pœnitentes fiunt negligentes in examinatione conscientiæ, & præparatione, dicentes; sufficit mihi quæuis præparatio, quia habeo bonum (non dicunt prudentem) Confessarium, qui me de pluribus interrogat. Hi sunt ignorantes, & ideò non efficiunt discipulos scientes pœnitentes, qui nesciunt explicare species peccatorum, qui duobus, aut tribus vocabulis peccata confundunt ad pedes Confessarij, qui si est doctus, & prudens, tædio affectus rarò se exponit huic Officio.

Sed quanta interrogatio in dictis casibus necessaria est ex parte Confessarij, vt peccatum huius negligentiæ, seu omissionis euitet? Dico, suo muneri satisfacit, si pœnitentem interroget super decem præcepta Decalogi, quia hæc sunt summa totius legis diuinæ. Adde præcepta Ecclesiæ, præsertim Missæ, & Ieiuniorum.

DECISIO CVI.

Quis prior immunitatem Clericis confirmauit, Papa, an Imperator?

1 Dico, *confirmauit*, quia certissimum est, hanc immediatè Clericis concessam fuisse à Deo, vndè & de iure diuino dicitur esse, & id asseritur in cap. Quamquam de censibus illis verbis: *Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & res ipsorum non solum iure humano, quin immò, & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes*. Et in Tridentino sess. 25. cap. 20. Scribitur. *Immunitas hæc Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus instituta est*. Iure diuino id deducitur ex cap. 47. Genesis à nu. 20. *Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis; subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis*. Cur Ioseph in tam vrgentissima necessitate terram Sacerdotum non subiecit Pharaoni, maximè cum illis ab eodem Pharaone tradita fuisset? nisi, quia cum iam affecta esset sub Dominio Sacerdotum, & acquisisset iura immunitatis, non poterat subijci, propter exemptionem à Deo concessam, contrà cuius ordinationem nullus homo, quiuis ille sit, aliquid statuere potest. Alias auctoritates huius immunitatis collige ex libr. Numer. cap. 3. sub num. 10. & 45. item cap. 8. num. 13. In primo libro Esdræ

cap. 7.

cap.7. hæc immunitas de iure diuino clarè exprimitur nu.24. *Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotib. & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, Nathinæis, & Ministris Domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos*. Hæc scripsit Artaxerses Rex Persarum Custodibus suis, ne regijs oneribus subijcerent Sacerdotes, & reliquos Dei Ministros, illis causam huius prohibitionis notam faciens, in eo consistentem, quod non habent potestatem super his, quia Deus ipse illos hoc dotauit priuilegio ab origine mundi figurato in Abel Genes. cap.4. num.2. *Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domini; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit*. S. Hieronymus relatus cap. Duo sunt 7. 12. q.1. refert duo

3 genera Christianorum, sub primo ponit Clericos, sub secundò sæculares, & Laicos; Clerici significati sunt per Abel, qui erat Pastor ouium, & inter Clericos Sacerdos præcipuè vocatur

4 Pastor, quia verbo Dei, & Sacramentis habet educare, & pascere fideles, qui illius oues sunt secundùm Spiritum, vndè de S. Petro dicitur: *Tu es Pastor ouium*. Laici verò figurati sunt per Cain, qui erat agricola, & cultor agrorum, cuius exercitium, & laborem imitantur Laici, quia in sæcularibus negotijs, & rebus terrenis occupantur. Deus non respexit ad munera Cain, hoc est, illa non benedixit, neque speciali deputatione sibi reseruauit, sicut fecit munera Abel, quæ benedixit, & singulari priuilegio sibi dedicauit, ac proindè exemit à quocumque vsu Laico, immò declarauit

2 immunes esse ex natura rei à quocumque onere Laico, neq; enim Deo semel dicata prophanis vsibus applicari possunt, c. Ecclesiæ 9. de immun. Hinc est, quod hoc priuilegium scientius vocatur immunitas, idest sine vllo munere, & onere debitis Laicis, quam exemptio, quod verbum significat exemptum aliquando subiectum fuisse, bona autem Ecclesiastica, vt talia, & quamdiù inceperunt esse talia nunquam de iure fuerunt sub Dominio tributario Regum, & Principum, id quod importat verbum Immunitas. Hanc sententiam vti veriorem docent quamplures, quos pro se citat Diana par.1. tract.2. de immun. resol.1. & communem inter Theologos, & Canonistas eam vocat Cabedo part.2. decis.83. num.10. Et Merlinus in vna Albanensis Gabellæ 28. Iunij 1630. rem hanc peregregiæ tractat. Immò audeo dicere, hanc propositionem censeri posse, probabilitèr esse de fide, ex adductis auctoritatibus Sacræ Scripturæ. Sed resoluamus propositam quæstionem.

Summi Pontifices priores fuerunt in confirmanda immunitate suis Clericis, quam Reges, & Imperatores, nam Caius Papa I. in Epistola ad Felicem anno 283. hæc scribit: *Nemo vmquam Episcopum apud Iudices Sæculares, aut alios Clericos accusare audeat*. Marcellinus, qui ei successit de anno 296. hæc habet: *Clericum cuiuslibet Ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæculare iudicium trahere, nec Laico quemlibet Clericum accu-*

accusare liceat. Intèr Imperatores, qui primo Catholicæ Ecclesiæ detulerunt, primus fuit Constantinus, qui in Concilio Niceno anno 325. edito, hanc immunitatem confirmauit, dum nonnullis Sacerdotibus eorum causas, & lites coram ipso decidendas offerentibus respondit hæc aurea verba. *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi, ideò nos à vobis rectè iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos expectare iudicium, vt & vestra iurgia quęcumq; sunt, ad illud diuinum reseruentur examen: Vos enim nobis à Deo dati estis Dij, conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit; & ideò his omissis, alia, quæ ad fidem Dei pertinent, absq; vlla animorum contentione discutite.* Hæc Carranza in summa Concil. ad Concilium Nicęnum. Ex quibus patet immunitas de iure diuino concessa Clericis, & primò confirmata à Constantino pijssimo Imperatore, ad cuius imitationem, & exemplum subsequentes corroborauerunt suis constitutionibus, nimirùm Valentinianus, & Theodosius relatis cap. Continua 4. 11. q. 1. de anno 387. item Martianum de anno 453. l. Cum Clericis, de Episc. & Cler. & alibi plurib. Igitur Imperatores propriè non concesserunt Clericis immunitatem, sed à Deo iam concessa procurauerunt suis constitutionibus, vt obseruaretur.

DECISIO CVII.

An Scotus immunitatem Clericorum tenuerit esse de iure imperatorio?

PAulus Comitolus Societatis Iesu lib. 1. Respon. moral. q. 93. asserit Scotum fuisse huius opinionis illis verbis. *Grauitèr errauit Scotus in 4. sent. dist. 13. q. 2. qui priuilegium exemptionis à foro laico in causa sanguinis, ait, Ecclesiæ datum esse à Constantino.* Sed verius errat ipse Comitolus, qui corticem verborum legit, & non quod intùs latet. Audi ipsum sic discurrentem. *Si etiam obycitur de degradato, quòd non maneat Sacerdos, quia spoliatur priuilegio Clericali, & traditur curiæ sęculari. Respondeo non est essentiale Ordinem habere illud priuilegium concomitans, quod satis persuadetur, quia illud priuilegium videtur concessum ab Imperatore Constantino, ordo non. Aliquando etiam Sacerdos erat sine tali priuilegio, scilicet ante concessionem; hoc tamen posset esse vnum brocardicum iuristis, quia illud priuilegium consistit in hoc, quòd non possit iudicari in causa sanguinis, nisi à Iudice Ecclesiastico. Sed si Papa exuit aliquem priuilegio Ecclesiastico commendans eum curiæ sęculari, Iudex sęcularis est minister, vel executor Iudicis Ecclesiastici; nullus autem alius à Iudice Ecclesiastico potest eum committere Iudici sęculari, ergò non est possibile, quòd committatur sibi, nisi sicut ministro Iudicis Ecclesiastici, & per consequens non spoliatur priuilegio, quia dùm manet priuilegium, potest aliquis sæcularis in eum esse minister Iudicis Ecclesiastici.* Hæc Scotus, ex quibus colligitur, ipsum dupliciter respondisse præfatæ obiectioni, primò quidem, illud priuilegium

non

non esse de essentia ordinis, ea ratione, quia datum fuit à Constantino, & ordo à Deo, & non ab Imperatore, & ideò ordo stat sine priuilegio. Hæc autem responsio illi non placet, ne faueat iuristis, & alijs asserentibus, Ecclesiasticam immunitatem esse de iure humano, quod cõstat, tum quia dicit,
1 hanc responsionem esse posse vnum brocardicum Iuristis; tum quia vtitur verbo, *videtur*, quod non importat assertionem, sed dubitationem, Rota vol. 3. lib. 2. decis. 15. num. 3. Surd. decis. 195. num. 13. Seraphin. decis. 522. num. 2. tum quia aliam affert responsionem, nimirùm per degradationem non amitti priuilegium consistens in
2 hoc, quod Clericus non potest iudicari in causa sanguinis, nisi à Iudice Ecclesiastico, vndè carnifex est minister Iudicis Ecclesiastici, non Laici Iudicis, cuius esset, si priuilegium Clericis fuisset concessum ab Imperatore, per illam enim degradationem restitueretur antiquæ, & connaturali subiectioni; igitur cùm minister dicatur Ecclesiastici Iudicis, non Laici in sententia Scoti, clarè infertur reuera illius opinionis non fuisse. Confirmatur, quia ex pluribus responsionibus Doctor censetur tenere posteriorem ex doctrina allata à Naldo v. Doctor nu. 8. quem pro se refert Sayr. lib. 1. Clauis cap. 6. num. 14. ergò Scotus respondendo dupliciter ad obiectionem prędictam, amplectitur posteriorem, priori reiecta.

DECISIO CVIII.

An Prior cogere possit suos subditos ad curam infirmi Laici extrà Conuentum?

DVo Capucini recusauerunt obedire suo Guardiano in hoc casu, humilitèr se excusantes non teneri in hoc obedire, quia potestas, quam habet Superior suprà subditum ratione voti obedientiæ, non se extendit ad hunc casum, nam obedientia, quam profitens promittit Superiori Regulari, est secundùm Regulam, quam Nouitius profitetur; in Regula autem Capucinorum id non exprimitur, quòd professores illius teneantur curare infirmos, qui sunt extrà Conuentum. Confirmatur id, quia cap. 6. eiusdem Regulæ de cura infirmorum Fratrum tantùm dicitur. *Et si quis eorum in infirmitatem inciderit, alij Fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.* Et cap. 10. Scribitur. *Fratres verò, qui sunt subditi, recordentur, quòd proptèr Deum abnegauerunt proprias voluntates: vndè firmitèr pręcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animę suæ, & Regulæ nostræ.* Sed Capucini non promiserunt curam infirmorum extraneorum, ergò non tenentur obedire in hoc suo Guardiano. Demùm Religiosus tenetur obedire suo Superiori præcipienti secundùm Regulam, ex communi Doctorum cum D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 9. & in 2. dist. 44. q. 2. art. 3. Sanch. lib. 6. cap. 2. num. 9. vbi aliquid pertinere potest ad Regulam dupliciter, expresè, quia in ea exprimitur, & implicitè, nam licèt in Regu-

la

la non scribatur, quia tamen necessarium est ad obseruantiam regularem, ideò dicitur in Regula contineri virtualitèr, ac proindè esse secundùm Regulam, & secundum vtrumq; Religiosus obedire tenetur suo Superiori ex communi Doctorum; modò cura infirmorum extraneorum in Regula non exprimitur, neque virtualiter, & implicitè continetur, quia non facit ad conseruandam regularem Obseruantiam, quæ sine cura infirmorum huiusmodi custodiri potest, vt de se patet, ergò Capuccinus in hoc obedire non tenetur, cum sit supra, & præter Regulam suam. In ijs autem, quæ sunt supra Regulam nullus tenetur obedire, Ita D. Bonau. in 2. dist. 44. art.3. q.2. & alij communiter, quos adducit Sanchez lib.6. c.2. n.15. Valde tamen vrgent verba, quibus S. Pater primæ suæ Regulæ initium dedit. *Regula, & vita Minorum Fratrum hæc est: scilicet, Domini Nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare.* Quod replicatur in fine eiusdem Regulæ, quæ terminatur his verbis. *Et Sanctum Euangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod firmitèr promisimus, obseruemus.* Sed visitare infirmos, quod inter opera misericordiæ corporalia annumeratur, exprimitur in Sancto Euangelio, & præcipitur Matthæi 10. n.8. *Curate infirmos.* Lucæ 10. num.9. Act.20. num.35. Epist.1. ad Thessalon.cap.5. num.14. ergò Franciscanus sub prima Regula militans tenetur obedire in hoc suo Superiori. Sed respondetur cum Nicolao Papa III. Cap. Exijt 5. de verb. signif. in 6. Franciscanos teneri seruare Iesu Christi Euangelium non absolutè, sed cum quadam modificatione, hoc est, ad Obseruantiam Euangelij per ipsam Regulam in tribus votis modificatam, determinatam, & specificatam. Quare cum Sanctum Euangelium, quod ad curam infirmorum modificetur quò ad Fratres, ideò non est Obseruandum quo ad sæculares ex vi voti obedientiæ, & Regulæ. Dico ex vi horum, quia ex virtute misericordiæ, quæ dictat proximi miseriam esse sublenandam, aliquando Religiosus tenetur visitare infirmos extraneos, quando nimirum sunt positi in extrema necessitate, in qua censentur, cum Parochus abest, in eo enim casu Capuccinus tenetur consolare infirmum colloquijs spiritualibus. Scias benignè lector, quod iste casus formatus in persona Capuccini, est tantùm speculatiuus, quia missus ad hoc charitatis opus, promptè, & deuotè obediuit.

DECISIO CIX.

An circumstantia matris, & filiæ concupitæ aperienda sit in Confessione?

Nequaquam, quia non est circumstantia specialis, sed tantum aggrauans; sed aggrauantes necessario non sunt exprimendæ ex communissima opinione Doctorum cum S. Thoma in 4. dist.16.q.3.art.2. q.5. quos refert nu.38. Diana part.1. tract.7. de circumstant. resol.1. qui alios sex enumerat part.5. tractat.14. resolut.56. in fine; & id clarè deducitur ex Concilio sess.14. cap.5. dum ibi dicitur, quod in Confessione explicandæ sunt illæ circumstantiæ, quæ mutant speciem, ergò aliæ, quæ non mutant speciem, necessariò aperiendæ

non

non sunt Confessario, cum ibi id non præscribatur de alijs, & tamen ibi exactè tractatur de Sacramento Cõfessionis. Probandum est, quod desiderans luxuriari cum duabus fœminis, quarum vna est mater, & altera eius filia, non consanguineæ, aut affines concupiscenti, non addat circumstantiam specialem, quia si adderetur, maximè ex incestu, sed hoc verùm non est, quia peccatum incestus contrahitur solum, quando quis concupiscit, vel copulam habet cum muliere iam antè sibi consanguinea, vel affine, supponit enim parentelam inter peccantes, ex qua denominatur incestus, desiderium, vel copula, cum debeat causa præcedere suum effectum, parentela enim est causa, cur peccatum dicatur incestus. Quare cum iste desiderans luxuriari cum illis duabus fœminis inter se sanguine coniunctis in primo gradu, non sit illis cognatus, nullatenus incestum mentale, neque externum cum illis primò committere potest.

DECISIO CX.

An actus externus addat bonitatem, & malitiam actui interno, cum quo coniungitur?

QVæstio procedit respectu eiusdem suppositi, obiecti, & temporis, vt patet ex titulo propositæ difficultatis. Additio autem duplex est, secundùm intensionem, & secundùm extensionem. Difficultas non est de additione intensiua, quia malitia, seu bonitas actus interni intenditur causalitèr, aut occasionalitèr ab actu externo, ratione cuius magis perficitur in bonitate, seu malitia. Consistit ergò quæstio in additione extensiua, & quantitatiua, an s. Actus exterior habeat propriam bonitatem, seu malitiam distinctam à malitia, seu bonitate actus interni, cum quò est coniunctus, & illam addat eidem actui interiori, vel nullam habeat, ita quod si actus interior impediatur, ne exeat in actum externum, tantam habeat bonitatem, vel malitiam actus interior, sine actu externo, quantam haberet, si exiret in actum? Exemplum pono in Martyrio S. Francisci, qui fuit martyr desiderio, vt habet Antiphona ad Benedictus, ac proindè talis fuit secundùm actum internum. S. Stephanus non solùm desiderio, & actu interno, sed etiam externo per carnis suæ lapidationem Martyrium subijt. Difficultas est, an hæc externa lapidatio habuerit propriam bonitatem, & illam communicauerit, & addiderit actui interno desiderij; si id negamus, infertur, Martyrium S. Stephani non fuisse perfectiùs, nec meliùs Martyrio S. Patris, qui solo mentis incendio patiendi Martyr dicitur, hoc autem falsum est, quia ratione Martyrij S. Franciscus parificandus non est D. Stephano. Quare in hoc magis meruit, & magis laudatur S. Stephanus, quam S. Franciscus, ex eo, quod Martyrium externum suam specialem bonitatem addit Martyrio interno. Accipe exemplum respectu malitiæ. Magis peccat, qui furatur, seu luxuriatur, quam si hæc tantum desiderat facere, vt omnes docent, consequenter executio desiderij habet propriam malitiam, quam super addit desiderio. Quare.

Dicendum est, actum externum habere

habere propriam bonitatem, vel malitiam distinctam à bonitate, & malitia actus interni per eam aucti. Pro intelligentia,& probatione.

1 Notandum est, quòd actus duplex est, vnus naturalis, seu physicus, alter moralis; ille dicitur esse in genere entis;seu naturæ;hic in genere moris; & de hoc secundo hic agimus.

2 Actus igitur moralis est id, quod prouenit à voluntate liberè operante circà obiectum sibi à ratione propositum, nam voluntarium est in agente libero cognoscente singula, in quibus est actio. Igitur actus in genere moris specificatur à voluntate,& ratione, ab ea dupliciter procedere dicitur, vno modo elicitiuè in quantum à voluntate immediatè producitur, & is vocatur actus elicitus internus, & immanens, quia manet in potentia eliciente; altero modo imperatiuè, quatenus à voluntate imperatur alteri potentiæ, vt illum eliciat, & producat in esse; & is vocatur respectu voluntatis actus imperatus,& externus, atque complementum actus interioris.Vterque autem actus,tàm internus, quàm externus habet hoc commune, quod vocatur bonus, si sit volitus, seu factus secundùm omnia sua requisita;malus verò,si illis deficit omnibus,aut aliquo illorum, iuxtà illud tritum axioma: *Bonum ex integra causa,malum ex singulis defectibus*, v.g.Oratio est actus bonus, si fiat cum attentione, distincta prolatione, & eleuatione mentis ad Deum,&c.erit verò actus malus,si fiat sine illis,aut aliquo illorum. Item copula, si fiat inter coniuges cum ordine ad generationem, aut ad extinguendam libidinem, modo debito, &c. bona est; mala verò, si in aliquo illorum

3 deficiat. Ex quibus deducitur actum dici bonum, vel malum ex tribus, ex obiecto, circumstantia, & fine, à quibus sumit suam bonitatem, vel malitiam, cum ea differentia, quòd ratio obiectiua est illi intrinseca,& immutabilis, quia eius est essentia, circumstantiæ verò, & finis sunt illius accidentia,ac proindè actum variant causantes illum bonum,quando exit cum omnibus suis requisitis sibi debitis,vel malum, quando exit sine illis. Res exemplo declaratur in oratione, quæ vt ex obiecto, circumstantijs,& fine sit bona, requirit, vt fiat ex verbis honestis, respectu quorum dicitur bona ex obiecto,& materia; vt fiat cum attentione, deuotione, distinctione verborum,&c. respectu quorum dicitur bona ex circumstantijs; vt fiat ad laudandum Deum, vel ad petendum ab eo honesta, &c. respectu quorum dicitur bona ex fine. Eadem oratio ex obiecto bona, redditur mala ex circumstantijs, si fiat sine attentione, confusa prolatione, ridendo, &c. ex fine si fiat ob vanam gloriam, &c. Item furtum ex obiecto est malum; ex circumstantijs, si fiat occisione alicuius, damnificatione diruptionis muri, capsæ, &c. ex fine, ad luxuriandum, ad obtinendum simoniacè beneficium, &c. Concluditur ex his, illum actum dici bonum, qui fit secundùm rectam rationem;eius enim bonitas est conuenientia,& conformitas cum recta ratione, & lege exigente, vt actus appetatur,& fiat cum sua plenitudine,perfectione, & integritate requisitis. Illum verò dici malum, qui fit contrà rectam rationem,& Dei legem; eius enim malitia est disconuenientia,& difformitas, seu priuatio rectitudinis debitæ actui

4

ex

ex ratione, & lege. Quare ille actus dicitur bonus, qui est conueniens, & conformis rectæ rationi, & legi. Malus verò, qui est disconueniens, & deformis legi. Itaq; actus non dicitur
5 bonus, vel malus, quia est voluntarius, sed quia est conformis, vel deformis rationi, & legi. Voluntas libera so-
6 lùm hoc tribuit actui, quod illum denominat meritorium, vel demeritorium, laudabilem, vel vituperabilem, si est bonus, vel malus; in actu enim prior est qualitas bonitatis, vel malitiæ, posterior verò denominatio imputationis meriti, vel demeriti, laudis, aut vituperij; actus enim laudatur, quia est bonus, vituperatur, quia malus. Debet igitur voluntas esse libera in operari, vt actus denominari possit meritorius, vel demeritorius, quia in naturalibus, & necessarijs, neq; meremur, neq; demeremur.

Probatur ex his aliam esse bonitatem, vel malitiam actus interni, aliam actus externi, ac proindè bonitatem, seu malitiam externi actus aliquid su-
7 peraddere actui interno. *Primò*, quia actus interior dicitur elicitus à voluntate non imperatus ab eadem, sicut exterior, qui dicitur imperatus non elicitus à voluntate, ergò sicut sunt inter se distincti in suis entitatibus per distinctas potentias, nam eliciti sunt à voluntate, imperati verò ab alijs potentijs, ita & distinctas habent malitias, & bonitates. *Secundò*, voluntas potest velle per actum internum aliquid bonum, aut malum, in cuius potestate quandoque non est illud exequi; v.g. vellem audire Missam, vel occidere inimicum, tamen, quia sum in carcere constitutus, non possum exequi, quod volo, ergò actus internus tunc propriam habet malitiam. E contrà quandoq; exequor per actum exteriorem, quod forsan tunc nollem, e.g. preuideo ex ebrietate futura, vel in vigilia delibero, me occisurum inimicum, vel furaturum, aut luxuriaturum, &c. & in ebrietate, aut in somnis præcisum, seu deliberatum exequor, certum est, huiusmodi actum externum esse alium ab actu interno volito in preuisione, seu deliberatione, quia sine illo committitur, immò in vigilia, seu sine ebrietate forsan non committeretur, & nihilominus malus est; ergò propria malitia, & non aliena. *Tertiò*, furtum, homicidium, &c. factum à stulto, seu penitùs ebrio, de se malum est in genere moris, & non imputatur ad peccatum, quia voluntarius non est, cùm sit à principio ignorante, quod facit, ergò actus exterior propriam habet malitiam. Idem dic de actu bono facto ab eodem, quod ex se suam habet bonitatem sine vllo ordine ad potentiam voluntatis. *Quartò*, actus elicitus est immediatè à voluntate, ab eadem verò imperatus, & exercitus se tenet ex parte aliarum potentiarum, consequenter obiectum proximum actus eliciti est id, quod appetitur, vt ieiunium, furtum, &c. obiectum verò proximum actus imperati est motio aliarum potentiarum ad exequutionem actus voliti, ita quod actus imperatus est medium ad obtinendum, seu faciendum obiectum desideratum per actum elicitum. Quare cùm diuersi sint actus, diuersæ quoq; eorum erunt circumstantiæ, & conditiones, ex quibus deducitur diuersa bonitas, seu malitia illorum. *Quintò*, actus elicitus, & imperatus, licet idem dictatum rationis respiciāt,

quia ambo sunt conformitas cum recta ratione, & lege, quando sunt boni, aut ambo sunt deformitas à recta ratione, & lege, quando sunt mali, & in hoc genere conueniunt, differunt
8 tamen in rationibus peculiaribus, quia actus elicitus conformis est, aut deformis in ratione finis, imperatus verò talis est in ratione medij ad finem, dictamen igitur rationis competit actui elicito in ratione finis, imperato autem in ratione mediorum.
9 Neque autem eadem est bonitas, & malitia finis; & mediorum, sed diuersam habent, alioquin omnia media essent æqualiter bona, aut mala, assignat enim Arist.8. Æth.cap.2. triplex
10 bonum, vtile, honestum, & delectabile; primum est mediorum ad reliqua duo, quæ sunt finis, consequentèr bonitas, & malitia respectu medij est alia à bonitate, seu malitia finis, licet ad hunc ordinetur. *Sextò*, actus exterior est obiectum actus interioris, nam voluntas appetit illum, & imperat alijs potentijs illius executionem; sed prius est obiectum esse bonum, vel malum, quam actum internum, per quem illud appetitur, esse bonum, vel malum, ergo bonitatem propriam, & malitiam habet à se etiam independenter ab actu elicito. *Septimò*, ad actum bonum, & malum
11 tam internum, quam externum concurrunt duæ potentiæ potissimum intellectus, & voluntas; & in operando prius est intellectus voluntate, quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum, ergò voluntas fertur in obiectum tale, quale sibi proponitur ab intellectu, sed intellectus, quando non errat, obiectum proponit tale, quale est ex parte rei, nimirum, bonum, vel malum, ergo in illo supponitur propria bonitas, seu malitia. Et hoc patet, nam ideò desiderium voluntas orandi, ieiunandi &c. est bona; quia executio ieiunij, orationis, &c. est bona. Voluntas verò fornicandi, furandi, &c. est mala, quia huiusmodi obiecta in se sunt mala ex deformitate eorum cum lege. *Octauò*, ex actu ex-
12 terno proueniunt diuersi effectus boni, seu mali, ergò ratione sui propriam habet bonitatem, & malitiam, per quas consequuntur illi effectus, qui nullatenus prouenire possunt ab actu interno. Antecedens patet, nam perfectior, & melior est actus ieiunij, quam voluntas ieiunandi, nam ille macerat carnem, sensum subijcit rationi, mentem eleuat, &c. quæ non præstantur per actum interiorem. Sic Sacramenti perceptio in actu confert gratiam, consolationem, pacem, & quietem animæ. Eleemosina laudem, & edificationem. Furtum, homicidium, &c. conferunt damnum, infamiam, scandalum, pœnam mortis, &c. *Nonò*, probatur auctoritate S. Augustini, qui lib.13.de Trinit. c.5.
13 dicit: *Mala enim voluntate, vel sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*. Glosa super illud Exodi cap.20. Non mæchaberis, scribit hæc: *Qui opus adijcit voluntati, iniquitatem addit iniquitati*. Demum deducitur ex Sacra Scriptura. Oseæ cap.9. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*, ex quo patet actus humanos externos tribuere malitiam, quam ex obiecto habent, actibus internis.

Hanc quęstionem fusè tractat Scotus Quolib.18.quem in sensum supradictum sequitur Faber de Pœnitent. disp.2.

disp. 2. vbi aduersariorum rationibus benè more suo respondet.

Thomistæ, quos ipse citat, docent actum externum nullam ex se propriam malitiam habere, quam addat actui interiori, ita quod volunt, voluntatem pro facto reputari, & affectum pro effectu computari, & haberi, cap. Magnæ 5. dist. 1. de pœnit. cum glosa ibidem vnde votum, & desiderium confitendi habetur pro Cōfessione, eumdem enim effectum operatur contritio cum voto Confessionis, quem præstat ipsa actualis Confessio cum Sacramentali absolutione; & S. Augustinus de lib. arbitrio cap. 3. dicit: *Si quis habet voluntatem concubandi cum vxore aliena, & non datur facultas, coram Deo tam reus est, quam si opere compleuisset.* Ergo copula carnalis voluntati adiuncta nihil plus operatur, quam ipsa voluntas, consequenter nihil malitiæ addit desiderio, quod est actus interior.

13 Respondetur *Primò*, voluntatem pro facto reputari, quò ad præmium, & pœnam essentialē, nam tam est dignus, & merens beatitudinis essentialis, quæ est clara Dei visio, cupiens benè facere, quam in re benefaciens; meretur verò pœnam æternæ damnationis, tam qui desiderat luxuriari, quam si actu luxuriæ peccatum committat; itaque pro facto reputatur voluntas, quia damnatur volens furari, ac si furaretur. Voluntas verò pro facto non reputatur respectu meriti, seu præmij, & demeriti, seu supplicij accidentalis, quia maius gaudium accidentale habet Martyr in actu, qui laureola decoratur, quam si talis fuisset solum desiderio, quia caret laureola. Vide Nau. tom. 3. in Cap. Magna à num. 9. vsque ad finem, præsertim num. 15. & 19. Graff. lib. 2. Append. cap. 5. num. 32. & seq. *Secundò* Patres exagerant hoc axioma contrà quosdam, qui peccata interna, & mentalia paruifaciebant, quasi non essent peccata, nisi ea, quæ opere externo consumantur, inuehentes contrà istos, illis ostendendo, tantum damnabile esse, & abominabile peccatum mentis, quam operis, quia pro eodem reputantur apud Deum, qui non solum prohibuit mala opera, sed etiam eorum desideria. *Tertiò*, non video, quo modò ex huiusmodi axiomate inferri possit, actum externum nullam in se, & de se habere malitiam; immò ex eo videtur probata nostra sententia, quia actus internus æquiparatur externo in ratione malitiæ, ergò actus externus non minus malitiosus est, quam internus, consequenter ambo participant malitiam, & quidem diuisibiliter, immò ex actu externo redundat in actum internum; in tantum enim desiderium e. g. furandi est malum, in quantum actualis ablatio rei alienæ de se est mala ex deformitate cum recta ratione.

Becanus de Beatitud. & actibus human. tract. 1. cap. 6. considerat actum externum duplicitèr, primò in ratione obiecti, quatenus appetitur, & imperatur à voluntate; secundò in ratione actus, & effectus quatenus exercetur, & elicitur à potentia. In priori sensu, ait, actum exteriorem in ratione obiecti ex se, & per se bonum esse, quando appetitur secundum rationem, malum verò, quando imperatur contrà rationem; actus igitur in ratione obiecti est prius bonus, vel malus, quam actus internus, & in hoc

 sensu

sensu concedit actum externum propriam habere qualitatem. Prout verò spectatur in ratione actus, & effectus potentiæ exequutiuę, illum vocat effectum actus interioris, & sic bonus, vel malus formalitèr denominatione extrinseca à bonitate, vel malitia existente in actu interiore voluntatis; quod probat, quia actus exterior eo modo est bonus, vel malus moralitèr, quo est liber, & voluntarius; at quòd sit liber, & voluntarius, ab actu interno habet, à quo liberè imperatur, ergò ab eodem habet, quod sit bonus, vel malus.

His respondetur ex supradictis, actum exteriorem quovis modo spectetur, suam bonitatem, seu malitiam ex se habere, non ab actu interiori, qui quatenus voluntarius est solum habet denominare actum exteriorem in ratione imputationis meriti, vel demeriti, laudis, vel vituperij, si quidem in actu externo priùs concipitur esse bonitas, & malitia, quàm imputatio, quæ illi tribuitur denominatione extrinseca à voluntate.

14 Ex supradictis deducitur, quosdam nimis speculantes, & irrationabilitèr, falsò asseruisse, actus externos peccatorum necessariò non esse explicandos in confessione, quia ratione sui nullam in se habent malitiam, sed tantùm eam reperiri in actu interiore. Quod esse falsum, immò hęreticum, constat ex præcepto Ecclesiæ, quæ annuam præcipit confessionem actuum exteriorum, & internorum, tamquam continentium in se propriam malitiam, & alios plures defectus enumeratos in octaua probatione sub num. 12.

DECISIO CXI.

An subiecta liuellatio sit alienatio interdicta?

SVperior cum sui Collegij consilio, & consensu absq; incursu pœnarum contrà alienantes bona Ecclesiastica inflictarum in Extrau. Pauli II. & Decreto Eminent. Cardinalium potest liuellare domum cum pactis narratis; primò, quòd liuellarius peracto huiusmodi contractu statim facit donationem Conuentui de domo liuellata irreuocabilitèr, & inter viuos; secundò, quòd Conuentus acceptam pecuniæ partem pretij (est enim liberatorius) tradit ad censum. His duobus concurrentibus nullus apparet alienationis contractus, ratio est, quia adhuc Conuentus remanet dominus, & patronus dominij directi per factam donationem, & dominij vtilis, ex annua præstatione census sibi debiti, & res Monasterij melioratur, quia fructus duplicatos recipit, quos anteà ex afflictu, & eius locatione non percipiebat; & pretereà, Conuentus non tenetur ampliùs ad expensas, & restaurationem domus, ad quod onus liuellarius subiectus est. Nec vrget, quòd per primum contractum sequatur verè alienatio, & translatio dominij vtilis, & ex parte directi, quia cùm fiat breui tempore, & quasi imperceptibili, nam vnum instrumentum alteri immediatè succedit, ac proindè cùm tempus intermedians tàm breuissimum pro nihilo reputetur, consequentèr alienatio non facta reputatur arg. Cap. Nam, & ego 3. de verb. signif. vbi factum non dicitur, quod parum, aut ferè nihil durat.

D E-

DECISIO CXII.

An Generalis carcerari possit sine licentia Papæ?

GEneralis absolutus, qui in sua Religione supra se caput non habet, carceribus mancipari non potest, nec capi, sine speciali licentia Papæ. Probatur, quia præceptum capturæ, & carcerationis spectat ad Iudicem, & Superiorem, atq; hoc in iure vocatur citatio realis, quæ à solo Iudice fieri potest, l. Nemmem, C. de exhibend. reis, Bald. in l. Si quando q. 12. C. de test. Clarus q. 28. in practica num. 7. Sed solus Papa est Superior, & Iudex Generalis cuiuslibet Religionis, ergò per illum tantùm capturæ, & carcerationis præceptum edendum est. Nec obstat, quòd Capitulum Generale sit suprà caput Generalis, qui ideò subditur constitutionibus Generalibus, etiam quò ad vim coactiuam; quia puniri non potest iudicialitèr à Capitulo, sed tantùm legalitèr, quatenus incurrit pœnas censurarum, si fuerit transgressor. Neque habet suprà se Protectorem, aut Sacram Congregationem, quia tamquam persona priuilegiata immediatè subditur Summo Pontifici, & Præfati audiunt subditos Regulares recurrentes magis in ciuilib. quàm in criminalibus, & odiosis, qui subduntur suis Prælatis Regularib.

(.·.)

DECISIO CXIII.

An beneficium homicidæ ipso iure vacet?

EX homicidio siue voluntario, & industria, siue casu, & ob sui defensionem commisso per Clericum non vacat beneficium, quia in nullo iure exprimitur huiusmodi vacatio, nisi in tribus casibus, quorum primus est ex homicidio Episcopi Clem. 1. §. A feudis de pœnis. Secundus ex homicidio assassinij, cap. 1. de homicid. in 6. Tertius ex homicidio Rectoris facto per beneficiarium eiusdem Ecclesiæ, cap. In quibusdam, de pœnis, de quibus Gonzal. ad Regul. 15. à num. 75. qui in seq. cum alijs affirmat vacationem in alijs homicidijs qualitercumq; qualificatis non habere locum. Quod per homicidium etiam voluntarium non vacet beneficium Clerici homicidæ de communi, alijs citatis docet Paris. lib. 3. de Resignat. q. 16. à num. 4. qui in sequentibus rem hanc ampliat etiam lite pendente inquisitionis, aut accusationis, licèt etiam sit conclusum in causa, immò lata sententia, si obiecta fuerit appellatio; adde Nauar. consil. 43. de homicid. Parolettum part. 3. cap. 11. lit. O. in terminis Concilij sess. 14. cap. 7. vbi videntur facere difficultatem ea verba: *Omni ordine, & beneficio perpetuò careat*. Sed intelligenda sunt in ordine, & beneficio obtinendis, & executione ordinum iam susceptorum, ita quod Tridentinum nihil disponit de beneficijs obtentis, vndè nec verbum, *Careant*, ad illa refertur, sed ad exequutionem Ordinum susceptorum, & ad ius suscipiendorum .i. careat iure exequendi Ordines, & obti-

nendi beneficia, ad quæ sint inhabiles. Quare ibi Tridentinum vult dicere, quòd homicidæ ex proposito sunt quasi indispensabiles, & in hoc maximam esse difficultatem, Barbosa Allegat.39.num.6.Campan.in diuers.iuris Canon.Rubr.11.cap.23.num.128. Si igitur homicida ex proposito non est priuatus beneficio, multò magis probabilius, immò verius est, non vacare beneficium homicidæ casualis, cuiusmodi est homicidium factum causa defensionis, etiam ex rixa ortum, Nau. consil.25.de homicid. num.2. seu alio quovis modo. Quare Sacerdos, de quo in casu præsenti, qui suum homicidium probauit potiùs ex defensione, & casu accidisse in rixa, potest vti fructibus sui beneficij, & illo gaudere, donec per sententiam Iudicis illo spolietur.

DECISIO CXIV.

Quot numerentur generationes ab Adam vsque ad Christum Dominum nostrum?

EX Sacra Scriptura, cuius Historia est æternæ veritatis, colliguntur ab Adam generationes quinquaginta nouem descendisse per rectam lineam eo ordine, qui sequitur.

1 *Adam* pater omnium viuentium ex Eua coniuge sua genuit tres filios Cain, & Abel, cap.4. Gen. num.1. & 2. & factus annorum 130. genuit Seth, cap. 5. num. 3. in totum vixit annos 930. cap.5.num.5.

2 *Seth* tertius filius Adæ erat 105. annorum, cùm genuit Enos cap.5. num. 6. mortuus annorum 912. cap.5. nu.8.

3 *Enos* filius Seth erat annorum 90. quando genuit Cainan cap. 5. num.9. mortuus annorum 905. cap. 5. num. 11.

4 *Cainan* filius Enos erat annorum 70. quando genuit Malaleel cap. 5. num.12. mortuus annorum 910. num. 14.

5 *Malaleel* filius Cainan erat annorum 65. quando genuit Iared cap. 5. num.15. mortuus annorum 895. num. 17.

6 *Iared* filius Malaleel erat annorum 162. quando genuit Henoch, cap.5. num.18. mortuus annorum 962. num. 20.

7 *Henoch* filius Iared erat annorum 65. quando genuit Mathusalam cap. 5. num. 21. vixit annos 365. num. 23. ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus, num.24.

8 *Mathusala* filius Henoch erat annorum 187. quando genuit Lamech cap. 5. num. 25. mortuus annorum 969. num. 27.

9 *Lamech* filius Mathusala erat annorum 182. quando genuit Noe, cap.5. nu.29. mortuus annorum 777. nu.31.

10 *Noe* filius Lamech erat annorum 500. quando genuit Sem, Cham, & Iaphet, cap.5. nu.31. cum quibus, & vxoribus suis ingressus fuit Arcam à se fabricatam ex precepto Dei, vt in ea saluaret omne genus ex aquis diluuij, cap. 6.7. & 8. mortuus Noe annorum 950. cap.9. num.29.

11 *Sem* primogenitus Noe erat annorum 100. quando genuit Arphaxad biennio post diluuium cap. 11. num. 10. mortuus annorum 600. vt indè deducitur.

12 *Arphaxad* tertius filius Sem cap.10. num. 22. erat annorum 35. quando genuit Sale cap. 11. num. 12. mortuus

tuus annorum 338. vt indè colligitur.

13 *Sale* filius Arphaxad erat annorum 30. quando genuit Heber cap. 11. nu. 14. mortuus annorum 433. vt indè deducitur.

14 *Heber* filius Sale erat annorum 34. quando genuit Phaleg cap. 11. num. 16. mortuus annorum 464. vt indè deducitur.

15 *Phaleg* filius Heber erat annorum 30. quando genuit Reu, cap. 11. num. 19. mortuus annorum 239. ex ibi dictis.

16 *Reu* filius Phaleg erat annorum 32. quando genuit Sarug, cap. 11. num. 20. mortuus annorum 239.

17 *Sarug* filius Reu erat annorum 30. quando genuit Nachor cap. 11. num. 22. mortuus annorum 230.

18 *Nachor* filius Sarug erat annorum 29. quando genuit Thare cap. 11. nu. 24. mortuus annorum 148.

19 *Thare* filius Nachor erat annorum 70. quando genuit Abram, cap. 11. nu. 26. alios duos genuit Nachor, & Aran, qui genuit Lot, num. 28. mortuus annorum 205. num. 32.

20 *Abram* primogenitus Thare ex pręcepto Dei exiuit de Vr Chaldeorum Terra suæ natiuitatis, cum vxore sua Sarai, cap. 11. num. 29. cap. 12. initio; dilatauit ei nomen Abram in Abraham, quando ei apparuit, cap. 17. num. 5. & vxori suæ Sarai restrinxit in Sara, num. 15. qui cùm esset annorum 100. ex Sara genuit filium suum Isaac, cap. 21. num. 5. genuit etiam ex Agar ancilla vxoris suæ Ismaelem, ex quo descenderunt duodecim Reges, cap. 17. num. 20. qui primò natus fuit antè Isaac, mortuus annorum 175. cap. 25. num. 7.

21 *Isaac* filius Abraham duxit in vxorem Rebeccam filiam Bathuelis filij Nachor cap. 24. num. 47. & 51. Sororem Laban, cap. 25. num. 20. qui annorum 60. genuit ex Rebecca gemellos Esau, & Iacob, cap. 25. num. 24. Esau maior primogenita vendidit Iacob minori, & sic factus est maior num. 30. mortuus annorum 180. cap. 35. num. 29.

22 *Iacob* filius Isaac genuit duodecim filios ex quatuor vxoribus, ex Lia filia Laban sex Ruben, Simeon, Leui, Iudas caput generationis, Issachar, & Zabulon. Ex Rachele sorore Liæ duos, Ioseph, & Beniamin. Ex Bala ancilla Rachelis duos, Dan, & Nephtali. Ex Zelpha ancilla Liæ alios duos, Gad, & Aser, natos in Mesopotamia, cap. 35. à num. 23. De quibus etiam cap. 30. Iuxtà nomina horum filiorum distributę fuerunt tribus Israel, cap. 49. 28. & Exodi cap. 24. 4. & cap. 23. 28. 21. Apoc. cap. 7. sic enim vocatus fuit à Deo Iacob post luctam cum Angelo, cap. 32. num. 28.

23 *Iudas* filius quartus Iacob ex Lia genuit ex Sue sua vxore tres filios Her, Onam, & Sela. Her in vxorem accepit Thamar, quæ ex eo, neq; ex Ona, post mortem Her, filios habuit; copulata nurui suo Iudæ, ex eo ignoranti in vno concubitu habuit gemellos Phares, & Zaram, cap. 38. per totum, numerus familię eius fuit 76500. Nu. cap. 25. num. 22.

24 *Phares* filius Iudæ ex Thamar, genuit Esron, & Hamul, cap. 46. 12. Ruth. cap. 4. num. 18. Matth. cap. 1. num. 3. Lucæ, cap. 3. num. 33.

25 *Esron* filius Phares genuit Aram, Ruth, cap. 4. num. 18. Matth. cap. 1. num. 3. Lucæ cap. 3. num. 33.

26 *Aram* genuit Aminadab, Ruth c. 4.

 nu. 19.

num.19. Matth. cap.1. num.4.

27 *Aminadab* genuit Naasson, Ruth. cap.4.nu.20. Matth. cap.1.nu.4.

28 *Naasson* genuit Salmon, Ruth c.4. num.20. Matth.cap.1.num.4.

29 *Salmon* genuit Booz de Raab, Matth. cap.1. num.5. Ruth cap.4.n.22.

30 *Booz* genuit Obed ex Ruth, Matth. cap.1. nu.5. Ruth. cap.4.nu.22.

31 *Obed* genuit Iesse, Matth.cap.1.n.5. Iesse vocatur Isai, Ruth cap.4.nu.22. Primo Reg.cap.16.& 17.nu.12.

32 *Iesse* genuit Dauid Regem, Matth. cap.1. nu.5. eius pater dicitur etiam Isai 2. Reg.23. nu.1. Primo Paralip. cap.10. nu.14.cap.29.nu.26.

33 *Dauid* genuit Salomonem ex Bersabee, quæ fuerat vxor Vriæ Eshæi 2. Reg. cap.12.num.24. Matthæi cap.1. num.6.

34 *Salomon* Rex genuit Roboam, qui ei successit in Regnum 3. Regum c.11. num.43.

35 *Roboam* Rex genuit Abiam, qui ei successit, 3. Reg. cap.14.nu.31. Matthæi cap.1. num.7.

36 *Abias* Rex genuit Asa 3.Paral. c.3. num.10. qui ei successit, 3. Reg.c.15. num. 8.

37 *Asa* Rex genuit Iosaphat, qui ei successit, 3. Reg. cap.15.nu.24.

38 *Iosaphat* Rex genuit Ioram, qui ei successit, 3.Reg.ca. .n.22.nu.51.

39 *Ioram* Rex genuit Oziam, qui ei successit, 4.Reg.cap.15.

40 *Ozias* Rex genuit Ioathan, qui ei successit, 4. Reg.cap.15.nu.3.0.

41 *Ioathan* Rex genuit Achaz, qui ei successit, 4. Reg. cap.15. nu.38.c.16.

42 *Achaz* Rex genuit Ezechiam, qui ei successit, 4. Reg. cap.18.

43 *Ezechias* Rex genuit Manassen, qui ei successit, 4. Reg. cap.21.

44 *Manasses* Rex genuit Amon, qui ei successit, 4. Reg. cap.21.num.18.

45 *Amon* Rex genuit Iosiam, qui ei successit, 4.Reg.cap.22.

46 *Iosias* Rex genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babilonis Matth.1.nu.11.

47 *Iechonias* genuit Salathiel, Matth. cap.1. nu.12.

48 *Salathiel* genuit Zorobabel, Matth. cap.1.nu.12.

49 *Zorobabel* genuit Abiud, Matth.c.1. num.12.

50 *Abiud* genuit Eliacim, Matth. c.1. num.13.

51 *Eliacim* genuit Azor, Matth.cap.1. num.13.

52 *Azor* genuit Sadoc, Matth. cap.1. num.14.

53 *Sadoc* genuit Achim, Matth. cap.1. num.14.

54 *Achim* genuit Eliud, Matth. cap.1. num.14.

55 *Eliud* genuit Eleazar, Matth.cap.1. num.15.

56 *Eleazar* genuit Mathan, Matth. cap.1.num.15.

57 *Mathan* genuit Iacob, Matth. c.1. num.15.

58 *Iacob* genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Christus, Matth. c.1. num.16.

59 *Ioseph* Pater Christi putatiuus, cum virgo semper fuerit, descendentiam non habuit.

DECISIO CXV.

An absens eligi possit ad Officium?

Absens, si aliud non obstat, eligi potest ad quodcumque Officium, modò ex Regula, seu statutis ele-

electio passiua absentis non prohibeatur, aut in eo Capitulo ex Officio non sit aliquid gesturus; probatur, quia absentia, vt sic, neminem reddit inhabilem ad electionem passiuam; sed absens, & inscius eligi potest, cap. Innotuit 20. de elect. & S. Bonauentura absens à Capitulo electus fuit in Generalem anno 1256. dum Parisijs legebat, Cron. part.2. lib.1. cap.56. neque in hoc ordine, qui est Tertianorum Regularium S. Francisci, adest statutum, aut Regula id prohibens, siquidem, quod dicitur cap.1. Regulæ illis verbis: *Declaramus præterea neminem ex Fratribus nostris in eligendo Generali Visitatore daturum, aut sibi data accepturum fore suffragia, qui comitijs interesse recusauerit, aut non potuerit, absentium enim in tali electione nulla erit consideratio.* Intelligitur de electione actiua, & passiua, sed solius Generalis, qui eligi non potest, nisi interfuerit, & præsens sit in Capitulo, non tamen dicitur, quod debeat esse de Capitulo. Non potest eligi absens, qui in eodem Capitulo debet aliquid præstare capitulariter, consequenter absens non potest eligi in Generalem, Prouincialem, & Definitorem, quia in ijsdem capitulis aliquid capitulariter semper ab istis agendum est; immò nec absens videtur posse eligi in Discretum, seu Scribam actorum in eodem Capitulo, nihilominus cum id munus per tertium etiam simplicem scriptorem præstari possit, absens eligi poterit. Quarè mittendus ad Capitulum Prouinciale sub nomine Discreti localis eligi poterit absens, cum non prohibeatur, neque in Capitulo, in quo eligitur, aliquid facere debeat, & consensum in sui electionem præbere possit, cum primum promotionis de se factæ cognitionem habuerit.

DECISIO CXVI.

An manus sinistræ latus apud antiquos fuerit maioris honoris?

Ratio dubitandi est, quia aliàs S. Paulus tenebat partem dexteram S. Petri Principis Apostolorum, ac proindè inter omnes Apostolos dignioris, de qua re videndi sunt Antonius Nebrissensis, & Catalogus gloriæ Mundi, qui asserunt manum læuam apud antiquos habitam fuisse pro digniori, quam opinionem non improbant alij cum Bellarmino lib.3. de Incarnat. cap.15. & lib.1. de Romano Pontifice c.27. quos refert, sed non sequitur Ioannes Petrus Puricellus Archipræsbyter S. Laurentij Mediolani in suo Doctissimo opere; *Ambrosianæ Mediolani Basilicæ*, &c. Typis Mediol. anno 1645. pag.122. num.69.

Sed dicendum est, latus manus dextræ semper habitum fuisse pro digniori, quod probatur diuersis exemplis Sacræ Scripturæ Genes. c.13. n.9. *Recede à me, obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo.* Locutus fuit Abram cum fratre suo Loth minore indicans illi, vti minori, partem sinistram, petiturus dexteram sibi debitam ratione maioritatis, nisi eam elegisset Loth, cui inoptionem relinquebat honoris gratia, & Vrbanitatis. Item cap.48. nu.13. *Et posuit Ephraim ad dexteram suam, idest ad sinistram Israel, Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambo ad eum, qui extendens manum*

dex-

dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram verò super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus. Videns autem Ioseph, quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit, & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse: Dixitque ad patrem; non ita conuenit, pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens ait, scio fili mi, scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius minor maior erit illo, & semen illius crescet in Gentes. Iacob nomen à patre Abraam inditum, à Deo vocatus Israel post luctam cum Angelo. Gen. cap. 32. nu. 28. ex quatuor vxoribus Lia, Rachele, & Bala, atque Zelpha priorum duarum ancillis genuit duodecim filios, inter quos supra dictus Ioseph fuit primogenitus ex Rachele cap. 35. num. 23. qui genuit prædictos duos filios Manassen primogenitum, & Ephraim minorem, quos constituit antè patrem suum Iacob, Manassen ad dextram vti maiorem, ac proindè dedit locum honorabiliorem, & Ephraim minorem ad sinistram vti locum inferiorem, & dum Israel erat benedicturus filios, cancellatis manibus, dexteram posuit super minorem Ephraim, & sinistram super maiorem Manassen, quia minor futurus erat maior. Ex quibus habes manum dexteram, & quò ad situm, & quò ad actionem arguere digniorem locum, & digniorem personam, tam respectu Israelis ratione benedictionis, quàm respectu Ioseph ratione situs; eo igitur tempore obseruabatur, vt locus dignior reputaretur latus dextræ, non sinistræ. Ezechielis visio quatuor animalium fuit, quod ad dexteram partem erant facies Hominis, & Leonis, ad sinistram verò Bouis, nam Homo, & Leo nobiliora animalia sunt, ideò dextera illis data fuit in signum honoris, Ezechiel cap. 1. num. 10. In die Iudicij, boni honoris causa collocabuntur ad dexteram Iudicis, mali ad sinistram in eorum vituperium, Matthæi c. 25. à num. 33. Itaque ab origine Mundi vsque ad eiusdem finem, & perpetuò latus dexterum arguit maiorem honorem, & locum digniorem.

De dignitate manus dexteræ, Bald. in l. Decernimus C. de Sacrosf. Ecclesijs, num. 2. §. Et quia dignior, Catalogus Gloriæ Mundi, part. 1. considerat. 11. alijs citatis, Rota Romana apud Tambur. tom. 3. decis. 1. num. 2. De vtroque Apostolo dictus Catol. part. 3. considerat. 31. Petrus Damiani, & ex eo Bellarm. apud dictum Puricellum pag. 116. & 117. num. 65. & seq. Dic tu, per dexteram, in qua collocatus fuit aliquandò S. Paulus, parificari hunc cum D. Petro, quò ad Apostolatus dignitatem, in quo omnes Apostoli fuerunt pares, sed Petrum simpliciter, quo ad potestatem iurisdictionis omnibus præfuisse, consequenter dexterum habere simpliciter locum.

DECISIO CXVII.

An Indulgentia plenaria, ex breuissima oratione sortiatur suum effectum?

Cordigeri S. Francisci ex Bulla Pauli V. sub datum 2. Martij 1617. Contriti proferentes corde, si non

non ore poterunt deuotè nomen IESV. Quando antè Sacram Confessionem, & Communionem sumere non potuerunt, lucrantur Indulgentiam plenariam, quæ dicit remissionem omnium pœnarum, quas peccator pateretur in Purgatorio; similem idem Paulus sub datum 12. Maij 1606. concessit Regularibus. Item habens benedictum globulum, & deuotè recitans Psalmum *De profundis* liberat animam è Purgatorio.

Dubitatur hic, an existens in articulo mortis carens Ministro Confessionis, & Sacræ Communionis, aliàs magnus peccator, sed nunc verè contritus, cum sola prolatione, licèt deuota, nominis Iesu lucretur remissionem omnium peccatorum, pro quib. in Purgatorio puniturus erat e. g. per centum annos? Similitèr an habens benedictum globulum cum vnico, & breui Psalmo liberet animam vnius magni peccatoris, qui in Purgatorio cruciandus erat per mille annos? Ratio dubitandi est, quia per illud vnicum verbum, & per illam breuissimam orationem vnius Psalmi non videtur dignus tanti beneficij, vt ei remittantur tot pœnæ in Purgatorio, nam inter pœnam, & opus laboriosum, quale leuissimum videtur esse in prolatione nominis IESV, & recitatione vnius breuis Psalmi, ferè nulla videtur esse proportio, ergò nec credibile Indulgentiam plenariam in similibus casibus suum sortiri effectum. Et pro mortuis maior est difficultas, quia Papa super mortuos ius non habet illos ligandi, vel soluendi à debitis pœnis, cum hæc facultas ligandi, atq; soluendi eidem data fuerit in homines super terram existentes, ex D. Matth. cap. 16. num. 19. *Quodcumque solueris super terram erit solutum, & in Cælis.*

Summus Pontifex habet potestatem conferendi Indulgentias tam pro viuis, quam pro defunctis iure, & potestate iudiciaria respectu viuorum, per modum suffragij, idest sine potestate iudiciaria respectu mortuorum, inquiunt omnes, vndè in prædictis casibus Indulgentia infallibilitèr sortitur suum effectum, si illam lucraturus est in gratia.

In Ecclesia igitur residet hæc potestas conferendi Indulgentiam per Summum Pontificem, vt definiuit sub anathemate Sacrum Trid. Concilium in Decreto de Indulgentijs ad finem sess. 25. quod ideò de fide tenendum est, vt docent omnes cum Suar. de Pœnit. disp. 49. sect. 1. Fabro de Pœnitent. disp. 38. c. 1. Et deducitur ex Matth. cap. 16. num. 19. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cælis.* Claues autem Christus dedit Petro, cum illi, & eius successoribus dixit: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. num. 17. Contra defunctos facit difficultatem particula *Super terram*, quam aliqui sic explicant, eam referri ad Papam absoluentem mortuos à pœnis super terram; alij dicunt, mortuos esse super terram ex parte, quamuis non sint super terræ superficiem, vt communiter sunt viuentes, vidè Suar. de Pœnit. disp. 53. sect. 2. Sed communis Doctrina Theologorum est, alio modò Papam concedere Indulgentiam viuis, quam defunctis, nam Papa potestate iudiciaria absoluit viuentes à pœnis eisdem debitis pro peccatis iam remissis; Defun-

functos verò eadem potestate iudiciaria absoluere non potest, quia non sunt de eius foro, sed tantum potestate solutoria, & suffragatoria defunctos liberat à pœnis Purgatorij, sed in quo consistat hoc ius suffragij, & solutionis, Doctores non concordant, de quas re vidè Suar. disp.53. sect.3. & Fabr. disput.38. cap.8. Dici potest, secundum quosdam, eamdem esse potestatem iurisdictionis nuncupatam iudiciariam, per quam Papa liberat tam viuos, quam mortuos à pœna temporali illis debita pro peccatis iam remissis. Nec obstat particula, *Super terram*, quia sumitur prout contrà distinguitur ab illa alia, *in Cœlis*, ac proindè refertur ad omnes homines nondum beatos, nec mirum est, quod homo defunctus in fauorabilibus animæ suæ dicatur subditus Papę, cum hæc potestas sit gratiosa, & valdè vtilis illorum animabus; & cum pœna contracta fuerit ab ijsdem viuentibus; & quare Papa eodem iure potestatis non poterit defunctis fauere, quo viuos absoluit? Illa igitur differentia de ablolutione, respectu viuorum, & solutione, respectu mortuorum videtur potiùs voluntaria, & de nomine, quàm de re. Demùm, quantum facit ad rem pręsentem, sufficit nobis scire, quod Papa hanc potestatem habet conferendi Indulgentias tàm viuis, quàm defunctis, quod de fide credendum est.

Sortiuntur autem Indulgentiæ infallibilitèr suum effectum, etiam respectu mortuorum, quando ex parte concedentis habent iustam causam, & ex parte recipientis debita requisita, quod probatur; Tum ex adducta auctoritate. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Deus autem non est mendax, nec infidelis, sed stat promissis, quare si Papa soluit quem à pœnis, est solutus etiam in Cœlo. Tum quia Thesaurus Ecclesię, quem per Indulgentias Papa aperit, infinitæ est virtutis, & efficaciæ, continet enim satisfactiones ex passionibns Christi, & Sanctorum, qui nunquam exhauriri potest, extrau. commun. 2. incip. Vnigenitus, de pœnit. & remiss. ergò ex hoc capite non deest infallibilitas effectus. Tum quia sequeretur, quòd potestas Pontificia non esset plena, & omnimoda in hoc, immò dubia, & fallibilis, & sic fideles retraherentur à cultu diuino paruifacientes Indulgentias, si suum infallibilitèr non sortirentur effectum à diuina prouidentia promissum per illa verba. *Erit solutum & in Cęlis*. Hanc sententiam docent communitèr Theologi cum Fabro de Pęnit. disp. 38. nu. 254. Suarez de Pęnit. disput. 53. sect. 3. num. 3. Acosta, Granadus, Sotus, Ledesma, Coninchus, Tanerus, Trullenchus, & alij, quos pro se citat Diana resolut. 8. de Indulg. Contrà opinionem aliorum, quos pro se citat Layman lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 3. ex illo falso fundamento, quod Deus non se obligauit ad acceptandas Christi satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro liberatione defunctorum, negans hanc obligationem colligi ex dicta auctoritate, quæ tantùm refertur ad homines viuos, citans pro se Tridentinum sess. 14. cap. 6. sed ibi non adducitur supradicta auctoritas, quæ dicta fuit à Christo soli Petro, & eius successoribus, immò si in dicto capite comprehendatur, sumitur sine vlla limitatione, sed simplicitèr, respectu cuiuslibet hominis non-

dùm

dùm beati, seu existentis in Paradiso. Res certissima est, respectu viuorum in omnium sententia, & certa respectu defunctorum ex adductis rationibus.

Rationi dubitandi respondetur, effectum Indulgentiarum tàm pro viuis, quàm pro defunctis non prouenire tamquam à sua causa à pijs operibus præscriptis, sed à satisfactionibus passionis Iesu Christi ex aperitione Thesauri, in quo reconduntur; illæ enim sunt infinitæ virtutis, ac proindè valent delere pęnas quascumq; licèt essent infinitę; verum quidē est, quòd viuens effectum Indulgentiæ non lucratur, nisi sit in gratia, & exequatur opus pręscriptum, quodcumq; illud sit, siuè magnum, siuè paruum; opus igitur pręscriptum est conditio, sine qua non acquiritur Indulgentia, merita verò Passionis Christi sunt causa deletiua huiusmodi pœnarum, vt colligitur ex D. Thoma, & Maiore relatis à Suar. disp. 52. sect. 8. num. 3. illis verbis D. Thomæ. *Ille, qui est vicinus Ecclesię, & etiam Sacerdotes, & Clerici consequuntur tantam Indulgentiam, sicut illi, qui venirent à mille dietis, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur.* Constitutis ergò in articulo mortis prudentèr Papa concedit Indulgentiam Plenariam non valentibus confiteri, nec communicare, si corde contrito dicant, I E S V S, quia pœnæ illis non condonantur intuitu illius prolationis, sed ex meritis passionis Christi, quæ sine dubio talem condonationem operari possunt, & infallibilitèr operantur. Nec mirum, si quispiam quamtumuis in sua vita pessimus, vnica inuocatione nominis Iesu, in quo est nostra salus, & vita, consequitur vitam æternam, quia Deus est summè liberalis, & parcendo maximè ostendit suam omnipotentiam; Nonne latroni per hanc pauculam oratiunculam. *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* Lucæ 23. num. 41. meruit audire. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Demum non obstat, quod antea homo fuerit malæ vitæ, & peruersus, quia in gratia constitutus non ampliùs talis est, sed quasi alter, peccator post pœnitentiam non est amplius peccator, cap. Ferrum 17. dist. 50. immò habetur ac si non peccasset docet Bartol. & Bald. ex text. in l. Imperialis C. de nupt. apud Megal. consil. 9. num. 8. & Deus non recordatur peccatorum remissorum, Isaia cap. 43. nu. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Quare peccatores licet sint maiores, & minores, atque pessimi, nihilominus post peccatum, purificantur, ita quod Deus in remissione pœnarum nullam facit differentiam inter vnum, & alterum, quia ad condonandum non respicit personæ qualitatem, sed suam innatam liberalitatem, cuius proprium est misereri, & parcere.

Sed adhuc obijcitur, quia si indulgentia infallibitèr operatur, frustrà tot Missæ celebrantur ad Altaria priuilegiata, tot repetuntur orationes pro mortuis, si vnica Missa, vnica oratione à Papa præscriptis potest infallibilitèr liberari anima à Purgatorio, ad quid eas multiplicare, & perpetuas relinquere Missas quotidiè celebrandas pro hac, vel illa anima, si vnica Missa liberari potest? Sed per-

sista-

sistamus in determinatis, Indulgentias suum effectum infallibilitèr operari, quia ita Deus promisit, ex allata auctoritate: *Quodcumque solueris, &c.* & suadetur per Fabrum, dum loco citato dicit sub num.253. quod Indulgentiæ sunt satisfactoriæ ex iustitia pro defunctis, ratione communionis inter fideles secundum articulum Cōmunionis Sanctorum, ex quo Deus tenetur acceptare suffragia oblata pro defunctis, qui participant in Communione Sanctorum, vt de fide notum est, ideò Deus non potest non illa acceptare secundum suam promissionem in eo quoq; articulo comprehensam. Ad obiectionem dico, multiplicari Indulgentiam non ad excludendam infallibilitatem eius, sed ad augendum Dei cultum, & etiam, vt suppleantur, si qui defectus interuenissent, vel ex parte concedentis, vel ex parte recipientis, seu operantis. Vel dic eam multiplicationem introductam fuisse ab illis Doctoribus, qui tenent, Indulgentiam non operari infallibilitèr, qui sunt S. Bonauentura, Ricardus, Corduba, Canus, Petrus, Soto, Henriq. cum alijs, quos sequitur Layman lib.5.c.7. tract.7.num.3.

DECISIO CXVIII.

An Episcopus protestans, se nolle quemdam ordinare, ordinet illum accedentem inter alios?

Protestatio hæc spectari potest tribus modis; Primò prout facta fuit antequam Episcopus se præpararet ad Ordinationem e.g. die veneris, aut manè antequam accederet ad Ecclesiam. Secundò in actu præparationis; tertiò dum actu ordinat. Primo modo censetur ille ordinatus, quia in Episcopo non defuit intentio ordinandi illum, virtualitèr existens in illa præparatione, qua generali intentione voluit, omnes ad se accedentes ordinare, consequentèr cum iste inter alios accesserit, censetur ordinatus, cum Episcopus in præparatione neminem in particulari excluserit, hoc ipso quod intenderit, indifferentèr ordinare omnes ad se accedentes. Confirmatur, quia illa Prior voluntas nolendi talem ordinare euanuit per illam generalem intentionem ordinandi quoslibet ad se accedentes; nec obstat illa Regula: Generi per speciem derogatur, ac proindè per voluntatem nolendi ordinare derogatur generali ordinandi; quia illa non habet locum, quando intentio specialis præcedit generalem, tunc enim Generalis sequens destruit præcedentem intentionem sibi contrariam. Reliquis duobus modis non est Ordinatus, quia vt patet, Episcopus caret intentione ordinandi, quæ faciendi Sacramentum, seu quòd facit Ecclesia necessariò requiritur in Confectione omnium Sacramentorum, vt de fide definitur sess.7. can.11. de Sacramentis; vnde inquiunt Theologi ex D. Augustino, quod ad conficiendum quodlibet Sacramentum tria requiruntur, Intentio, Matria, & Forma, accedit enim verbum intentionale, quod est forma, & intentio, ad elementum, quod est materia, & fit Sacramentum. Nec obstat, quod protestatio contraria facto non releuat protestantem, quia licet Episcopus, & hunc talem ordinauerit, nihilominus

nus per hoc factum non destruxit suam protestationem nolendi hunc ordinare, sed adhuc remansit, quia in ijs, quę pendent à nostra voluntate, protestatio prodest, secundum Bart. in l. Non solum §. morte ff. de noui oper. nunt. num. 17. Felin. in cap. Cum M. de constit. num. 79. fall. 4. maximè hoc valet in casu nostro de confectione Sacramentorum, respectu quorum voluntas, & intentio faciendi illa ita necessaria est, vt illius defectu attentatum Sacramentum nullum sit. Quare non tenuit ordinatio illius Episcopi, qui in præparatione expressè dixit, nolo hunc ordinare, & à fortiori, si hoc protestatus fuit etiam dum talem ordinauit, non obstante hoc facto contrario, quod protestationem non destruxit. Alij absolutè respondent tenere ordinationem, quando Episcopus ordinandum antè positum cognouit, esse illum, quē nolebat ordinare, & tamen de facto ordinauit, nam præsumitur Episcopus per illum actum mutasse voluntatem, ne dicamus Episcopum commisisse sacrilegium. Quod si illum non cognouit, neq; remansit ordinatus defectu intentionis. Sed in priori sensu est diuinare, quia licèt nemo præsumendus sit conficere Sacramentum sine intentione, & cum peccato, tamen quia constat de protestatione nolendi ordinare, & non de illius reuocatione, actus presumptionis temerarius nō est, sed rationabilis; nec obstat factum contrarium, quia factum stare potest sine intentione. Præterea illa conditio, si cognouit, &c. cùm sit nobis ignota, & nihil ponat in esse, nobis non innotescit, sit nec ne ordinatus. Quare si Episcopus viuit, interrogandus ipse est, ex cuius responsione rectè resoluitur, & deciditur difficultas.

DECISIO CXIX.

An interdictum Ecclesiæ communis diuersis Conuentibus, seu Collegijs afficiat omnes, quando alter eorum tantum est contumax?

CAsus proponi potest super Ecclesiam S. Augustini Papiensis, in qua Religiosi duorum Ordinum, nimirùm Canonici Regulares, & Fratres Augustiniani, tamquam in sua communi Ecclesia omnes celebrant diuina Officia. Similis est Ecclesia S. Ambrosij Mediolanensis, in qua diuina recitant Officia successiuè Monachi Cistertienses, & Canonici seculares cum suo Præposito.

Notandum autem est pro resolutione, quòd interdictum in casu præsenti imponi potest tribus modis ab Episcopo. Primò interdicendo Ecclesiam, ne quis in ea diuina celebret Officia. Secundò interdicendo simul Ecclesiam, & Ecclesiasticos illius Ecclesiæ. Tertiò interdicendo solùm Ecclesiasticos illius Conuentus, vel Collegij, qui contumaces sunt.

In primo casu certum est, nullum Ecclesiasticum, siue illius Ecclesiæ, siue alterius posse ibi celebrare diuina, quia de ratione interdicti localis est, vt nullus in Ecclesia interdicta persoluat Sacra Officia, alijs allegatis Sayr. lib. 5. cap. 2. num. 4. & hoc apud omnes est in confesso.

In secundo casu cùm interdictum sit mixtum ex loco, & personis, non

solùm

solùm personæ interdictæ ibi celebrare possunt, sed neq; extrà in alijs Ecclesijs, quia est personale interdictum, quod afficit personam, quòcumque eat, vt secundùm omnes docet idem Sayr. lib.5. cap.4. num. 2. Nec casus nostri difficultas hæc est, sed sequentis.

In tertio casu, certum est interdictum afficere tantùm contumaces, ac proindè Religiosi alterius Conuentus, seu illi, qui non sunt contumaces, possunt celebrare, & audire diuina, & alia præstare, quæ sacra sunt, quia interdictum personale non afficit locum, sed tantùm personas, quæ ob suam inobedientiam induxerunt superiorem ad ferendum interdictum, & in hoc neq; est difficultas.

Punctus igitur difficultatis est, quando Episcopus interdicit Ecclesiam S. Augustini, aut S. Ambrosij, quia vnus conuentus iuit minimè ad processionem, & alter obediuit, an nimirum huiusmodi interdictum locale, seu Ecclesiæ, afficiat tam eos, qui non obedierunt, quam qui obedierunt? Episcopum Regulares sub censuris posse compellere ad processiones probaui supra decis.91. & 96.

Dico in hoc casu neutrum Collegium, seu Conuentum, quamuis vnus tantum errauerit, posse celebrare in Ecclesia interdicta, modò sit interdicta, siue ea sit communis, siue propria secundum vsum, & ex parte. Probatur primum ex supradictis sub §. In primo, quia hoc interdictum dicitur locale, quod afficit omnes, tam nocentes, quam innocentes, cum Iudex respiciat locum independenter à quibuscumque personis, quæ dederint, siue non dederint causam interdicto, prohibetur enim simpliciter omnibus celebratio tam actiua, quam passiua diuinorum, etiam respectu innocentium cap. Si sententia 16. de sent.excomm. in 6. ex Doctoribus citatis à Sayr. lib.5. cap.2. num.4. cum ea differentia, quod innocentes extrà non sunt prohibiti, nocentes, & inobedientes nullibi celebrare, aut audirè diuina Officia possunt, ex cap.citato, Bonac. de interd. p.1. num.3. & alij omnes. Probatur secundum: Tum quia Ecclesiæ diuisio secundum vsum est tantum secundum quid, & per relationem ad personam, non autem simplicitèr, & absolutè respectu ipsius Ecclesiæ, quæ simplicitèr supponitur interdicto. Tum quia dicere, quod ex parte est interdicta, & non interdicta, quò ad aliam partem, arguit contemptum interdicti argumento eorum, quæ habentur cap. Si ciuitas 17. de sent. excom. in 6. vbi dicitur, quod interdicta ciuitate, suburbia, & continentia ædificia dicuntur interdicta; & interdicta Ecclesia, capella quoque contigua, & cæmeterium contiguum dicuntur interdicta, ne vilipendi valeat sententia interdicti, inquit Summus Pontifex, à fortiori dimidia Ecclesia, & omnes capellæ interiores erunt interdictæ, quamuis quò ad vsum Ecclesia diuidatur, si quidem maius vilipendium, & contemptum arguit videre, Ecclesiam, quò ad vnam partem officiari, & non quò ad aliam, in quò casu nihil prodest censura, cum adhuc in Ecclesia celebretur ex parte eorum, qui sunt contumaces, quod perinde est, ac si nullum esset interdictum. Vndè puto, Episcopum non posse interdicere Ecclesiam huiusmodi, neque ex parte delin-

delinquentium, neque simplicitèr, quia, licet Ecclesia sit vna, tamen capita, & patroni illius diuersi sunt, neq; vnus subest alteri, propter quod inobedientia vnius capitis non debet nocere alteri; quandocumque enim interdictum fertur, semper supponit peccatum mortale ad minus capitis, & patroni, cuius delictum, & inobedientia, quo ad interdictum extenditur ad quoscumque illi subditos, ac proindè secundum hunc sensum afficit non solum nocentes, sed etiam innocentes respectu illius subiectionis; modò in casu nostro vnus conuentus non fuit inobediens, cum iuerit ad processionem, ergo nulla ratione Episcopus legitimè moueri potest ad supponendum communem Ecclesiam interdicto, indirectè grauando innocentes, qui nulla ratione subditi sunt illi capiti, quod fuit contumax, consequentèr cum non comprehendantur sub interdicto, potetunt in ea celebrare, quod tamen redundat in vilipendium sententiæ interdicti ex adducto capite, ergò ad euitanda huiusmodi absurda inferendum est, Episcopum non posse communem Ecclesiam supponere interdicto, quando ambo capita non deliquerunt. Hæc si considerasset quidam à me consultus, non respondisset, huiusmodi interdictum interpretandum esse secundum quid, nimirum afficere eam partem Ecclesiæ, quæ est ad vsum inobedientium, non verò partem innocentium, ea ratione, inquit, quia ex fictione iuris reputatur duplex Ecclesia. Patet igitur ex allato absurdo in casu nostro, communem Ecclesiam non posse fingi duplicem, quia sequeretur contemptus censuræ contrà citatum caput; neque enim ex fictione sequi debet absurdum, aut alicui præiudicium, cum neque lex, quandò aliquid fingit, intendat absurdum, aut præiudicium alicui generare.

DECISIO CXX.

Cur ex Diurno expuncti fuerunt Nocturni Feriales?

CAusa duplex est, prima est, quia Nocturni non congruunt titulo ipsius Diurni, qui vocatur, *Horæ Diurnæ*; modò Nocturni non vocantur Horæ Diurnæ, cum dicendi sint de nocte, à qua desumunt denominationem, ergò rationabilitèr expuncti fuerunt. Secunda causa fuit, ne Diuinum Officium matutinale interrumperetur, & diuideretur ab ijs, qui vterentur Diurno, in quo non continentur Lectiones.

DECISIO CXXI.

An in petitione dispensationis impedimenti matrimonialis exprimenda sit copula?

STylus Curiæ habet, vt in petitione exprimatur copula non solum habita antè dispensationem Pontificiam, sed etiam antèquam per ordinarium expediatur, ea ratione, vt timore huius manifestationis contrahere cupientes retrahantur à peccato. Copula autem subsequuta post expeditionem factam dispensationis per Ordinarium, vel Confessarium, antè contractum Matrimonium, exprimenda non est, quia ea incessus

K non

non est, cum sublatum fuerit impedimentum per dispensationem. Nulla autem est dispensatio tacita copula incestuosa, quia omissio eorum, quæ sunt de stylo Curiæ, vitiant dispensationem, ex allegatis per Sanch. lib.8. disp.21.n.16. Ita idem docet disp.25. nu.8. Barbosa ad sess.24. cap.5.nu.17. vbi citat ad hoc viginti Doctores. Oppositum tenet probabilitèr Nau. Salcedo, Sà, Vega, Emmanuel, Henriq. Zechius, P.de Ledesma, Ceuallos, relati ab eodem Barbosa nu.18. quia copula nouum impedimentum non facit, neque antiquum auget, aut difficilius reddit, sed potius disponit ad faciliorem dispensationem, ne mulier infamata maneat inupta. Quare committens incestum post obtentam licentiam, antequam ab Ordinario, vel Confessario dispensetur, tenetur de nouo supplicare, quia prior licentia fuit nulla, inquit Sanchez cum prædictis, æquior tamen est aliorum præcitatorum opinio, non teneri, quia cum nulla intercesserit copula antè dispensationem Papæ, verum fuit supplicatum, ac proindè tenuit dispensatio. Prædicta locum habent tantum in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis. Demum, quando copula est occulta, petitur dispensatio vtriusque à Sacra Pœnitentiaria, ne personæ infamentur, si petatur in foro externo.

(.:)

DECISIO CXXII.

An Clericus beneficiarius, fructus sui beneficij non recipiens, teneatur recitare Diuinum Officium?

Clericus obtinuit beneficium, sed quia nondum in sacris constitutus est, non potest percipere fructus, qui solùm distribuuntur residentibus, seu interessentibus Choro, & solis in sacris constitutis, & alios fructus non habet hoc beneficium, quam illos, qui distribuuntur Capellanis in Choro recitantibus horas canonicas. Difficultas ergò est, an iste Clericus, ratione beneficij huius, teneatur ad Diuinum Officium.

Clericus iste sine sua culpa carens fructibus, vt quia non habet legitimam ætatem ad Ordines, aut, si habet, per eum non stat, quin procuret Ordinum sacrorum receptionem, excusatur à recitatione Diuini Officij, quia cùm de Altari non viuat, neque Altari seruire tenetur recitatione Diuini Officij; præterea non sentit commodum fructuum, ergò par non est, vt grauetur incommodo recitationis. Demùm id colligitur ex statuto Leonis X. in Concil. Lateran. ibi: *Ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses, obtento beneficio, Diuinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat.* Supponit ergò, obligationem diuini officij respicere beneficiū cum suis auctib. ergo his non existentibus nulla erit obligatio. Sex autem menses dantur non pro exemptione à recitatione Officij, cum ipso die possessionis beneficij incipiat obligatio illud recitandi, sed à re-

restitutione fructuum illius, qui Diuinum officium nō recitauit. Ita omnes cum Nauar. cap. 25. num. 103. Tolet. lib. 2. cap. 14. alios plures citat Bonac. de Hor. canon. disp. 1. q. 6. p. 3. num. 3.

DECISIO CXXIII.

An beneficiarius quouis tempore suum beneficium renuntiare possit?

QVidam clericus à me quæsiuit, an possit renuntiare suum beneficium, cuius possessionem acquisierat paulò antè, rationem dubitandi expressit, quia audiuit ab aliquibus asserentibus, beneficium non posse renuntiari, nisi post triennium à die habitæ illius possessionis numerandum.

Respondi, me non potuisse inuenire in aliquo iure, vel Bulla Pontificia huiusmodi prohibitionem, consequēter posse illum facere huiusmodi renuntiationē siue simpliciter resignando beneficium in manibus superioris, siue in fauorem tertij, siue causa permutationis, nam id non prohibetur in Bullis Pij V. quarum vna incipit: *Officium creditæ*, in qua suspendit facultates, & auctoritates cōferēdi beneficia per resignationem, seu permutationē vacantia in manibus Ordinariorum; altera incipit: *Quanta Ecclesiæ*, in qua dictam prohibitionem relaxauit cum quibusdam modificationibus. Et Gregorius XIII. in sua incipit. *Humano vix iudicio.* De publicandis resignationibus, & cessionibus beneficiorum, de hac prohibitione nihil dicit, sed solum statuit, vt post hac omnes, & quæcūq; resignationes etiam causa permutationis, litteris Apostolicis non confectis, & possessionę non habita, non admittantur, ergo confectis litteris, & possessione habita, beneficium quocumque tempore resignari potest, etiam secundo die possessionis habitę. Immo Parisius lib. 2. de Resignat. benefic. q. 26. dicit de communi beneficium renuntiari posse antè adeptam eius possessionem confectis tamen litteris Apostolicis, & ad hoc plures allegat Doctores.

DECISIO CXXIV.

An Regulares Ecclesiam fundare possint sine licentia Episcopi?

DE iure communi nulla Ecclesia fundari potest sine auctoritate, & licentia Episcopi, ex cap. Quidam 10. cap. Cellulas 13. 18. q. 2. cap. Nemó 8. dist. 1. de consecrat. Omnes enim Ecclesiæ subsunt Episcopo eius diœcesis, vbi fundantur, cap. Omnes 7. 16. q. 7. & impositio primi lapidis fit per Episcopum, vel Sacerdotem ab eo delegatum, vt in Pontificali, & in Rituali Pauli V. legitur, benedicentem lapidem illum, per quem incipit ædificationem Episcopus, vel Sacerdos de eius commissione.

Iure verò priuilegij Prælati Regulares etiam Mendicantium possunt irrequisito Episcopo benedicere, & imponere primum lapidem, vt Cęlestinus Papa V. concessit id priuilegium Abbatibus Cęlestinorum, confirmatum ab Eugenio IV. eidem Congregationi, cuius Bullam registrat Rodriq. Bulla 18. dicti Eugen. num. 18. Tambur. tom. 1. disp. 22. q. fin.

Sed quoniam Tridentinum sess. 25. cap. 3. prohibuit, ne de cętero Monasteria, & loca erigantur sine licentia

Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, iuxta ius commune cap. Quidam 10. cap. Qui 11. cap. De Monachis 12. 18. q. 2. idcircò illud priuilegium censetur reuocatum, siquidem, si non possunt ampliùs erigere Monasteria sine licentia Episcopi, vt etiam nouissimè mandauit Vrbanus VIII. sua constitut. incip. *Romanus Pontifex*, quam cum alijs refert Tambur. tom. 3. disp. 5. q. 1. & non inueniantur illa sine Ecclesijs, à fortiori censetur prohibita sine auctoritate Episcopi, fundatio Ecclesiæ Monasterij, non minorem, immò maiorem habent subiectionem Ecclesiæ Episcopo, quàm Monasteria, proptèr illam solemnem benedictionem, & impositionem primi lapidis; præterquamquod situs, super quem fundanda est Ecclesia, vt plurimum non est exemptus, quare dictum priuilegium non videtur ampliùs desistere.

DECISIO CXXV.

An Regulares suos Conuentus de loco ad locum transferre possint sine Episcopo?

SI *quis vult suum Monasterium ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi, & Fratrum suorum, & dimittat Presbyterum aliquem in priori loco ad ministeria Ecclesiæ.* Ita decreuit Bonifacius relatus, cap. Si quis 38. 16. q. 7. Nomine Fratrum suorum veniunt Fratres illius Prælati, qui vult transferre priorem Conuentum in alium locum ad meliorandum.

Iure verò priuilegij incip. *Iniunctum nobis*. Sixti V. concessi Congregationi S. Benedicti Portugalliæ, ista mutatio fieri potest de solo consensu Capituli Generalis, sine licentia Episcopi, priuilegium refert Rodriq. in suo Bullario Bulla 21. Sixti V. Miranda tom. 1. q. 33. art. 2. concl. 2. alij cum Tambur. tom. 3. disp. 5. q. 4.

Dictum priuilegium nostris temporibus puto non habere locum, primò, quando de nouo fundatur Conuentus, obstante Bulla Vrbani VIII. vt dixi præcedenti Decisione, & docui Resolut. 136. præsertim q. 5. Secundò præcipuè, si fundetur Ecclesia, quæ ædificari non potest sine auctoritate Episcopi, vt dixi in præcedenti; tertiò, si Ecclesia sit subiecta Episcopo, quia illam de eius manu recipere debent. In vno casu non requirerem licentiam Episcopi, cum nimirùm sit permutatio Conuentuum inter Regulares, siue eiusdem, siue diuersi Ordinis, quia permutantes in nullo subsunt Episcopo.

Requiri licentiam Episcopi in huiusmodi mutatione docent Rodr. to. 1. q. 23. artic. 7. Portel. v. Monasteria num. 5. Nequaquam requiri docent Miranda tom. 1. q. 33. art. 2. Rodriq. tom. 2. q. 49. art. 4. Portel. cit. n. 7. Compend. Resolut. 55. num. 4. cum istis Diana Resolut. fin. de dubijs Regul. Portel. & Rodriq. loquuntur de iure communi, ex quo secundo loco citati docent, non requiri licentiam Episcopi in mutatione Conuentuum, proptèr illud priuilegium, cui non fuit derogatum per Tridentinum loco citato cap. 3. sess. 25. asserit Diana ex citatis Doctoribus, quia inquit Peyrin. ad constitut. 6. Gregorij XV. in Concilio prohibetur, ne sine licentia Episcopi erigantur Conuentus, secundùm autem Rodr. tom. 2. q. 49. art. 9. non dicitur

citur erigi, & acquiri nouus Conuentus, quando in eadem Ciuitate, seu Castro fit mutatio de loco ad locum, quæ explicatio facit ad hoc, vt dictum priuilegium, neque per subsequentes Bullas Tridentinum Clementis VIII. Greg. XV. & Vrbani VIII. extensas apud Tambur. tom. 3. disp. 5. q. 1. non dicatur derogatum. Sed permaneant dicta superiùs, nimirùm in translatione requiri licentiam Episcopi ex præscripto Tridentini, & dictarum Bullarum, in quibus fit mentio de erectione nouorum Conuentuum, derogando omnibus priuilegijs, quo nomine venit quæcumq; erectio Conuentuum, siue fiat simpliciter, quia anteà non extabat, siue aliud de nouo construatur Monasterium, relicto, aut retento veteri, verè enim dicitur de nouo fundari, & erigi, cum anteà non esset, sed incipiat primò esse.

DECISIO CXXVI.

An Episcopus originis possit ordinare beneficiarium alterius Episcopi?

SVbdiaconus quidam oriundus Regij, vbi natus est, nunc habens domicilium Mutinæ, & Beneficium Mantuæ, obtinuit à Summo Pontifice priuilegium recipiendi ordines Sacros tribus diebus festiuis à quocumque Episcopo de licentia sui Ordinarij, an ordinari possit à quocumque illorum Episcoporum, qui dicuntur illius proprij, sine alterius licentia? In hoc casu non potest recipere ordines, nisi ab Episcopo Beneficij, quod probatur, quia ille tantum dicitur suus Ordinarius, nam in supplicatione mentio tantum fit de Ordinario Beneficij, ac proindè ad illum refertur illa clausula. *De licentia sui ordinarij*. Deinde Clericus iste in tantum dicitur subditus Episcopi quò ad ordinationem, in quantum habet titulum beneficij, aut patrimonij ab eodem Episcopo, sed ab vno tantum habet beneficium, ergo ab eo tantum ordinandus est, aut ab alio de eius licentia, licet alius esset Episcopus originis, aut domicilij, quia talis Episcopus nullum ius habet super ordinandum, cum id acquiratur ex titulo patrimonij, vel beneficij, qui duo tituli non existunt respectu Episcoporum originis, & domicilij. Præterea Episcopo ordinanti constare debet, quod quando ordinatur, habet actu beneficium, sed id constare legitimè non potest Episcopis originis, & domicilij, ergò ab his ordinari non potest sine licentia Episcopi beneficij, cui constat de existentia beneficij. Facit quod habet Additio ad Quar. v. Ordo, §. Circa tertium. Demum iste Clericus de licentia Episcopi Mantuani recepit Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus ab Episcopo Regiensi originario, ergò & Præsbyteratus, siquidem per huiusmodi licentiam præclusa est via alijs Episcopis, vt dixit Nouar. in singul. canon. concl. 102. nu. 22.

DECISIO CXXVII.

An priuilegium recipiendi ordines extra tempora tribus diebus festiuis excludat Sabbatum?

POtest ordinari Sabbato Temporum intermediante, quamuis non sit festiuum, neque enim quod in

fauorem alicuius concessum est, in eius dispendium redundandum est, Reg.61. in 6. si autem non posset ordinari Sabbato intermediante, id illi esset in dispendium, & deterioris esset conditionis alijs, quibus non negatur eo die ordinatio, ergo neque illi. Deinde priuilegia derogant legibus, quibus opponuntur, lex autem, cui opponitur hoc priuilegium Papæ, in eo consistit, vt nullus sacris initiari possit extra tempora statuta, cui derogatur per priuilegium, non autem affirmatiuæ, quæ præscribit, Ordines sacros esse recipiendos statutis temporibus. Demùm, solet apponi dictio, *Etiam*, quæ implicatiua est temporum Ordinationis, & in hoc nulla difficultas, & illi tres festiui dies accipiuntur respectu dierum extrà tempora statuta à iure pro Ordinatione.

DECISIO CXXVIII.

A quonam ducendum sit funus mulieris, vel puellæ morientis intrà Monasterium?

NOtorium est, intra Monasteria Monialium educari puellas, quę quandòque fiunt Moniales, aliquandò exeunt post educationem, & reuertuntur ad sæculum. Interdùm mulieribus conceditur ingressus cum perpetua permansione intrà clausuram sine Nouitiatu, & sine professione, si interim moriantur sine electione sepulturæ, nulli dubium est, eisdem ministrari Sacramenta omnia à Confessario ordinario Monialium, & cum Monialibus sepeliri; Tum quia partes sunt eiusdem corporis Monastici, licèt imperfectæ, consequentèr eodem iure censendæ sunt, quo Moniales. Tum quia in hoc æquiparantur Nouitijs, & Monialibus, quæ in prędictis soli Confessario subduntur. Tum quia id colligitur ex sess. 24. cap. 11. & sess. 25. cap. 11. in quibus locis personæ commensales actu Regularium, apud quos domicilium, & habitationem contraxerunt, gaudent eorum iuribus, & priuilegijs; Tum quia æquiparantur Tertiarijs, ad quorũ similitudinem collegialitèr viuunt cum claustralibus, & sicut Superiores Regulares super huiusmodi personas Tertiarias ius habent quò ad Sacramenta, & sepulturam, prout non semel decisum fuit, & refert Barbosa ad sess. 25. cap. 13. num. 27. editionis Venetæ, quod fundatur in Bulla Leonis X. incip. *Dùm intrà*, apud Quar. v. Priuilegia Regularium, ita & super has mulieres, & puellas. Et in hoc nullam puto esse difficultatem.

Dubitatur verò in casu, quo mulieres, & puellæ eligerent sibi sepulturam extrà in aliena Ecclesia, vel parentes eorum vellent sepeliri in sepulcro paterno, à quo cadauer leuandum sit, & funus prosequendum, à Confessario ne, an à Parocho, cui aliàs de iure munus hoc incumbit?

Ex officio id munus est Confessarij, quod probatur. Tum quia ad illum spectat funus perficere, ad quem pertinet inchoatio eiusdem funeris, à simili de eo Iudice, à quo cęptum iudicium terminandum est, l. Vbi cęptum, ff. de iur. om. iud. sic Confessarius auditum verum pœnitentem absoluere debet; & Sacerdos cęptam Missam perficere habet, cap. Nullus 56. dist. 1. de consecr. & cęptam electionem publicatione scrutinij absoluere habent electores, cap. Publicato 58. de elect.

iun-

iuncta glosa v. compellantur. Sed ad Confessarium spectat initium funeris, & cadaueri leuatio è Monasterio, quia nemo præter ipsum ibi ius habet, cùm locus omninò sit exemptus à Parochiali iure, & ratio dictat, ad eum spectare initium funeris, ad quem pertinuit infirmum vltimò disponere ad bonam mortem, quod solius Confessarij proprium munus fuit, ergò is idem cęptum funus continuare debet solemnitèr cum cotta, & stola vsque ad Ecclesiam, in qua elegerat sepulturam. Tum quia hæc mulier, quò ad Sacraméta, & sepulturam nihil differt à Monialibus, nisi ratione electionis sepulturæ, sed iste actus electionis sepulturæ, non tollit Confessario ius acquisitum quò ad Sacramenta, & funus, nam videmus proprium Parochum incipere funus sui Parochiani, & illud prosequi ad alienam Ecclesiam, in qua moriens elegerat sepulturam, ergò idem dicendum in casu præsenti. Dicta procedunt à fortiori, si cadauer esset sepeliendum in Ecclesia exteriori Monasterij, vbi sepeliuntur seculares, quamvis Ecclesia esset Parochialis, esto Confessarius non esset communis Parochus Monialium, & secularium, in quo casu Parochus solùm terminaret exequias intrà suam Ecclesiam.

DECISIO CXXIX.

An huic Confessario debeatur Quarta funeris?

Confessario, de quo suprà, debetur Quarta, quia Quarta datur proptèr onus, quod sustinetur in administratione Sacramentorum ex Officio, cap. 1. cap. Relatum, cap. De his, de sepult. Sed iste Confessarius non minùs administrat Sacramenta suis Monialibus, mulieribus, & puellis existentibus intrà clausuram, ac faciat Parochus quivis respectu suarum ouium, ergò eidem pari ratione debetur Quarta funeralium. Confirmatur, quia Quarta debetur Parocho, intèr cuius iura computatur, quandò illius cadauer proprium sepelitur in aliena Ecclesia, sed Confessarius iste, etsi non vocetur nomine Parochus, re tamen Parochus est, quia ea omnia onera sustinet in Ecclesia Monialium, quæ illius Ecclesia quasi Parochialis dicitur, cùm in ea exerceat curam animarum, quæ Parochus sufferre ex officio debet respectu suarum ouium, ergò illi debetur Quarta, sicut proprio Parocho.

DECISIO CXXX.

An professio causa mortis emissa infrà annum probationis postulet consensum Monasterij?

De priuilegio profitendi infrà annum probationis in articulo mortis, dixi cap. 4. de Nouitiatu q. 49. & 50. & suprà hic Decis. 48. Vide Vecchium disp. 13. dub. 11. referentem Doctores asserentes, non ampliùs valere dictum priuilegium sublatum per Gregorium XIII. in Bulla incip. *In tanta rerum*, in qua reuocauit omnia priuilegia contrà Tridentinum concessa, alios affirmantes valere, sed quicquid sit de hoc, docuit præcitato cap. 4. q. 49. & 50. non requiri consensum Conuentus; Tum quia is non ex-

primitur in Bulla cum alijs requisitis, ergò adhibendus non est, si enim Papa id voluisset, expressisset. Tum quia ea non est simpliciter professio, sed tantum secundum quid, & in ordine ad consolationem animæ pro morientibus, & non pro conualescentib. Tum quia si consensus esset necessarius, aliquando posset impediri vsus priuilegij ex parte Monasterij nolentis illum acceptare, quod esset in graue præiudicium animæ infirmi, prærerquamquod maximè conturbaretur ægrotans, si sciret animum Religiosorum esse, velle eum excludere à Religione, vnde meritò Papa dictum consensum non expressit.

DECISIO CXXXI.

An sequens donatio sit simoniaca?

Reuerendi Fratres Ordinis N. à quodam Abbate Regulari obtinuerunt Ecclesiam, cui concessioni ab Abbate factæ consensit illius actualis Rector, reseruatis sibi tantum fructibus eius beneficij, quod simplex est, sua durante vita, quæ omnia apparent in quodam instrumento super hac concessione confecto. Postmodum Religiosus Procurator ad nouum conuentum, cui concessa fuerat Ecclesia, per priuatum Chirographum, habita relatione ad instrumentum concessionis Ecclesiæ præfatæ constituit se realem debitorem dicto Rectori de vncijs argenti quadraginta causa doni promissi dicto Rectori illis verbis, *Et queste*, subditur in Chirographo, *per donatiuo stante la conditione posta nell' instromento adi* 30. *Luglio* 1632. *d'accordare con esso Signor Rettore per causa della casa &c.* Illud autem Chirographum scriptum fuit die 10. Augusti 1633. Modò superior illius noui Conuentus quærit, an teneatur soluere hoc debitum, cum ab aliquibus illi dictum fuerit esse simoniacum, & nullum prædictum Chirographum.

Certè illud esse simoniacum, & nullum probatur; Primò, quia Ecclesiæ, & beneficia sine vllo pacto, & conuentione conferenda, & concedenda sunt, cap.fin.de pactis, cap.Cum in Ecclesiæ 9.cap. In tantum 36. cap. Audiuimus 41.de simonia; in hac autem collatione patet interuenisse pactum, & conuentionem dictarum 40. vnciarum, nam ex chirographo constat, contractum fuisse occasione concessionis Ecclesiæ, ibi: *Stante la conditione posta nell'instromento di accordare con detto Signor Rettore*; illud enim instrumentum loquitur tantum de collatione Ecclesiæ. Parum autem refert, quod pactum antecedat, vel sequatur collationem, cap. Eos qui 21.1.qu.1. iuncta glosa fin. immò non tantum sequitur, si spectetur chirographum scriptum de anno 1633. sed etiam antecedit saltem virtualitèr, & priuatim, atque inest instrumento, nam illud verbum. *Accordare con detto Signor Rettore*, nihil aliud importat, quam donatiuum supradictum occulte promissum, & Chirographo apertè expressum. Palàm igitur est, pactum donationis à principio collationis tractatę inchoasse, & expressum fuisse virtute chirographi quò ad obligationem externam. Secundò, ex actibus reciprocis, & correspectiuis colligitur simonia in beneficiorum, & Ecclesiarum collatione, Crescent. decis.78.

cis.78. Paleot. decis.150. sed Chirographum, & instrumentum correlationem habent ad inuicem, vt constat ex illa particula: *Accordare con detto Signor Rettore*, sed respectu instrumenti illa donatio arguit simoniam, ergo & respectu Chirographi. Tertiò, vt apparet in instrumento concessus, Rector spontè consensit gratiosę concessioni, sicut fecit Abbas, vndè postea se faciendo creditorem illarum 40. vnciarum in priuato Chirographo, videtur palliare simoniam, quam priuatim contraxerat, cum Religioso Procuratore, tacendo hoc donatiuum in instrumento concessionis, ne euidentèr ambo rei essent simoniæ. Quartò, tota vis Chirographi pendet ab illa particula, *Accordare*, posita in supplicatione inserta in instrumento, quæ videtur sortita suum effectum in actu ipsius instrumenti illis verbis. *Et præmissæ gratiosæ concessioni quo ad eius interesse, dicto D. Rectore spontè consentiente, reseruatis tamen sibi introitibus ipsius Ecclesiæ, donec vixerit, absque aliquo onere exercendi obligationem contractam medio concessionis, & collationis eiusdem Ecclesiæ*, ergo Chirographum, quod supponit nondum concordatum fuisse contrà tenorem instrumenti, in quo constat de concordia, falsum, ac proindè nullum censendum est. Quintò, simonia excludi non potest, licet dicatur, hanc donationem respicere antidotalem obligationem in signum gratitudinis ob Ecclesiam concessam gratis, quia quamuis obligatio antidotalis, qua quis intendit, seu sperat aliquid temporale, non pro pretio, sed pro gratitudine rei spiritualis acceptæ gratis, non sit materia simoniæ, secundum Doctores, quos citat Bonac. q.6. de simon. inducit tamen simoniam, quando initium habuit à pacto, à colloquutione, & conuentione præcedente, vel comitante ipsam concessionem, quod verificari in casu præsenti notum est ex illis verbis. *Accordare con detto Rettore*. Igitur antidotalis obligatio inducit simoniam, quandò de ea inter partes tractatur antè expeditionem collationis rei spiritualis, nec aliter dici potest, aliàs in omnibus actibus spiritualibus posset interuenire, & tradi aliquid temporale, sine vitio simoniæ, & sic tradentes excusarentur mediante illo titulo obligationis antidotalis ex gratitudine, quod absurdum omninò est, euacuaretur enim simonia secundum excusationem, & nihilominus ex parte rei, & facti locum reuera haberet. Demum, esto dicta donatio non esset simoniaca, adhuc non teneret, quia ex Bulla Clement. VIII. incip. *Religiosæ Congregationes* de largitione munerum, prohibentur Regulares etiam de licentia Generalis sui donare etiam titulo gratitudinis, ergò concludendum est dictum Superiorem non teneri soluere hoc debitum, cum sit nullum, & simoniacum. Ita sentio, saluo meliori Iudicio. Donatione igitur extingui potest obligatio antidotalis absque vitio simoniæ, quandò de donatione nihil actum est inter partes, neque mediante tertio, licet fuerit spes, & intentio aliqua consequendi donum, & quod persona creditur, seu cognoscitur in similibus occasionibus liberalis.

(·.·)

DE-

DECISIO CXXXII.

An Episcopus in concessione Ecclesiæ facta Regularibus possit sibi reseruare visitationem, & correctionem dictæ Ecclesiæ?

CErtum est, Episcopum de consensu maioris partis sui Capituli posse Regularibus concedere Ecclesiam sibi subiectam, accedente etiam consensu Patroni, si Ecclesia habet iuspatronatum, c. Tua 8. c. Pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælat. cap. Pastoralis 7. extremis verbis, de donat. atque etiam in ipsa concessione, & collatione facta Regularibus apponere pensionem, seu censum moderatum singulis annis soluendum in signum subiectionis, recognoscendo Episcopum tamquam dominum Ecclesiæ collatæ, cap. Eleuterius 30. 18. q. 2. cap. Constitutus 6. de relig. domibus; non ideò tamen quicquam aliud oneris apponere potest, alitèr collatio simonia inficitur ex citato cap. Constitutus, potest tamē Episcopus redditus Ordinarios Ecclesiæ sibi retinere conferendo Clerico alicui. Non tamen potest reseruare sibi visitationem, & correctionem, quia Ecclesia de sæculari per concessionem huiusmodi fit Regularis, ac proindè exempta, sicut omnes aliæ Ecclesiæ Regulares, ideò Episcopus non potest adijcere reseruationem, & Religiosus eam approbare; Tum quia id est priuilegium Papale, cui renunciari non potest sine licentia Papæ cap. Cum tempore 5. de arbitrijs. Tum quia renuntiatio iuris alieni non tenet in præiudicium tertij, l. Iubemus C. ad velleianum, Surd. consil. 332. num. 9. Cephalus consil. 152. nu. 67. Natta consil. 470. num. 15. ius autem exemptionis Regularis aliena dicitur respectu Regularium, cùm non sit propria cuiusq; sed communis immediatè concessa Religioni, ideò nullus etiam Superior illi potest renuntiare. Quod Regulares non possint renuntiare exemptioni docent omnes Canonistæ super dictum caput, cum quibus est Roman. consil. 369. num. 18. Surd. consil. 47. num. 25. Castren. cons. 432. Mantica decis. 237. num. 4. & coram Gregorio XV. decis. 325. num. 23. Demùm nullus Episcopus hactenus sibi reseruauit id, ergò signum est, id fieri non posse. Quare minùs benè fecit quidam Abbas Regularis, qui in concessione cuiusdam suæ Ecclesiæ facta certis Regularibus mendicantibus pro fabricatione sui Conuentus, sibi reseruauit visitationem, & correctionem in Ecclesia collata illis Religiosis, prætèr pensionem retentis etiam omnibus redditib. ita quod nudam Ecclesiam tantùm, vt dicitur, illis donauit.

DECISIO CXXXIII.

An votum de non mutuando teneat?

IVuenis quidam, qui vouit non ampliùs mutuandi, si amicus, cui pecuniam mutuam dederat, eamdem in specie non restituat, vt reuera non restituit, non tenetur illud obseruare, quia nullum est; Tum quia votum est voluntaria promissio Deo facta de meliori bono; constat autem meliùs esse mutuare, quàm non mutuare; Tum quia mutuare est actus charitatis, & misericordiæ, ergò priuare se hoc actu, malum est, ac proindè nul-

lum

lum votum. Ita omnes cum Sanchez lib.4.cap.8.num.18. Nec illa conditio quicquam operatur, cùm pendeat potiùs ex circumstantia vana, aut ex motiuo indignationis alicuius ergà personam, cui mutua data fuit pecunia.

DECISIO CXXXIV.

An alienari possint per Regulares acquisita iure Saluiani sine licentia?

CReditores contrà morosos debitores auctore Pretore quandóq; immittuntur in possessionem, & tenutam aliquorum stabilium debitoris, vt eisdem insistant, donec, & vsquequò satisfacti sint de fructibus maturatis, & nondùm solutis, & in posterùm maturandis vsque ad totalem satisfactionem. An per Regulares vendi possit huiusmodi creditum maturatum, & maturandum sine solemnitate, & licentia S. Congregationis? Respondetur affirmatiuè, quia hoc ius consistit in receptione solummodò fructuum, qui seruando seruari non possunt, sunt enim pecuniæ, quæ primo vsu consumuntur; hi autem alienari non prohibentur, ergò. Deindè in casu nostro sunt fructus censuum, qui regularitèr distrahuntur, saluo semper capitali, quod si restituatur à debitore, denuò inuestitur in censum. Nec obstat, quòd cessio iurium sit alienatio prohibita, quia id intelligitur de cessione, & venditione damnosa respectu stabilis, quod non est alienabile, nisi cum licentia. Demùm insistentia rei stabili non est propter ipsam rem stabilem, sed propter fructus, quos, si dominus fundi fructus offerat, creditor fructibus receptis, tenetur deserere fundum consignando illum domino suo, ergò & alteri illud ius vendere, & ponere in loco suo.

DECISIO CXXXV.

An pensio pro rata semestris, intrà quod mortuus est pensionarius, debeatur hæredibus?

VTique, quia vt inquit Garz. apud Parolettum §. de pensionib. pag. mihi 26. pro illa rata temporis, quo vixit, satisfecit suo oneri recitandi Officium B. M. V. ergò ratam pensionis acquisiuit suis heredibus, Ricc. port. 2. resolut. 117. Confirmatur, quia ceteræ pensiones pro rata temporis, quo fructuarius vixit, debentur heredibus, vndè si census redimatur infrà annum, vel semestre, pensio soluenda est ad ratam temporis, quo capitale fuit apud censorarium, Salas de censib. dub. 42. ex illo Bonac. de censib. num. 32. §. Addit. Vide Naldum v. Pensio num. 9. vbi in contrarium adducit Stylum curiæ Romanæ, quæ nunquam diuidit pensionem, sed relinquit eam Rectori, & non transit ad heredes pensionarij.

DECISIO CXXXVI.

De quadam laicali Congregatione non subiecta Ordinario.

LVcia N. in propria domo cum quatuor alijs mulieribus simul habitans in honorem quinque vulnerum Saluatoris, nonnullis puellis causa educationis admissis, cū illis Diuinum Officium, & alia spiritualia recitat, Missam, & sacram Communionem

ex

ex Oratorio publico domui contiguo audiunt, & recipiunt per quædam foramina medij parietis, tempore verò Paschali exeunt ad Parochialem, pro Sacramento Eucharistiæ, vestibus nigris indutæ, in domo verò gestant habitum Ordinis Franciscani. Omnes spontè obediunt dictæ Luciæ sine vlla promissione obedientiæ, aut voti, neque vllam Regulam obseruant. Quæruntur tria. Primò, vtrum Abbas loci illius ordinarius, & habens quasi iura Episcopalia possit permittere huiusmodi Congregationem Mulierum? Secundò, an dictæ Mulieres sic viuentes debeant recognoscere præfatum Abbatem, vti suum superiorē; Tertiò, an Abbas possit concedere licentiam celebrandi in eo Oratorio?

Puto, Reuerendissimum Abbatem non posse impedire progressum dictæ Congregationis, immò debere illam permittere, seu, vt verius loquar, non posse se ingerere in eà, quia pœnitus laicalis est, quod multis probo.

Primò, omnis Congregatio, seu Collegium est, vel Ecclesiasticum, vel laicale, quæ per hoc cognoscuntur, quod illa vocantur Ecclesiastica, quæ instituuntur, & eriguntur cum licentia, & auctoritate Ordinarij; laicalia verò, quæ fundantur, & instituuntur auctoritatē, vel non contradicente Principe, ita colligunt Canon. in cap. Dilecta 14. de excessib. Prælat. Legistæ in l. 1. ff. quod cuiusque vniuers. & l. 1. ff. de colleg. illic. l. fin. C. de iur. om. iud. Sylu. num. 3. v. Collegium, vbi ait etiam priuata auctoritate fundari posse, causa pietatis, & Religionis, quia ius ciuile prohibet tantum Collegia illicita ex cit. ff. Sed in casu nostro dicta Lucia instituit eam Congregationem sine licentia, & auctoritate Abbatis, quod facere poterat ex dictis, ergò huiusmodi Congregatio, cum sit laicalis, Abbas non solum potest illam permittere, verum etiam non potest illius progressum impedire, neque in ea se ingerere prætextu spiritualis causæ, cum merè laicalis sit.

Secundò, ista Congregatio licet habeat aliqua signa pietatis, & spiritualitatis, non indè sequitur, quod propriè sit Congregatio Religiosa, quia nulli promittunt obedientiam, nec proprijs renuntiant, neq; aliquam Regulam ex approbatis profitentur, ex quibus negatiuis deducitur negatio Congregationis Religiosæ Beguinarum à Clem. 1. de Relig. domibus; igitur ad Congregationem Religiosam, ac proindè subiectam Ordinario, & Prælato Ecclesiastico requiruntur; Regula ex approbatis, habitus, professio, & Superior, cui promittitur obedientia, Penottus lib. 2. Histor. Canon. Regul. cap. 7. & deducitur ex cap. fin. de Relig. domibus; hæc autem Congregatio nihil prædictorum habet, ergò nulla ratione subditur Ordinario, ac proindè anxius esse non debet, an debeat illam permittere, an non.

Tertiò, receptio habitus S. Francisci non constituit Luciam Religiosam, & quia aliæ Tertiariæ Religiosæ non sunt, cum is Ordo admittat in Congregatione sua personas vtriusq; sexus, & coniugatas; & quia est quidam modus viuendi, & non propriè Ordo Religiosus, & gloss. v. Tertiò Clem. Cum ex eo, de sent. excomm. Rodr. tom. 3. q. 72. art. 2. & quia Lucia illa veste beretina induta fuit ab

Epi-

Episcopo, Tertiariæ autem S. Francisci à solo Ministro huius Ordinis, vel à Superiore aliquo Franciscano habitum recipiunt, ex Bulla Nicolai IV. incip. *Supra montem*, ergo neque ex hoc capite, quod illa veste beretina induta fuit Lucia, Abbas iurisdictionem habere potest super dicta Congregatione adhuc Laica.

Quartò, ista Congregatio non magis subditur Ordinario, quam Mulieres verè Tertiariæ, cum plus de vita Laicali, vt ita dicam, habeant sociæ Luciæ, quam Tertiariæ, quæ habent modum viuendi approbatum à Sede Apostolica ex dicta Bulla, Lucia verò cum suis socijs nihil habet speciale à Papa, neque Ordinario, neque quærit, sed Tertiariæ ex hoc non subduntur Ordinarijs magis, quam antequam essent in Congregatione vnitæ, vt colligitur ex Bulla Leonis X. incip. *Dum infrà*, ergò neq; Lucia cum suis.

Neque allata in contrarium quicquam prosunt D. Abbati, primò namque illa Bulla incip. *Circa Pastoralis*, Pij V. prohibens, mulieres simul cohabitare sine professione, & clausura, loquitur apertè de Congregationibus Ecclesiasticis, & non de Laicis, quæ regimini Ecclesiastico non subduntur. Pellizzar. cap. 7. de Monial. q. 21. intelligit de volentibus manere cum claustralibus sine professione, & clausura. Quod si quis vrgeret, Papam absolutè loqui, respondeo Bullam, quò ad hanc partem non fuisse vsu receptam, quod in effectu patet in multis ciuitatibus, in quibus reperiuntur huiusmodi Congregationes mulierum laicales sine professione, & clausura, & hic Parmæ præcipuè habentur Collegia Dominarum Bagnonæ, Baiardæ, S. Caroli, & Vrsolinarum, in quibus Ordinarius nullum ius habet. Secundò parum refert destructio Iesuitissarum, & Beguinarum, nam ex diuersis non fit illatio maximè in odiosis, constat autem Collegium nostrum non esse ex illis; neque in Clem. contrà Beguinas prohibetur modus viuendi illarum Beguinarum, quæ sunt fideles, honestè conuersantes in suis hospitijs, immò Ioan. 22. in extr. Ratio recta, de Relig. domibus hunc statum permittit, vt facit Lucia cum suis sociabus toti oppido exemplaris. Demum illa responsa S. C. nihil probant, tum quia loquuntur de Congregationibus Ecclesiasticis, tum quia loquuntur de certis Collegijs; tum quia illis fides non est adhibenda, nisi authenticè ostendantur, ex Decreto Vrbani VIII. relato per Dianam part. 5. tract. 12. resolut. 52. & hæc satis, saluo meliori, &c.

Secundo quæsito satisfit ex dictis, dictas mulieres nullo modo teneri recognoscere Abbatem, cum probatum sit illi nullatenus subesse, nisi vt cæteri fideles extrà Congregationem viuentes. Quare quò ad Sacramentalem Communionem, Viaticum, extremam Vnctionem, & sepulturam recognoscunt Parochum.

Tertiæ dubitationis resolutio facilis est, nam cum Oratorium sit publicum, & Abbas habeat iura Episcopalia, potest cuilibet Sacerdoti dare licentiam celebrandi in eo, iuxta Sess. 22. Tridentini, ibidem Barbosa num. 21. & 22.

DE-

DECISIO CXXXVII.

An professio nulla ratificata per Abbatissam teneat?

MOnialis ficté emisit professionem, quam posteà non ratificauit, sed benè viuendo in Monasterio, postmodum electa fuit in Abbatissam, tandem in se reuersa proposuit ratificare illam, super qua re, quia negotium erat occultum, consuluit Confessarium, qui ei incidit hoc consilium, quod ipsa postularet nouum consensum à Monialibus, fingendo quamdam Monialem, tacito eius nomine, valdè agitari scrupulis de nullitate suæ professionis, ideò eius nomine Abbatissam petere de nouo consensum, vt coram Deo occultè posset suam professionem aliàs nullam ratificare; Moniales consensum præstiterunt, & ipsamet Abbatissa coram Confessario de nouo verè professit, & suam ratificauit professionem. Modò fit eidem scrupulus ab alio Confessario, quod nulla fuerit huiusmodi ratificatio, quia eadem requiruntur ad ratificationem, quæ concurrunt ad professionem, siquidem ratificare est de nouo facere professionem; inter alia autem requiritur consensus, & acceptatio Superioris, nam omnes Moniales, sicut & viri Religiosi professionem emittunt in manibus sui Superioris, hæc autem Monialis actu erat Abbatissa, & nemo in seipsum consentit, aut seipsum recipit ad aliquem actum legitimum, quare hæc Abbatissa adhuc remanet nullitèr professa. Quid agendum?

Professio huiusmodi tenet, ratio est, quia in ratificatione professionis nullæ defectu consensus fingentis proficere, sufficit solus consensus ipsius profitentis, si quidem adhuc dicitur durare consensus præstitus ex parte Monasterij per Abbatissam, & Conuentum, ergò ad valorem istius actus requiritur tantum consensus ipsius profitentis. Simile de Matrimonio carnali nullo defectu consensus alteriùs coniugis, quod accedente consensu illius, qui defecit, reualidatur, ex D. Thom. in 4. dist. 29. q. Vn. art. 3. quem cum alijs refert Sanch. disp. 32. lib. 2. num. 9. Quod autem in hoc casu sufficiat solus consensus Monialis Abbatissæ, quo carebat, dum primò profecit, est communis Doctrina Rodr. tom. 3. q. 17. art. 3. §. Aut nullitas. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 61. Sà v. Religio num. 23. Less. lib. 2. c. 41. num. 67. alios citat Vecchius disp. 14. de Nouit. dub. 4. n. 3. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 17. num. 2. Compend. resolut. 101. num. 55. Portellus v. Professio nulla, num. 11. ex Nauar. consil. 24. de regul.

Ex his deducitur, Abbatissam nullo Confessarij habito consilio, aut consensu nouo Conuentus, potuisse per se ipsam coram Deo ratificare professionem sine illo incommodo, & frustra scrupulis vexatus, inculpet medicos ignaros in porrectione veri remedij. Dicta procedunt etiam quò ad masculos.

DE-

DECISIO CXXXVIII.

An Abbatissa nulliter professa ratificando professionem reualidet per hoc suam electionem?

CErtum est, Monialem, cuius professio nulla est, licet nullitas sit occulta, non posse acceptare electionem de se factam, sed quantum est ex parte sua, debet antè acceptationem coram Deo proficere, aut si nolit, tenetur recusare tale onus, protestando se indignam, aut allegando se impotentem ad gubernandum Moniales, aut simpliciter nolle tale onus, non tamen tenetur se prodere, quando causa nullitatis professionis propalata redundaret in eius dedecus, aut aliud damnum, vt si assereret se fictè profecisse, aut scienter antè legitimam ætatem, quam falsis litteris probauerat, aut quid simile, professionem emisisse. Quod si cogatur acceptare electionem de se factam, ne se cum ignominia prodat, si tamen id sequeretur, adhuc mortaliter peccat, quia in sua potestate est remouere inhabilitatem per ratificationem professionis. Et de hoc nulla est dubitatio. Punctus igitur difficultatis in eo consistit, an ratificatione professionis facta coram Deo tantum per Abbatissam in se reuersam, reualidetur etiam electio, itaut sine peccato possit continuare in Officio, sicut si ab initio tenuisset electio? An adhuc remaneat nulla electio? ac proindè illi necessarium sit, aut cedere, aut petere dispensationem inhabilitatis, & nouam postulare electionem?

Respondeo, certum est, ratificatione professionis facta per Abbatissam siue proprio tantum consensu, vt probaui præcedenti quæstione, siue etiam accedente consensu illo Monasterij de Moniali incognita, non ratificari, & conualidari electionem, ac proindè ex hoc capite non posse continuare in regimine. Ratio illius est, quia ex vulgatis iuribus, causa limitata limitatum producit effectum; sed causa ratificatiua est tantum circa professionem, ergò hanc solummodò ratificat, & conualidat. Deinde aliud est nullitas professionis, quæ tollitur per actum proprium ipsius ratificantis; aliud inhabilitas eius effectus, quæ per solam dispensationem aufertur, quod est actus iurisdictionis præstandus à Superiore, ex quo palam est per illam tantummodò ratificationem non fuisse persosonam habilitatem. Ratio alteriùs, quòd scilicet non possit continuare in officio est, quia adhuc viget prior ratio inhabilitatis, & nullitatis electionis eiusdem Monialis in Abbatissam.

Si Abbatissa desiderat remanere in officio sine peccato, debet super inhabilitare dispensari, subsequenter confirmari in officio Abbatissæ per suum Superiorem, illum de hoc occultè, & secretè rogando; in quo casu Superior dispensare illam debet, & postea confirmare secretò in suo officio. Si Monialis est subiecta Regulari Prælato ab hoc dispensabitur, si Ordinario loci ab eodem. Et ita de electione, nulla in secreto docent plures, quos citat & sequitur Sanch. lib. 8. disp. 7. nu. 12. quos allegat pro se Portellus part. 1. casu 1. Respons. Qui asserunt sublato per dispensationem

nem impedimento, seu inhabilitate, reuiuiscere, ratificari, & conualescere electionem, ita quod non sit necessaria alia noua electio, neque consensus electorum, quia consensus antiquus Monialium præsumitur durare, hoc ipso, quod constat, anteà non fuisse reuocatum. Confirmatur id, quia ratificatio locum habet etiam in electione, cap. Quia 5. de elect. cap. Quod sicut 28. eod. iuncta glosa v. consentire, Innoc. in cap. Nisi cum pridem, de renunt. Doct. in cap. Innotuit, de elect. Butrius in cap. At si Clerici, §.1. de iudic. & in c. In causis, de elect.

Dices, illa inhabilitas ad sui sublationem non requirit dispensationem, quia cum nihil sit præter nullitatem professionis, quæ tollitur per nouum solius Abbatissæ consensum, sequitur Abbatissam cæpisse habilem esse per subsequentem ratificationem, ergo nulla est necessaria dispensatio Episcopi, aut Superioris Regularis. Respondeo, aliud esse nullitatem professionis, quæ tollitur adueniente nouo consensu Monialis nulliter professæ, in quo sensu currit obiectio; aliud esse inhabilitatem, quæ formaliter acceptà est effectus nullitatis illius, in tantum enim Monialis dicitur inhabilis, in quantum nulliter profecit, ergo cum per remotionem vnius non tollatur alia, necessariò manet altera nempè inhabilitas tollenda per dispensationem Superioris Episcopi, aut Regularis respectiuè.

Neque dubitandum est super potestate horum Superiorum, quia sicut isti iurisdictionem habent in recipienda professione Nouitiarū sibi subditarum, ita possunt dispensare super impedimento annullante electionem maximè, quando illud dependet ab ipsa professione, vt in casu nostro. Dicta procedunt etiam in Priore, & alijs.

DECISIO CXXXIX.

An consensus in ratificatione professionis nullæ pro incognito rationabilis sit?

QVando Religiosus nulliter profecit, & impedimentum est occultum, solent nonnulli Superiores requisiti à nulliter professo, petere consensum Monasterij fauore huius Religiosi, non exprimendo nomen desiderantis consensum, quia defectus est occultus, dubitatur de huiusmodi consensu.

Ego dico, huiusmodi consensum esse cæcum, & inutilem, Tum quia ex probatis sub Decis. 137. huiusmodi consensus etiam in personam certam, & notam, maximè quando nullitas est occulta, non est necessarius. Tum quia consensus versatur super idoneitate, & habilitate personæ ad statum regularem, ergo hæc debet esse nota consensuris in eam. Tum quia sicut consensus in electionem ergò personam incertam nullus est, c. 2. de elect. in 6. ita & consensus in professionem incogniti, valet enim argumentum ab electione ad professionem, vt probaui cap. 1. de profess. regul. qu. 50. Demum non obstante hoc inutili consensu, ratificata professio tenet, quia ad eius valorem consensus solius ratificantis necessarius est, si quidem ille tantum vitiauit professionem in hoc casu nostro. Verum quidem quo-

que

que est, quod in omni casu nullitatis sufficit solus consensus ratificantis ex alibi probatis.

DECISIO CXL.

An receptio Superioris ad professionis valorem requiratur?

Aliud est consensus præstitus à Superiore, & Conuentu fauore Nouitij ad profitendum, aliud eiusdem receptio ad professionem, vt enim constat, per solum consensum Superioris, & Conuentus Nouitius non dicitur professus, sed iudicatus ad professionem idoneus, ideò, vt dicatur Religiosus cum effectu, & irreuocabiliter, necesse est, quod solemniter voueat, & faciat professionem. Punctus difficultatis in eo consistit, an hanc professionem per seipsum legere possit Superiore non præsente? Requiritur ad valorem præsentia formalis Superioris acceptantis huiusmodi professionem, de iure communi, & speciali omnium Religionum, vt patet cap. Consuluit, cap. Insinuante, qui Cler. vel vou. cap. Ad Apostolicam 16. de Regul. De Monialibus, cap. Vidua 13. 20. q. 1. Ratio est, quia professio est quidam spiritualis contractus, vt docent omnes, ergò ad eius celebrationem ad minus duæ personæ requiruntur. Vide quæ dixi cap. 3. per totum de hac receptione. Ita Nau. consil. 40. & in comm. 4. de Regular. n. 74.

§. Aduertendum tertiò, alijs citatis Vecchius disp. 12. dub. 1.

DECISIO CXLI.

An contractus in Ecclesia instrumento absoluti teneant?

Solent nonnulli Regulares, præsertim quando contrahunt cum mulieribus, quibus prohibetur ingressus in Conuentus, instrumenta facere in Ecclesia, Choro, aut Sacristia, aliquando dubitatum fuit per Notarios, & alios, an valida sint huiusmodi instrumenta, & contractus in eis expressi?

Valida sunt, quia in iure cap. 1. de immun. iuncta glosa v. Placita, & cap. Decet 2. eod. in 6. iuncta glosa v. Sæcularium, per alia iura ibidem allegata in Ecclesijs prohibentur placita, instrumenta, & negotiationes sæcularium, non autem Ecclesiasticorum, & fauore Ecclesiæ, seu ad causas pias instrumenta confecta, maximè in prædicto casu mulierum, quibus ingressus in clausuram prohibetur.

DECISIO CXLII.

An Moniales contrahere, & instrumentare possint sine licentia sui Superioris?

Superiorissa eius Religionis, quę est capax bonorum stabilium iuxta cap. 3. sess. 25. cum consensu sui Capituli tractare potest negotia sui Monasterij, contrahendo, emendo, acquirendo, creando census, faciendo quietantiam de receptis pecunijs, exceptis alienationibus fideiussionibus, & alijs iure prohibitis; prædictorum ratio est, quia sicut in communi capaces sunt bonorum, & apud illas eo-

rumdem est proprietas, possessio, & administratio, ita & facultas contractus faciendi, & perficiendi mediantibus instrumentis fidem facientibus pro foro externo de contractibus, & alijs obligationibus celebratis. Confirmatur, quia cap. 2. de ijs, quæ fiunt à Prelatis, habetur, donationem de decimis per Abbatissam, si interuenit consensus sui Capituli, fuisse validam. Constat igitur ex his Abbatissam cum sui Capituli consensu agere, negotiari, & contrahere posse. Restat videre, an in his de iure communi (nam quò ad ius speciale singularum Religionum, aut Episcoporum vnusquisque debet esse informatus) requiratur licentia Superioris, cui subsunt Moniales?

Abbatissa cum suis Monialibus, sicut Abbas cum suo Capitulo, sine alia licentia sui Superioris Episcopi, vel Regularis possunt celebrare suos contractus sibi à iure non prohibitos, & super illis conficere instrumenta per Notarium conscribenda; quod probatur; Tum quia huiusmodi licentia nullo iure præscribitur. Tum quia in præcitato capite 2. de ijs, quæ fiunt à Prælatis, fit mentio de sola Abbatissa, & Capitulo sui Monasterij. Opponunt nonnulli duo, primò, quòd Moniales, sicut, & Religiosi non habent velle, neque nolle, cap. Si Religiosus 27. de elect. in 6. cap. fin. de sepult. in 6. cap. Non dicatis 12. q. 1. etiam Monialis, gl. in cap. Raptores 36. q. 2. ergò contrahere non possunt sine licentia Superioris, qui illis concedit velle, & nolle necessaria ad contrahendum. Secundò, in omnibus instrumentis locum habet iuramentum, quod exigitur per Superiorem Ecclesiasticum, cùm sit actus iurisdictionis, Abbas in cap. Si qui testium de test. ergò semper debet interuenire Superior.

Ad illud axioma: *Monialis non habet velle, neque nolle*. Respondetur, primò intelligi de Monialibus, & Religiosis, vt singulis, non verò de eisdem Capitularitèr congregatis pro negotijs sui Monasterij, habent enim tunc velle, & nolle. Secundò habent velle, & nolle in electionibus, Sigism. dub. 10. de elect. num. 6. & 7. & dub. 41. Tertiò habent velle, & nolle relatiuum ad Superiorem ex citato cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. ibi: *Certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere;* eorum igitur velle, & nolle tantum valet, quantum vult Superior, semper in licitis intellige, igitur professi non simplicitèr carent velle, & nolle, quia suas voluntates Superiori non renuntiauerunt in omnibus absolutè, sed tantùm in ijs, quæ ad Regulam directè, vel indirectè pertinent, vndè respectu eorum, quæ non faciunt pro Regula, vel sunt impertinentia ad Regulam, habent velle, & nolle. Quartò illud axioma procedit, quò ad actus externos, non quò ad actus internos, & naturales, quia internè potest aliquid velle, vel nolle, etiam contrà voluntatem Superioris, ex quo professus contrahendo potest naturalitèr obligari, & de iure naturæ remanet obligatus, vt docet Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 1. num. 150. non potest tamen contractum adimplere sine consensu Superioris, quia quò ad obligationem ciuilem subest voluntati Superioris, qui potest irritare ab illo factum, si vult, Sanch. lib. 7. cap. 31. num. 37.

Ad aliud de iuramento, verum est

exa-

exactionem iuramenti esse actum iurisdictionis, non hinc tamen sequitur Moniales cum Abbatissa non posse contrahere, & instrumentare, quia in his non exigitur iuridicè iuramentum, sed sola fide humana sequitur obligatio, quæ hic Parmæ habet vim iuramenti, expressa per illam clausulam instrumentis appositam. *Cum vinculo sinceræ, & immaculatæ fidei, &c.* ex statutis Ducalibus. Prętereà aliud est exactio iuramenti, aliud est iuratio consequens quandòq; ad contractum, siuè petatur, siuè non, vt contingit iurare priuatim.

DECISIO CXLII.

An Missę de certis Beatis Regularibus concessæ celebrari possint à Sacerdotibus extraneis?

SOlent Regulares in suis Ecclesijs solemnizare festa suorum Sanctorum, & Beatorum, inuocando extraneos Sacerdotes pro celebratione Missarum, difficultas est, an huiusmodi Sacerdotes possint dicere Missas horum Beatorum solis Regularibus Sacerdotibus concessas?

Possunt Sacerdotes extranei celebrare huiusmodi Missas etiam ex proprijs compositas, & approbatas vocati, vel accedentes causa deuotionis in die solemnitatis, quod probatur. Tum ex necessitate Sacerdotum, quandòque enim Regulares non habent numerum ex proprijs Sacerdotibus sufficientem ad solemnitèr celebrandum festum suorum Sanctorum, seu Beatorum, vndè coguntur extraneos inuitare, qui ideò possunt vti in celebrandis Missis eorumdem Regularium, Papa enim concedendo illis huiusmodi priuilegia, censetur etiam concedere ea omnia, quæ necessaria sunt ad illorum vsum, arg. cap. Pretereà, cap. Prudentiam 21. de offic. deleg. Nauar. consil. 12. de elect. num. 3. ergò Papa concedendo hoc priuilegium Missæ alicuius Beati celebrandæ à certis Regularibus, indulget quoque, vt assumere possint Sacerdotes extraneos ad celebrandum solemnitèr festum. Tum ex conformitate, quæ dictat, eodem die solemnitatis ab omnibus Sacerdotibus celebrandam esse eamdem Missam, etiam extraneis, qui sunt necessarij ad perficiendum solemnitatem. Tum quia vnitorum eadem debet esse dispositio, Angel. in l. Sed si plures §. filio ff. de vulgar. & pup. & vnitum sumit naturam illius, cui vnitur, Gl. v. vniendo cap. 1. Ne sede. Sed Sacerdotes extranei vniuntur cum Sacerdotibus priuilegiatis, vt solemnitèr possit celebrari festum, ergò in eo casu participant de priuilegio. Tum quia facit illud D. Ambrosij relatum in cap. Illa autem 11. dist. 12. *Cùm Romam venio, Sabbatum ieiuno, cùm Mediolani sum, non ieiuno.* Vndè versum glosa habet hunc. *Si fueris Romæ, Romano viuito more; Et si sis alibi, viuito sicut ibi*; ergò Sacerdos extraneus celebrando in Ecclesijs Regularibus illis se debet conformare. Tum quia Regularium priuilegia, maximè quę nulli nocent, amplè explicanda sunt, præsertim quando ampliatio redundat in eorum fauorem, & vtilitatem sine alterius detrimento, Oldr. consil. 300. num. 4. §. Considerandum, Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 22. num. 3. Sanch. lib. 8. disp. 1. n. 13. Portell. part. 3. Resp. casu 49. Compend. resolut. 62. num. 6.

. Diana oppositum probat multis part.1. tract.15. resolut.55. Primò, quia in cap.1. de reliquijs, nullus coli potest cultu publico sine licentia Sedis Apostolicæ, sed iste cultus solis Regularibus conceditur, ergò. Ex illo textu solum habetur, quod sine Papæ licentia non licet aliquem venerari pro Sancto, qui non sit Sanctus vel Beatus, conueniunt enim fideles publicè ad Ecclesiam pro illius honore, ergò & Sacerdos illum honorare potest cum Missa, sicut & coadiuuando Regulares in cantando Vesperas. Probat 2. quia in Bullis designantur dies, & personæ, ita quod extrà designatum diem celebrari non potest, ergò neq; à personis non designatis. Dico, diem solemnem designari, non ideò prohiberi, quin ipsi Regulares de eodem alio die celebrare possint, atq; designatio Sacerdotum Regularium non excludit extraneos Sacerdotes pro seruitio ipsorum Regularium, sed ea designatio arguit tantam gratiam postulatam fuisse à Regularib. Quod si adesset clausula *dumtaxat*, ea solum significat, talem Beatum non posse solemnizari in Ecclesijs extraneis, quibus priuilegium non fuit concessum, quare non refertur præcisè ad Sacerdotes, quibus gratia fuit concessa, sed amplectitur omnes Sacerdotes conuenientes ad celebrationem in Ecclesia, cui concessum fuit priuilegium. Probat 3. Priuilegia censentur solum concessa personis expressis in priuilegijs, ad eas enim tantum refertur intentio concedentis; ex quo priuilegia non extenduntur à persona ad personam, licet adesset omnimoda similitudo, quia ius priuilegij posita est in voluntate, non in ratione. Dico, quod cum priuilegium concedens intendat illud indulgere petentibus eo fine, vt illo commodè, & congruenter vti possit iuxtà exigentiam vsus illius, ideò sub tenore priuilegij intelliguntur expressi omnes illi Sacerdotes, qui concurrerunt ad festum, vt ritè, & solemniter valeat celebrari, nec obstat expressio Sacerdotum tantum Regularium, quia, vt dixi, ea expressio non excludit alios, sed tantum indicat gratiam petitam fuisse ab illis, prærerquamquod expressum non solum dicitur id, quod nominatim, & verbalitèr exprimitur, sed etiam quod sub ratione necessitatis, aut commoditatis continetur, l. Quæsitum scio ff. de testib. Gutier. lib.3. Practic. q.17. num.82. verum quidem est, quod ius priuilegij pendet ex voluntate, sed regulata à ratione, quæ in casu nostro suadet, Sacerdotes extraneos complere posse festum, quando Regulares per seipsos non sufficiunt. Probat 4. quia gratia censetur concessa iuxtà verba supplicationis, vndè Princeps precib. sibi porrectis solet se accommodare; sed Clerici Regulares Missam de B. Andrea Auellino petierunt pro seipsis, non pro alijs, ergò. Respondeo. Verba, quibus Regulares petunt huiusmodi priuilegia, non excludunt ea, quæ sibi futura sunt vtilia in vsu priuilegij, cuiusmodi sunt Sacerdotes extranei vocati, vel spontè accedentes deuotionis gratia ad celebrandum in die designato pro festo Beati. Dianam nonnulli sequuntur ab eo citati, & ego resolut.25. q.15. nunc mutata opinione, ob adductas rationes. Sacerdotes igitur extranei vocati, vel ex deuotione accedentes possunt eo die

die præfixo, non alijs, neque extra Ecclesiam, cui priuilegium fuit concessum celebrare eamdem Missam, quam Religiosi recitare valent. Iterum infrà Decis.423.

DECISIO CXLIII.

An Episcopus, & eius Vicarius possint extrahere Clericum suum non gaudentem immunitate ab Ecclesijs, & Conuentibus Regularium?

EPiscopus, vel eius Vicarius Generalis potest extrahere suum Clericum ab Ecclesia, vel Monasterio, Conuentu, vel Collegio quorumcumque Regularium, quandò non gaudet priuilegio immunitatis propter aliquod ex delictis in Bulla Gregoriana expressis, non obstante contradictione Superioris Regularis, aut eorumdem Regularium exemptione ab Ordinario, dummodò prius constet ipsis Regularibus, Clericum, qui apud ipsos confugit, non gaudere immunitate, Vicario mittente personam Ecclesiasticam cum mandato capturæ; qui certificet Superiorem Monasterij, Vicarium mandasse satellites pro extractione sui Clerici.

Quamuis in Bulla Gregorij XIV. incip. *Cum alias*, nulla mentio de personis Ecclesiasticis fiat, quasi non gaudeant immunitate, nihilominus verior sententia est, illos gaudere immunitate, de qua Diana p.1. tract.1. resolut.24. & 25. part.3. tract.1. resol.35. part.6. tract.1. resol,26. q.10. ideò de illis iudicandum est proportionalitèr, sicut & de Laicis in causa extractionis illorum ab Ecclesijs, & Monasterijs iuxta formam, & dispositionem Bullę Gregorianę, per quam Summus Pontifex, ea, quæ de hac immunitate, iura, & prædecessores eius diuersimodè decreuerant de omnib. tam Ecclesiasticis, quàm Laicis, ad vnam tantum formam in sua Bulla reducere voluit, in eo consistentem, quantum facit ad propositum nostrum, primò quod præcipit omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque Prælatis etiam Regularibus, vt requisiti à iudicibus Laicis, consignent eisdem reos illos, qui confugerant ad Ecclesias, loca pia, aut Monasteria, non gaudentes immunitate. Secundo, quod huiusmodi reos non gaudentes nullus possit extrahere, nisi de licentia solius Episcopi, aut eius Vicarij Generalis cum interuentu personæ Ecclesiasticæ. Tertiò, sic extracti conducendi sunt primò, & immediatè ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ, & ibidem tutò detineri, ita quod indè extrahi non possint, nec tradi Curiæ sæculari, nisi prius cognito per Episcopum, an commiserint talia delicta, per quæ sint priuati immunitate. Quartò, Episcopo recusante prædicta facere, Laicus Iudex propria auctoritate potest extrahere reum non gaudentem immunitate.

Expeditior vsus obtinuit, vt reo remanente in Ecclesia, vel Monasterio, Episcopus se informet de delicto, & cognita veritate, quod reus non gaudet immunitate, concedit licentiam, vt reus extrahatur immediatè à Monasterio cum interuentu Ecclesiastici, & statim deducatur ad Laicos carceres. Intellige, nisi timeatur fuga, aliter præstò debet esse in concedenda hac licentia.

His præmissis, probatur Vicarium Generalem suum Clericum extrahere posse à Monasterio, Primò, quia ex supradictis potest extrahere Laicum, ergò & Clericum; probatur consequentia, quia cum Clericus gaudeat immunitate, non minus ac Laicus, vt superius dictum fuit, eodem iure huius Bullæ tractandus est, quo agitur contrà, vel pro Laicis; sed Laici extrahuntur à Monasterijs per Vicarium Generalem auctoritate huius Bullæ, ergò & Clerici. Secundò, cognitio huius causæ, an scilicèt confugiens, siuè Laicus, siuè Clericus, aut Religiosus ad Ecclesiam, vel Monasterium, gaudeat immunitate, spectat ad solum Episcopum, vel eius Vicarium tantùm, omnibus alijs exclusis, vt expresse dicitur in Bulla ibi; *Ad quos solos, & non alios*, ergò etiam extractio à quocumque loco pio, aut Monasterio ad illos tantùm spectat, cùm necessariò huiusmodi extractio, seu licentia extrahendi danda ab Episcopo, vel Vicario dependeat à cognitione causæ per ipsos tantùm factæ, ac proindè, qui habet potestatem cognoscendi, habet etiam auctoritatem extrahendi; cùm cognitio ordinetur ad extractionem. Tertiò, Superior Regularis petitum reum à Iudice Laico consignare tenetur, exhibita fide Episcopi, quod reus non gaudet immunitate, & mandato eiusdem extrahendi, ex suprà dictis, ergò à fortiori Clericus tradendus erit eidem Episcopo, seu Vicario eius, cùm magis Clericus etiam in hoc subdatur suo Superiori, quàm Laicus. Quartò, locus exemptus, & Monasterium, quò ad hoc non dicitur exemptum, sed subiectum Ordinario loci, cùm causa huiusmodi immunitatis spectet tantùm ad Ordinarium loci, vt expresse dicitur in Bulla, ergò Regulares nulla ratione tueri se possunt, vt reus Clericus non extrahatur, prætextu suæ exemptionis, quæ hic nulla est.

DECISIO CXLIV.

An Vicarius Generalis det licentiam extrahendi Religiosum ex alieno Conuentu?

Religiosus Ordinis Minimorum, e. g. aufugit à proprio Monasterio ad alienum, e.g. Ordinis Capucinorum prętextu immunitatis, nam, & Religiosos illa gaudere dictum fuit pręcedenti Decisione, dubitatur quis teneatur concedere extractionem, Vicarius Generalis, an Guardianus Capucinorum?

Spectat ad Vicarium Generalem, quia cùm in isto casu procedendum sit, sicut in præcedenti, iuxtà nimirùm formam Bullæ Gregorianæ, quæ modum extrahendi præscribit communem Laicis, & personis Ecclesiasticis ex ibidem probatis, quorum nullus extrahi potest, nisi cognita causa per Vicarium, quod reus non gaudet immunitate, & licentia per eumdem concessa extrahendi, cum interuentu personę Ecclesiasticæ, clarè constat, nulli alteri competere hoc ius. Quare Guardianus, quando sibi constiterit per Vicarium, illum Religiosum non gaudere immunitate, debebit consignare illum, interueniente ea persona Ecclesiastica.

(.·.)

DECISIO CXLV.

An Superior Regularis in extractione rei à sua Ecclesia, vel Monasterio, se ingerere possit?

HOc munus cognoscendi, an reus gaudeat immunitate Ecclesiæ, seu Monasterij, ad quæ confugit, respectu cuiuscumque rei, siuè sit Laicus, siuè Clericus, siuè Religiosus, ad effectum, vt possit, vel non possit extrahi, ita spectat ad Episcopum, vel eius Vicarium Generalem, vt nullus alius in hoc casu cognitionis, & indè sequentis extractionis, ius, & facultatem habeat, etiam Superior Regularis, vt apertè dicitur in Bulla Gregoriana illis verbis. *Ad quos solos*, idest ad Episcopum, & Vicarium, *& non ad alios Episcopis inferiores, & si aliàs Ordinarij, aut diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint*. Res igitur est clara, disposita in ea Bulla quò ad cognitionem, & extractionem pertinere ad prædictos, & nullo modo ad Superiores Regulares, qui solùm requisiti, velint nolint, tenentur consignare Vicario petenti reum, qui confugit apud ipsos. Ita docent Gambacurta lib. 6. cap. 9. Ludou. Correa part. 4. num. 3. quos pro se citat Barbosa lib. 2. de iure Eccles. cap. 3. num. 157.

DECISIO CXLVI.

An obtinens licentiam absoluendi certum à casu reseruato, possit ea vti pro alio?

QVandò Confessarius obtinuit licentiam à Superiore absoluendi certam personam, non cogitando de alia, si illa non comparet, ea vti non potest, absoluendo alium pęnitentem, qui in talē specie casum incidit; quod probatur. Tum quia Superior licentiam concedens intendit, gratiam facere iuxtà petitionem, nam Princeps, & Superior se solet accommodare precibus sibi porrectis, l. Si preces ff. de leg. cap. Inter dilectos §. Cęterùm, de fide instrum. vbi glos. v. Petitio, ait, responsum conformari petitioni; sed petitio est pro vno præcisè determinato, ergò & licentia pro illo tantùm censetur concessa. Tum quia actus agentium non operantur vltrà eorum intentionem, l. Non omnis ff. si certum pet. modò Confessarius petens facultatem absoluendi certum pęnitentem à reseruatis, suam petitionem restrinxit ad illum tantùm, ergò vltrà non extenditur. Et ita docet Beia part. 3. casu 10. P. Illuminatus Moronus Minorum de obseru. in suo opere erudito, *Centum responsa ad centum quæsitis*, inscripto, Resp. 25. asserit, gratiam non extendi, quando Confessarius expressit qualitatem inexistentem personæ, pro qua primò petita fuit, quæ non reperitur in tertio, cui prodesse non potest defectu illius qualitatis, si finalitèr mouit Superiorem ad concedendum gratiam, vtique verò eidem tertio prodesse, si illi insit eadem qualitas. Sed in hac re probanda, videtur propriam sententiam contradictione, & repugnantia infringere, dum sibi obijciendo, quod mens petentis facultatem feratur in Carolum, respondendo, quòd mens supplicantis non est attendenda, sed concedentis, quæ verbis supplicantis se conformat, vbi iura, & Doctores ad id citat, ex his enim

apparet cōtradictio, dum dicit, quod mens supplicantis non est attendenda, & nihilominus postea subdit, quod mens concedentis se conformat verbis supplicantis, ergò à primo ad vltimum attendenda sunt verba supplicantis, quæ specificant, & restringunt mentem respondentis simpliciter.

Sed quid dicendum, quandò pœnitens, pro quo obtenta fuit facultas absoluendi illum à tali casu, ab alio absolutus Confessario, vel à Superiore, si iterum incidat in illum casum, absolui possit virtute prioris facultatis, qua pro eo vsus non fuit Confessarius illa prima vice? Non, quia facultas illa ex mente concedentis, & intentione petentis emanauerit limitatè pro casu incurso, non incurrendo.

DECISIO CXLVII.

An obligatus assiduè celebrare, teneatur quotidie?

HAbens Capellaniam erectam sub his verbis: *Eligatur Sacerdos, qui assiduè celebret*. Non tenetur quotidie, & omnibus diebus celebrare, quod probatur Tum ex cap. Significatum 11. de præbend. vbi in narratiua asseritur quotidiana celebratio; in dispositiua verò, quæ attenditur, Papa vtitur tantum dictione, *Assiduè*, quæ minus significat, vt colligitur ex sequenti clausula. *Et quantò frequentius potest*. Tum quia dictio *Assiduè*, expressa in instrumento Capellaniæ, non ita arctè ligat Capellanum, sicut constringeretur, si in eo exprimerêtur obligatio per dictionem *quotidiè*, quæ continuationem importat, non particula *Assiduè*, quæ frequentationem notat, argumento eorum, quæ docet Cenedo singul. 12. actus autem, qui frequentèr fieri debent, congruentem admittunt intermissionem.

DECISIO CXLVIII.

An Blasphemus dicatur consuetudinarius, qui spatio semestris vigesies blasphemauit?

CAsus dubitatione indignus videtur, quia omnes Doctores in eo conueniunt, quod requiruntur plures actus inter se interpollati; ita quod in præsenti materia non sufficiunt duo, aut tres actus, non obstante, quod nonnulli Canonistæ dicunt per binum actum induci consuetudinem, cum glosa in cap. 4. dist. 1. & in cap. Ita nos 25. q. 2. quia intelligendi sunt in alio sensu, nimirum de consuetudine inducenda, non de iudicando aliquem habituatum, seu solitum blasphemare. Lazarius q. 8. de Blasphem. nu. 5. requirit ad minus quinq; actus; Floron. casu 3. nu. 10. §. Quid igitur, cum Grassio prax. lib. 1. c. 10. num. 4. requirit tantum tres actus. Finell. casu 3. num. 28. & Zanardus tom. 2. diuin. præcept. cap. 64. §. Vndè ad constituendum, requirit ad minus decem. Parmæ Blasphemus dicitur consuetudinarius, qui ab vltima Confessione septies, non eodem die blasphemauit. Nullum Doctorem inueni requirentem duodenarium actum ad constituendum quem consuetudinarium, ergò frustra dubitatur, an qui vigesies blasphemauit, dicendus sit consuetudinarius.

DECISIO CXLIX.

An translatione Conuentus transferatur Nouitiatus?

IN ciuitate N. quidam Religiosi priorem Conuentum relinquentes, vt corporalibus spatijs proficiant, accedunt ad alium locum meliorem, & salubriorem, ad hũc Nouitios suos, quos alebant in priori Conuentu deputato legitimè pro Nouitiatu, transferunt, vt Nouitiatum prosequantur, dubitatum fuit, an id potuerint facere, quia secundus locus à nullo Summo Pontifice deputatus fuit pro Nouitiatu?

Benè potuerunt transferre Nouitios, si secundus Conuentus habet locum pro Nouitijs habentem requisita iuxta Decreta Clementis VIII. Ratio est, quia loci mutatione non perditur priuilegium, sed sequitur personas transeuntes ad secundum locum, priuilegium enim est concessum fauore personarum, non locorum, transfertur ergò priuilegium, & concessio Nouitiatus ad secundum conuentum. Et de translatione priuilegij docent omnes cum glos. in Reg, 7. in 6. Oldrad. consil. 257. nu. 2. Innoc. in cap. Cum ex iniuncto, de noui oper. nunt. Philip. Franch. in cap. Cum personæ §. Si vero, de priuil. in 6. Vvamesius consil. 63. nu. 2. consf. 64. n. 3. de iudic. Tamb. to. 3. disp. 5. q. 6. præter hos alios citans.

(⁂)

DECISIO CL.

An Legatum dotale soluendum sit puellæ ingredienti Monasterium non recipiens dotem?

LEgatum relictum similibus verbis. *Lego centum pro dote N. puellæ, si Religionem ingredietur*, puellæ debetur minimè, quando ingreditur Monasterium, in quo non recipitur dos. Probatur, Tum quia in Monasterio non recipitur dos, sed legatum non debetur simpliciter, sed solum, vt dos est, cuius est incapax Monasterium, ergò legatum illi non debetur. Tum quia causa finalis est dotatio, ingressus verò, & onus, sine quo non traditur Legatum; sed causa finalis non subsistit ex dictis, ergò neque legatum, legata enim restringuntur ex causa finali, l. Si habitatio 11. §. Sed si ff. de vsu, & habitat. Tum quia qualitas superueniens generi illud distinguit, & ponit sub alia specie, cap. Licet canon, iuncto cap. Statutum, de elect. in 6. l. Ius Ciuile ff. de iust. Rota Romana vol. 4. decis. 781. nu. 9. Cum ergò legatum hoc simplicitèr dos sit, recipit conditiones dotis; & sicut pater puellæ ingredienti in Monasterium incapax dotis non tenetur dotem tradere, ita neque legatum huic soluendum est. Tum quia quandòcumque duæ causæ concurrunt ad aliquod agendum, si vna deest, nulla est obligatio agendi, quia obligationis exequutio ab vtraque pendet; sed hic deest causa dotalis ex dictis, ergò nulla est obligatio soluendi legatum.

Dixi, quando testator expressit, illud relinquere in dotem, quia si testator simplicitèr dixit: *Relinquo centum*

tum puellæ, si fiat Monialis, tenet legatum illi proindè soluēdum, quia adimpleta conditione legatum debetur, l. Is cui 4. ff. de act. & obligat. Nec obstat, quòd in ea Religione dos non recipiatur, quia legatum hoc dotale non est, præterquamquod incapacitas dotis hic se habet per accidens, cùm qualitas dotalis non afficiat legatum, & sicut legislator non attendit ad ea, quæ per accidens sunt, quandò legem condit, l. Nam ad ea ff. de legib. ita neq; testator, dùm suum condit testamentum, considerat ea, quæ per accidens eueniunt. Quare in hoc casu debetur legatum, siuè Monasterium sit capax dotis, siuè non, quia non est affectus ea qualitate.

Sed quid respondendum, quandò puella in fine anni egreditur spontè, aut à Monialibus expellitur, an legatum sit restituendum hęredibus testatoris? Non; Tum quia sortitum est suum effectum, consequentèr non ampliùs tenet nomen legati, sed rei propriæ eius, apud quem reperitur, nemo autem tenetur restituere rem propriam, cum restitutionis obiectum sit res aliena. Tum quia legatum debetur ingredienti, non perseueranti, & profitenti in Religione, cùm testator vsus fuerit terminis primæ actionis, quæ consistit in ingressu, non in professione.

DECISIO CLI.

An ratificans professionem nullam defectu ætatis perdat locum, & ius antiquum?

FRater Euang. profecit in anno decimoqnintо suæ ætatis, ac proindè nullitèr, postmodùm illam ratificauit post quatuor, aut quinque annos, certum est, quòd non omne ius præcedentiæ amisit, quia communis est sententia Doctorum, per ratificationem professionis non amitti ius acquisitum precedentiæ, ita Doctores, quos allegaui, & sequutus sum cap. 5. q. 50. Resolut. 8. q. 10. Resol. 114. num. 48. & Resolut. 132. q. 26. & de communi testatur Peyrin. de Prelato q. 3. cap. 1. §. V. num. 152. Nauar. autem consil. 27. de Regul. num. 4. Scrofa in suo libello de inualid. profess. dub. 18. exemplificant in professione nulla defectu ætatis. Dixi, quòd non omne ius præcedentiæ amisit, quia acquisitum ius in tantum illi permittitur possidere non obstante professionis ratificatione, in quantum ab initio primæ professionis nullæ erat capax tunc validè profitendi, ex hac enim capacitate ius consequitur; sed Prefatus Religiosus, quandò primò profecit non erat capax professionis veræ obstante ætate, quæ debet esse sexdecim annorum completorum, à quibus ille multum aberat, ideò ab illo die sicut non poterat validè profiteri, ita neq; aliquod ius precedendi acquirere, professio siquidem illius non poterat esse valida, nisi à die 10. Octobris 1618. quam tamen promiserat anno præcedenti die 3. Februarij, natus de anno 1602. die 9. Octobris, ab illo igitur 3. Februarij 1607. vsq; ad diem exclusiuè 10. Octobris 1618. nullum acquisiuit ius, quare ab illo die primo inualidæ professionis non potest prætendere aliquod ius præcedentiæ suprà F. Paulum, qui profecit die 25. Maij 1618. in Conuentu S. Antonij Placentiæ. Confirmatur, quia in tantum robora-

boratur ius præcedentiæ infirmum ex nullitate professionis, in quantum professio nulla ratificari potest; sed non potest ratificari infrà annum 16. ætatis, neque infrà annum probationis, ergò infrà hæc tempora nullum omninò ius acquirere potest, sicut contingit respectu impedimentorum habentium tractum successiuum.

DECISIO CLII.

An valor 20. solidorum cap. Terrulas, intelligatur fructuum, an fundi Terrularum.

EX capite Terrulas 52. 12. q. 2. in Concilio Agathensi scribitur. *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minùs vtiles, aut longè positas paruas, Episcopus sine consilio Fratrum, si necessitas fuerit distrahendi, habeat potestatem.* Glosa ibidem difficultatem resoluit his verbis. *Fortè exiguas vocat valentes viginti solidos*, loquitur de fundo, non de fructibus. Sacra Congregatio censuit rem modicam esse, quæ non excedit vigintiquinque aureos, vt retuli Resol. 27. num. 19. vbi ex glosa v. Solidos cap. 1. 10. q. 3. nomine solidi venit aureus, per iura ibi allegata.

DECISIO CLIII.

An Papa propriam electionem inualidam reualidare possit?

NEquaquam, quia reuerà Papa non est, & sicut nemo seipsum gignit, ita neque seipsum facere Prælatum potest, nullus enim à seipso vocatur, sed ab alio. Quid igitur agendum? Nunquid Papa creditus debet renuntiare? Si nullitas electionis prouenit ex aliquo defectu sui ipsius, procùl dubio renuntiare tenetur, quando manifesta est nullitas electionis, quia dignitatem vsurpatam sibi retinere non potest, nisi cum grauissimo aliorum scandalo, & proprio mortali peccato; si verò vitium inducens nullitatem est occultum, in eo casu, puto, posse perseuerare in officio, à fortiori, si defectus occultus prouenit ab alijs sine sua culpa; ratio est, quia nemo tenetur cum maximo suo dedecore se spoliare dignitate, quam inualidè retinet; prærerquamquòd valdè probabilis est doctrina Innocentij in cap. Quod sicut, de elect. num. 8. vbi dicit, quòd electio de iure naturali valida, quia nimirùm in ea interuenit consensus, qui solus in ea de iure naturali sufficit, in foro conscientiæ sustineri potest, licèt iure positiuo nulla sit defectu alicuius solemnitatis, quam ius positiuum inuenit ad euitandum periculum Ecclesiarum, & deceptiones, cuius opinionem sequuntur Panor. in cap. Quia plerique Iason in l. Nemo potest, in lect. 2. §. Pro parte negatiua ff. de legat. 1. Felin. in cap. 1. de constit. num. 39. ex illis Megal. 2. 2. lib. 2. c. 7. num. 56. vt plurimum autem in huiusmodi cessionibus excitantur maximæ dissensiones, & scandala per vniuersum orbem, maximè intèr Principes. Demùm sicut Ecclesia supplet defectum iurisdictionis nullitèr collatæ, quando error communis est, ex doctrina omnium in l. Barbarius ff. de off. Prætor. ita Deus non negat sic electo potestatem Pontificiam, approbando electum pro vero Pontifice, cùm agatur de summa rerum, & de discrimine omnium. Simplex Sacerdos

dos utrusus sine potestate in Parochum, validè, licèt non licitè absoluit suas oues. Ecclesia supplente illius iurisdictionem, ergò à fortiori Deus tribuit iurisdictionem electo Pontifici pro vniuerso grege. Nec Papa in hoc speciali modo à Deo prouisus differt ab alijs, quorum electio valet ex vtroque iure, vndè cùm ei assistat Spiritus sanctus, sicut alijs, potest res fidei definire. Nec placet, quòd nonnulli dicunt, Ecclesiam supplere hunc defectum, quia suprà Papam, etiam putatum pro vero Papa, nulla creatura, aut Collegium, seu Cōcilium est valēs supplere eius iurisdictionem, nisi velimus incidere in errorem asserentium Concilium esse suprà Papam. Supplet ergò Deus hunc defectum, seu verius dicas, Deum non obstante electionis nullitate conferre potestatem, sic dictantib. ad hoc asserendū Diuinę Scripturę, quod colligitur tum ex illis verbis. *Et portæ inferi non preualebunt aduersus eam.* Tum ex alijs. *Eccè ego vobiscum sum vsq; ad consummationē sęculi.* Tū totius vniuersi diuina prouidētia. Neq; ex hac suppletione, per quam Deus de non Papa facit verè Papam, ob commune bonum totius Christianitatis, & vniuersi orbis, arguitur imperfectio in Deo, quasi approbet, & confirmet illicitam, & inualidam electionem; siquidem nihil illorum facit, sed tantùm supplet defectum commissum in actu electionis, actum imperfectum faciendo perfectum, quod summam perfectionem arguit. Confirmatur, quia defectus se tenens ex parte electionis peccatum non est, ergò hunc supplere nullum est vitium, sed perfectio. Superior demùm supplendo defectus nullæ electionis, illum confirmat sinę illa culpa, & vitio, cap. Quia diligentia 5. de elect. ergò à fortiori id Deus faciens non arguit imperfectionem. Vide in sacro Tribunali cap. 5. q. 15.

DECISIO CLIV.

An Episcopus certę Moniali debeat concedere petitum Confessarium?

SI Confessarius petitus est bonę famæ Clericus, aut Religiosus, non est denegandus Moniali, vt suæ conscientiæ liberius consulere possit, & id est conforme iuri communi cap. Omnis 12. de pœnit. vbi quilibet Christi fidelis vtriusque sexùs debet confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia; proprius autem Sacerdos Monialium est ipsemet Episcopus, & Confessarius per ipsum assignatus iuxtà petentis intentionem, vt clarè colligitur ex textu: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat.* Nullus enim petit, nec vult regulariter confiteri Sacerdoti in genere, sed tali in indiuiduo, potest igitur Monialis, cui ius commune fauet, cum non sit deterioris conditionis reliquis fidelibus, petere certum Sacerdotem, ex iusta causa, qualis censetur sufficiens expurgatio propriæ conscientiæ cum maiori libertate, quod maximè attendendum est respectu Monialium, quæ pro suo libito vagare non possunt, sicut alij pœnitentes, ad quærendos sibi Confessarios iuxta cor suum, maximè Mulieres, quæ ex verecundia solent subticere ea peccata, quæ siue verecundia commiserunt; Negans petitam

tam gratiam, quando Monialis rarissimè illum petit, & Confessarius est spectatæ vitæ, imprudentèr se agit, & non excusarem a peccato mortali propter periculum, in quo se ponit Monialis propter gratiam negatam.

Prædictis nihil opponi potest præter decretum Tridentini sess.25.c.10. illis verbis. *Præter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Sed hæc Monialibus fauorabilia sunt. Tum quia Decretum hoc editum fuit fauore Monialium contra Superiores, qui rigidi erant in dando illis Confessarium extraordinarium, ergò ex Reg. 61. in 6.non est retorquendum in earum dispendium. Tum quia hoc Decretum nullam tribuit facultatem Episcopis, & alijs Superioribus, quam antè non haberent, sed tantum tradit normam offerendi Confessarium extraordinarium Monialibus, ergò possunt vti hac facultate, quam anteà adhibebant, cum illis alterata non fuerit, sed antè poterant petitum Confessarium dare, ergò & nunc possunt, & debent ex allatis. Demum non obstat, quod Confessarius debeat omniũ Monialiũ Confessiones audire, quia sermo est de oblato pro omnib. differentèr. Vidè quæ dico resol.5.q.11.

DECISIO CLV.

An quilibet Sacerdos, à Monialibus petitus, vel oblatus, specialiter sit approbandus?

SIc decreuit Gregorius XV. Bulla incip. *Inscrutabili Dei.* Illis verbis. *Confessores verò, siue Regulares, siue sæculares quomodòcumque exempti tam ordinarij, quam extraordinarij ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur obtineant.* Res est adeò clara, vt nullus remaneat locus dubitationi super hac re, quicquid nonnulli insipientèr dixerint, huiusmodi specialem approbationem requiri tantùm pro Regularibus, tum quia Bulla est circà priuilegia exemptorum, tum quia dubia super illam mota tangunt tantùm Regulares. Sed hæc non obstant, quia licèt contenta in textu regulanda sint iuxtà titulum, & Rubricam, vndè, & habet Rubrica explicare textum dubium, Euer. in loco à Rubrica, id tamen intelligitur, quando textus non est clarus, sed dubius, neque enim textus generalior Rubrica debet per hanc restringi, gl.v. Illicitas Auth. de incestis, constat autem ex allato textu comprehendi etiam Sacerdotem Regularem. Ideò Responsiones S. Congr. diriguntur ad Regulares, non quia Bulla sit tantum super ipsis, sed quia ea dubia à Regularibus tantum petita fuerunt resoluenda.

DECISIO CLVI.

An Vicarius Generalis possit assignare Confessarium Monialibus contrà Episcopum?

EPiscopus absens, & in remotis sine spe redeundi per litteras committit Sacerdoti nondum Confessario Monialium Moniales audiendas in

Con-

Confessione, nulla facta in illis mentione, quod se præsentet Vicario Generali, coram quo nihilominus Sacerdos electus se præsentat, cui præcipit, vt se examini exponat iuxta Bullam Gregorianam, de qua præcedenti decisione respondit, nolle se præsentare pro examine; subiunxit Vicarius, ne audeat accedere ad Monasterium sibi ab Episcopo deputatum pro audiendis Monialibus; obediuit, sed Episcopus de negotio admonitus, præcepit Monialibus per suas litteras, ne cuiquam confiterentur sua peccata, nisi prefato Confessori à se deputato, Priorissa Monasterij vocauit Confessorem, qui se excusauit, fingendo se infirmum. Vicarius tunc instante tempore Paschatis assignauit legitimè alium Confessorem, ne priuarentur Sacramento tam necessario, quod probatur. Tum quia ille Vicarius habebat amplissimam facultatem in omnibus, & per omnia, ac si esset ipsemet Episcopus, quia non erat amplius reuersurus ad suam Sedem, atque etiam eius locumtenens erat, ergò & hanc deputandi Confessarium illis Monialibus, non obstante priori deputatione facta per Episcopum, neque interdicto non confitendi sua peccata alijs Confessarijs, quia licet deputatio legitima sustineri posset, illa tamen prohibitio videtur irrationabilis, neque enim Moniales peccauerunt pararę Confessorem sibi ab Episcopo deputatum recipere, consequentèr Vicarius rectè alium Confessarium illis assignauit, ne remanerent illo tempore sine Ministro, nolente comparere illo ab Episcopo assignato. Tum quia absurdum est, quod Moniales remaneant sine Confessore maximè tempore Paschatis, ergò necessarium fuit Vicario illis assignare Confessorem, vt absurdum subortum cum scandalo tolleretur. Tum quia Vicarius habet potestatem ex litteris patentib. deputandi Confessarios Monialibus, quæ illi sublata non fuit per Episcopum, ergò ea vti potuit in ea necessitate. Tum quia Confessario ab Episcopo deputato nullam intulit iniuriam, dum præscripsit illi examen iuxta Bullam Gregorianam, maximè cum anteà non esset Confessarius Monialium, & persona magis erat nota Vicario, quam Episcopo absenti longo tempore; neque Episcopus poterat illum absentem, quem fortè nunquam viderit Sacerdotem, iudicare idoneum iuxtà præscriptum Bullæ Gregorianæ, siquidem absens de idoneitate examinati, & multò minus non examinati testimonium ferre non potest, Rota Roman. vol.4. decis.551. num.2. Tum demum quia maxima locorum distantia multa indulget, & permittit, quæ aliàs facienda non essent l. Heres absens ff. de iud. glos. v. locorum distantiam cap. Nihil, de elect. potuit ergò Vicarius assignare Confessarium, quod sibi non fuisset licitum præsente Episcopo.

DECISIO CLVII.

An Ritus Nouitiorum osculandi Altare congruat?

IN quadam Religione Magister Nouitiorum præscripsit Ritum osculandi Altare, nam facta Oratione, bini Nouitij ascendunt, & in medio osculantur Altare in eo situ, in

quo

quo illud osculatur Sacerdos, dùm celebrat. Sit nec ne rationabilis, & congruus quęritur? Certè mihi displicent quidam inuentores nouitatum, nauseant instituta educatiua Clementis VIII. & propria excęcantur ambitione; serua mandata maiorum, & sufficit. Irrationabilis est ille ritus; Tum quia ille actus osculandi Altare est proprius solius Sacerdotis, ergò malè vsurpatur à Nouitijs, qui sunt Religiosi imperfecti. Tum quia Ministri Sacerdotis illud non osculantur, dùm illi inseruiunt, ergò multò minùs Clerici, qui nullatenus inseruiunt. Tum quia osculum Altaris respectu Sacerdotis significat vnionem Christi cum Ecclesia, quam solus Sacerdos indicare potest. Tum quia in alijs à Sacerdote osculum significat actum humilitatis, ergò terra, non Altare osculandum est.

DECISIO CLVIII.

An dimittendus à Religione cogi possit, vt non maledicat de Religione?

Dimittendus, vel expellendus à Religione, aut est validè professus, & expellitur tamquam morbida pecus, seu ex causa cogi potest sub vinculo pręcepti obedientiæ, quia vsq; ad dimissionem subditur ex voto obedientiæ, præterquamquòd etiam post expulsionem remanet Religiosus quò ad substantiam trium votorum, ergò constringi potest à Superioribus, quouis tempore inspiciatur votum obedientiæ, immò & hoc verum est, licèt cessaret penitùs obligatio professionis. Ad id tamen ligari non potest aliqua scriptura, seu pœnis, quia, vt suppono, est quid speciale, & extrà rationem Regulę, & in tantum tenetur exequi pœnas, in quantum est subditus actu, qualis non est, qui iam dimissus fuit. Aut est inualidè professus, & tunc nulla ratione cogi potest, quia cùm nulla fuerit professio, nullum ius super ipsum acquisiuit Superior. Demùm siuè per Superiorem constringatur ad non malè dicendum de Religione, seu illius Religiosis, siue non obligetur, de iure naturæ, & diuino omninò tenetur sub culpa mortali non obloqui de Religione, & Religiosis, neque detrectare famam illorum.

DECISIO CLIX.

An Decretum, quod Confessarij non absoluant suos pęnitentes, nisi prius complices propalent Superiori valeat?

Socius criminis non tenetur sociũ manifestare, ergò neq; aliquo statuto ad id cogi potest, neq; Confessario super hoc limitari potest facultas, antecedens suadetur, quia turpidinem suam nemo tenetur reuelare, cap. Quis aliquando 87. de pęnit. dist. 1. sed reuelans socium in crimine, reuelat propriam turpitudinem, ergò ad id cogi non potest, ergò multò minùs statutum fieri potest, vt non absoluatur à Confessario; id enim habet rationem pęnæ contrà pęnitentem, qui tamen non peccat, nec in culpa est, si non reuelat, ergò contrà illum non est indicenda pęna per huiusmodi decretum. Prætereà nullus tenetur reuelare cum graui incommodo, quod resultaret in casu nostro, tàm quò ad honorem, quàm quò ad pœnam

nam

nam corporalem. Deindè per hoc Confessio redditur valdè onerosa, ergo decretum est reijciendum, ne præiudicetur vsui huiusmodi Sacramenti tam necessarij fidelibus.

DECISIO CLX.

An votum, factum sine limitatione temporis, limitari possit?

SI Petrus recuperabit sanitatem, vouet singulis diebus recitare officium defunctorum, retardat sanitas, & biennio post factum votum adhuc ægrotat, petit, an possit declarare voluntatem suam, seu potius limitare tempus hoc modo, Si infra sex menses recuperabo sanitatem, voueo &c. nam primò vouit sine limitatione temporis, an posteà possit tempus recuperandæ sanitatis restringere ad semestre in ordine ad votum? Non, quia id esset dispensare in voto, & illud tollere, in casu, quo non recuperaret Petrus sanitatem infra semestre; sed nemo propria auctoritate se potest eximere ab obligatione voti, & multò minus obligationem sibi impositam destruere. Nec obstat, quod obligatio voti conditionalis sit imperfecta perficienda per euentum conditionis, quia adhuc est obligatio, quæcumque ea sit, quam non potest destruere ipse vouens, sed expectare debet euentum conditionis, non vt possit exequi votum.

(∴)

DECISIO CLXI.

An repercussio non incontinenti sit defensio excusans ab excommunicatione?

ABbas Monacho, cum quo altercabatur, dedit alapam grauem, ex quo læsus remansit aliquantisper attonitus, posteà repercussit Abbatem, qui non amplius percutiebat. Iste Monachus incidit in canonem, non enim potest se tueri titulo defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod non obseruauit, cum incontinenti, & immediatè non repercusserit, & sic non titulo defensionis, sed vindictæ. Deindè nullum erat periculum vitæ, nec alicuius vulneris, ergo defensio locum non habet, maximè cum Abbas non intenderit illum offendere, sed tantum deprimere illius audaciam, & insolentiam. Preterea tunc repercussio est iusta defensio, quandò timetur adhuc maius malum, nam repercussio permittitur ad occurrendum malo imminenti, si enim referatur ad percussionem primam, defensio non est, sed vindicta; constat autem, Abbatem non habuisse animum vlterius molestandi suum Monachum, cum illum non fuerit insecutus post primam alapam, dum manebat attonitus ex dolore colaphi.

DECISIO CLXII.

An dandus Confessarius in tormentis petenti?

REo in tortura patienti dandus est Confessarius, quandò illum petit,

petit, maximè, si illi mors imminet, non obstante, quod Iudex maleficij obtulerit illi Confessarium, & recusauerit tunc confiteri. Probatur, quia præceptum confitendi de iure diuino vrget maximè tempore mortis, & in eius periculo in omnium sententia, in quo casu tunc erat reus, ergò Iudex petitum Confessarium dare tenebatur, vt adimpleret præceptum. Nec obstat, quod in principio obtulerit illi Confessarium, & recusauerit, quia sicut Deus recordatur peccatoris in quacumque hora ingemuerit, ita Iudex debebat prouidere illi de Confessario in ea hora, in qua se ostendebat dispositum, non autem antè, non enim proijciendæ sunt margaritæ antè porcos. Demum Confessarius exhibendus est præparato, & volenti, non inuito, & nolenti, ergò non excusatur à peccato Iudex ex priori oblatione, sed peccauit, cum petenti non exhibuit. Nec quicquam facit pro Iudice dicere, quod interruptione tormentorum reus vires resumit in præiudicium iustitiæ, quia poterat Confessarium dare reo, vt confiteretur peccata sua existens in tormentis, quod non est absurdum.

DECISIO CLXIII.

An sit probatum impedimentum consanguinitatis non obstante discrepantia testium?

QVando testes producti ad probandum hoc impedimentum discrepant in stipite, & conueniunt in personis descendentibus, ex quibus colligitur impedimentum ex consanguinitate, sufficienter probarunt impedimentum, quia impossibile est ex diuersis stipitibus prouenire easdem personas numero, ergò stipes assignatus diuersimodè; idem est in re, nomine diuersus tantum. Ponamus casum, quod primus testis probet consanguinitatem inter Petrum, & Paulum in quarto gradu sic, quia Petrus est filius Andreæ; & Andreas filius Iacobi, & Iacobus filius Francisci, & Franciscus filius Thomæ, qui ponitur stipes; à quo genitus fuit secundus filius Bernardus, qui genuit Stephanum, qui genuit Ioannem, qui genuit Paulum. Secundus testis cum primo conuenit in omnibus descendentibus, sed non ab eodem stipite, nam secundus testis stipitem non vocat Thomam, sed Iacobum. Non obstat ea diuersitas nominum, quia ex conuenientia descendentium impossibile est, stipitem esse in re diuersum, licet dicatur multiplex in nomine, & diuersus; facit pro nobis ea regula, quod non est curandum de nomine, cum rem habemus. Præterquamquod ad probandum impedimentum futuri Matrimonij sufficit vnicus testis fide dignus, vt docent ferè omnes quos allegat Bossius de Matrim. contractu cap. 7. num. 133. & 134. vbi id probat contrà singularem opinionem Pontij.

DECISIO CLXIV.

An electus Confessarius per Moniales tempore Iubilæi, sit approbandus ex Gregoriana?

BOna, & legitima est electio Confessarij facta per Moniales, quamuis aliàs non esset deputatus ad Moniales iuxta Bullam Gregorij XV. ratio

tio est, quia Bulla Iubilæi habet similia verba. *Regularibus vtriusque sexus facultatem impartimur eligendi sibi Presbyterum Confessarium, tàm sæcularem, quàm cuiusvis Ordinis, vel Instituti Regularem ex approbatis ab Ordinarijs locorum*; sunt verba Bullæ Iubilæi Innocentij X. dati anno 1644. Quæ in Confessario requirit tantùm approbationem Ordinarij, non distinguendo in ordine, ad quas personas sit approbatus, consequentèr neque nos distinguere, & limitare debemus gratias amplissimas, quale est Iubilæum, intèr alia maximè fauorabile, ergò latè explicandum. Quare Ordinarij locorum debent Confessarium aliàs approbatum concedere Monialibus petentibus sine alio examine, aut approbatione.

DECISIO CLXV.

An eadem sit pęne priuatio Prioratus, & ab eodem suspensio?

PEr hoc differunt suspensio, & priuatio intèr se, quod suspensus retinet titulum, & possessionem suæ Prælaturæ, sed non potest illius fructus, & emolumenta percipere; priuatus verò ab omnibus intelligitur remotus, non solùm à iure percipiendi fructus, sed etiam à titulo, & possessione Prælaturæ, seu beneficij. Hæc differentia colligitur ex cap. Cupientes §. Cæterùm, 16. de elect. in 6. vbi suspensus à beneficio per triennium, si interà id tempus se in eo ingesserit, ipso iure illo est priuatus, & ita docent omnes cum Gemin. ibidem, num. 3. Sayr. lib. 4. cap. 6. num. 2. vbi num. 3. subdit suspensum à beneficio posse facere ea omnia, quæ spectant ad ius temporale, & spirituale, quia alia est suspensio à beneficio, alia ab officio. Sed si loquamur de Regularibus Prælaturis, quæ propriè beneficia non sunt secundùm titulum, & possessionem consequendi frúctus, census, & similia, cuius sunt incapaces, ob votum paupertatis, res ita se non habet, ideò apud illos, qui est suspensus à Prioratu, est ab eodem priuatus, altèr suspensio vana esset, cùm posset prosequi munus suum sicut antè. Ex quo etiam sequitur Superiorem Regularem suspensum à suo officio, posse exercere actus ordinis, qui non pendent à Prioratu, quia nomine officij venit in subiecta materia Prælatura, seu superioritas. Dixi, qui non pendent à Prioratu, quia suspensus à Prioratu, si anteà erat simplex Sacerdos, nondùm Confessarius, per priuationem ab officio perdit iurisdictionem, quam habebat coniunctam cum Prioratu, qui comparatur Parochianatui, à quo deiectus Sacerdos non ampliùs excipere potest confessiones, cùm careat titulo, in quo iurisdictio fundabatur.

DECISIO CLXVI.

An Moniales Confessarium sibi deputatum, aut oblatum recusare possint?

REcusare possunt vtrumque tàm ordinarium, quàm extraordinarium, ordinarium quidem legitima existente causa, quod suadetur. Tum quia is comparatur Parocho, quem ex iusta causa populus recusare potest, arg. eorum, quæ dicuntur cap. Vt circa electiones 4. de elect. in 6. Tum quia

quia confessio debet esse libera ex communi Theologorum in 4. dist. 17. vbi D. Thomas q. 3. art. 3. q. 4. explicatur autem per hoc, quòd voluntariè fit, & libentèr, Nau. cap. 2. num. 7. Faber de pœnit. disp. 29. hilaritèr, & cum promptitudine; talis autem non esset, quando Moniales cogerentur recipere Confessarium sibi deputatum contrà earum voluntates. Hoc animaduertens Clem. VIII. in Bulla incip. *Sanctissimus*, super casuum reseruatione pro Regularibus, declarauit, non licere Superioribus Regularium Confessiones suorum subditorum audire, nisi quandò peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet spontè, aut proprio motu id ab ipsis petierint. Quare sicut Religiosus non tenetur confiteri Superiori suo non reseruata, ac proindè ex hoc quasi dicitur illum quodammodò recusare; ita Moniales poterunt ex causa recusare Confessariũ Ordinariũ. Idem dic quò ad extraordinarium, & à fortiori; Tum quia offertur, vt liberiùs consulant sibi, ergò, si non sunt benè affectæ ergà illum, non dicentur liberiùs confiteri peccata sua, sed quasi coactè. Tum quia, si potest recusari Ordinarius, à fortiori extraordinarius, cùm fortior sit potestas ordinaria, quàm delegata, & extraordinaria.

Quandò recusant Confessarium extraordinarium non petendo alium eius loco, nulla requirtur causa, quia cum is inductus sit in earum fauorem, sine causa potest recusari, cum quisq; iuri suo possit sine causa renuntiare, vt in terminis docuit Pellizzarius in suo eruditissimo tractatu de Monial. cap. 10. num. 270. Si verò petant alium, legitimam causam recusationis oblati exponere debent, sicut & in recusatione ordinarij. Sed quæ causæ erunt legitimæ? Sequentes, quandò expertæ Confessarium esse nimis fastidiosum; peruertisse Moniales, quibus ingerit diuersos scrupulos; quandò non finit eas confiteri suo modo, sed præcipit, vt paucis se expediant; quandò est inimicus consanguineorum aliquarum Monialium; quandò dicunt esse nimis iuuenem, &c.

DECISIO CLXVII.

An omnes Moniales teneantur confiteri Confessario?

VTique Ordinario, quia reputatur earum Parochus, ad quem de iure accedere habent. Extraordinario non tenentur, licèt acceptatus fuerit à Conuentu, quia nemo inuitus cogitur vti beneficio suo, cùm non conferatur in inuitum, l. Inuito 70. ff. de reg. iur. & quilibet suo fauori renuntiare potest. Nec obstant verba Tridentini sess. 25. cap. 10. *Qui omnium confessiones audire debeat*; quia hoc debitum se tenet ex parte Confessarij, quandò omnes volunt illi confiteri, tunc laborem recusare non potest, cùm onus ab initio acceptauerit. Ita Pater Pellizzar. cap. 10. num. 271.

DECISIO CLXVIII.

An quolibet die Monialis profiteri possit?

AFfirmatiuè respondendum est, quia valor professionis nulli diei alligata est, & cùm numeretur intèr actus legitimos, cum illis non recipit

cipit conditionem, neque diem, cap. Actus 50. de reg. iur. in 6. licèt sit alligata ætati, cùm non possit validè emitti antè decimum sextum annum completum, & finitum probationis annum ex Tridentino cap.15. sess. 25. Confirmatur, tùm quia Nouitia in hoc æquiparatur Nouitio ex præcitato capite, qui loquitur de vtroque sexu; sed masculus quolibet die profitetur, peractis ætate, & probatione, ergò, & fœmina. Tum quia Concilium dicit eadem sess. cap. 16. *Finito tempore Nouitiatus, Superiores Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eijciant.* Quæ verba licèt loquantur de masculis, intelliguntur quoque de fœminis, cùm hoc caput referatur ad præcedens, in quo disponitur de vtroque sexu, vt indicat particula, *Quoque*, quæ connectit sequens caput cum præcedenti, vt benè Rodriq. tom. 2. q. 47. art. 13. & 14. & ex eo Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 4. constat autem Tridentini mentem esse, vt statim finito probationis anno, professionem emittant in terminis, Miranda q. 8. de Monial. art. 3. quod docent omnes super dictum cap. 15. Barbosa num. 32. nisi aliqua rationabilis causa subsit differendi tempus professionis, quod obseruari non posset, quandò Nouitia deberet profiteri solùm certis diebus, qui essent expectandi cum dilatione professionis. Tum quia imminente mortis periculo Nouitia statim potest profiteri, ex priuilegio Pij V. vt notum est, ergò signum est professionis, emissionem non esse alligatam certo diei.

Nonnulli dubitarunt primò, quia istis puellis velum consecrationis, quod, & professionem vocant, non datur, nisi diebus dominicis ex c. 1. de temp. ordin. immò iure antiquissimo cap. Deuotis 8. cap. Virgines 12. 20. q. 1. consecrabantur Virgines solum in Epiphania, in Sabbato Paschę, seu in albis Paschalibus, & in Natalitijs Apostolorum, & in c. Placuit 11. & citato: Virgines prohibentur velari ante vigesimum quintum annum; secundò, quia licet consecratio virginum non sit modò in vsu, in eius tamen locum est professio, ergò eisdem diebus solemnizatur, subrogatum enim sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, & recipit omnes eius conditiones, l. Si eum §. Qui iniuriarum ff. si quis caut. l. 1. §. Hæc actio ff. si quis testam. liber. Tertio, hic Parmæ, vbi res controuertitur, professiones Monialium Nouitiarum solis dieb. festis celebrantur, ergò standum est huic consuetudini, quæ est optima legum interpres, immò est, in casu nostro, legis supradictæ conseruatio in viridi obseruantia.

Respondetur supradictis, ad primum illud supponere, nullam esse differentiam inter professionem, & consecrationem virginum, quod tamen falsissimum est, nam velum professionis aliud est à velo consecrationes, velum siquidem professionis dictum velamen cap. Puella 2. 20. q. 2. recipiebatur post duodecimum ętatis annum, nunc per Tridentinum cap. 15. sess. 25. post decimum sextum; & est commune omnibus Monialibus, siue Virginibus, siue corruptis, glos. v. Velamen cap. 7. in Paleam, darique potest à quocumq; Superiore, licet non sit Episcopus. Velum verò consecrationis dari non potest, nisi post vigesimum quintum annum ex citatis viribus,

ribus, non omnibus, sed tantum Virginibus, postquam receperunt velum professionis, non à quouis Superiore, sed tantum ab Episcopo, quia est actus ordinis, non iurisdictionis, ex Paludano in 4. dist.38. ex eo Sylu. verb. Consecratio Virginum num.3. ex illis Miranda q.7. de Monial. art.8. §.Secundò, qui inferunt Superiores Regulares non posse consecrare Moniales Virgines sui Ordinis, quia non habent eam potestatem, quæ solis Episcopis est propria. Ex his diuersitatibus certò constat, non valere argumentari ab vno ad alterum, Nouitia non potest velari consecratione diebus ferialibus, ergò neque velari professione, non enim valet consequentia, quia secundum vulgata iura, ex diuersis non fit illatio, & confirmatur clarius, quia non valet dicere, consecrari non potest virgo, nisi post viginti quinque annos suæ ætatis, ergò neque recipi ad professionem, quod falsissimum esse constat. Preterea Vicarius Generalis in hoc casu nullum actum facit spectantem ad consecrationem, cum nullatenus consecrare possit virginem ex dictis, ergò eius operationes non sunt alligandæ certo diei.

Ad secundum, non est verum, professionem subrogari in locum consecrationis, & veli Virginitatis, quia velum professionis antiquius est velo consecrationis, non enim potest virgo consecrari, nisi prius professionem emiserit, ex cap. Puellæ 6.20. q.1. & docent supradicti, ergò velum professionis non potest dici subrogatum in locum veli consecrationis, subrogatum enim ex natura rei posterius est ad id, in cuius locum subrogatur.

Ad tertium, consuetudo recipiendi professionem Monialium diebus illis, immò etiam puerorum apud Regulares non est legis de consecratione veli interpretatiua, seu conseruatiua, cum nihil consecrationis contingat in hac actione, cum ea abierit in disuetudinem, sed ea est simplex praxis, & vsus inductus ad piam pompam, vt frequens populi concursus, qui illis diebus festiuis vacat ab operibus, habeatur, ad excitandam maiorem deuotionem in populos, qui ex hoc animantur ad offerendos suos filios Dei seruitio. Iuxta Resolutionem hanc professionem emisit nobilis puella in Monasterio S. Dominici die 25. Iunij 1646.

DECISIO CLXIX.

An Parochus debeat assistere Matrimonio attentato ex impedimento dirimente?

PArochus admonitum Sempronium de impedimento affinitatis nolentem desistere à celebratione Matrimonij cum Berta, quam deflorauerat, & eius matrem cognouerat, absoluere non potest, eidem verò Sacram Communionem publicè petenti denegare non debet, & eius Matrimonio assistere, Sponsi vero ita coniuncti non possunt Matrimonium consumare antè dispensationem expeditam. Primum de absolutione neganda satis clarum est, quia caret proposito abstinendi à peccatis in futuro, hoc ipso, quod vult contrahere Matrimonium cum illo impedimẽto; quod sine dubio fieri non potest sine Sacrilegio. Nec excusatur allegando promissionem datam, vt mortem effuge-

fugeret, quia promissio ea nulla est, stante impedimento, vel expectet post obtentam dispensationem promissionis exequutionem. Secundum de sacra Communione non deneganda, docent omnes cum Bonac. disp. 1. de Sacram. q. 6. p. 4. num. 4. quia nec Christus eam negauit Iudæ. Tertium de assistentia matrimonio, est de iure Parochi ministrare Sacramenta suis parochianis, nisi subsit causa denegandi illa eis, quæ alia assignari non potest, quàm scientia impedimenti, quam tamen non dicitur habere Parochus ex vi confessionis, cùm sciat tantùm, vt Deus, cap. Si Sacerdos 2. de off. Ordin. non vt homo, ratione cuius debet assistere matrimonio, siuè petatur occultè, siuè publicè, ex allegatis à Bonac. q. 3. de matr. p. fin. num. 13. Vide Sanch. lib. 3. disp. 16. Quartum denique notum est, quia ex matrimonio nullo ius non acquiritur ad copulam licitam, cùm non dicatur coniugalis, sed fornicaria.

DECISIO CLXX.

Ad quem spectat Statutum iuratum per Rempublicam relaxare?

RESpublica, expulsis Iudæis à suo dominio, publica lege iuramento confirmata se, & successores suos obligauit, non ampliùs recipere illos, neque tractare de illorum receptione, sub pœna periurij, & perditionis nobilitatis, & ciuilitatis. Modò pœnitentia facti ducta vellet iterùm admittere expulsos, quid agendum est?

Certum est, nullum ex Communitate illa negotium hoc tractare posse, id enim prohibet expressè Statutum, seu lex illius, immò neque agere cum Superiore ad relaxationem iuramenti, & destructionem Statuti, quandò in eo exprimeretur, quòd non possent tractare de illorum receptione directè, neque indirectè, quia procurare relaxationem iuramenti, est indirectè tractare de illorum receptione. Igitur de hac re agendum est per extraneum, ne Domini Reipublicæ contraueniant suum iuramentum, & incurrant periurium, & perditionem nobilitatis.

Superior autem in hac causa nullus Dominus temporalis, nec Imperator ius habet, quia primum, quod faciendum est, consistit in dispensatione, & relaxatione iuramenti, quod spectat solùm ad potestatem Ecclesiasticam, ut communi asserunt Couar. de pactis, part. 1. §. 3. num. 8. Felin. in cap. 1. de iure iur. alios citat Sanchez lib. 3. cap. 20. num. 13. & in casu præsenti ad summum Pontificem, cum causa sit magni momenti, ex ijs, quæ habent Sotus lib. 8. de iust. q. 1. artic. 9. in solut. ad 3. Azor. lib. 11. cap. 9. q. 4. ex illis Sanch. lib. 3. cap. 19. num. 7. posita igitur legitima causa Papa poterit dispensare, auferendo iuramenti obligationem ab ea lege, seu statuto. Difficultas postea remanet, an Respublica, sublato iuramento, possit per se ipsam reuocare suam legem, & videtur quod sic, quia per quas causas res nascitur, per easdem dissoluitur, & illius est soluere, cuius est ligare, & legis conditor legem reuocare potest; nihilominus contrarium dicendum est, non posse Rempublicam reuocare, & destruere illam legem, seu statutum, quia non tantum fuit legislatrix, verum etiam eidem se subiecit non solum,

lum, quo ad vim directiuam, sed etiam quo ad coactiuam, immò ea lex nullos habet subditos, qui obligentur ad illius obseruationem, præter ipsam Rempublicam, quare cum homines in ea sint soli, & veri subditi dictæ legi subiecti, ex hoc vim legislatoris non habent, consequenter neque legem, aut statutum reuocare nequeunt, nemo enim subditus seipsum eximere potest ab obligatione legis. Vndè adductæ rationes locum habent, quandò legislator non subditur legi ex vi coactiua. Sequitur ex his non sufficere relaxationem iuramenti, sed prætereà Summus Pontifex inducendus est ad actum specialem, per quem directè reuocet eam legem, qua reuocata, sine alio actu positiuo, & legali adiecta pœna perditionis nobilitatis, & ciuilitatis, ipso iure euanescit. His igitur positis, poterit sine peccato, & periculo incurrendi eas pœnas Respublica recipere illud Collegium.

DECISIO CLXXI.

An aqua infusa in Calice remaneat post consecrationem, an transubstantietur?

INnocentius III. in cap. Cum Marta 6. §. quæsiuisti, de celebr. Missarum, ita casum legalitèr decidit. *Verùm intèr opiniones prædictas, illa probabilior iudicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expressiùs elaceat proprietas Sacramenti, nam cum aquæ multæ sint populi multi, ideò vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur.* Ergò minùs probabilis est opinio, quæ docet, aquam non conuerti cum vino in sanguinem, sed remanere post consecrationem, vt hac ratione confirmetur illud mysterium, quo dicitur de latere Christi fluxisse sanguinem, & aquam, quod explicari non potest, si post consecrationem non esset aqua, sed tantùm sanguis. Vide Suar. de Euchar. disp. 45. sect. 4. alios referens.

DECISIO CLXXII.

De Cartusianis à quibusnam absoluendi sint à casibus reseruatis?

NOnnulli Regulares Cartusiani quæsierunt, quomodò intelligenda sint sequentia statuta circa absolutionem, quæ sunt.

Primò, quod si quis Prior, Procurator, Monachus, aut Conuersus in itinere constitutus, alteri, quàm Priori suo, vel deputato de certo mortali confessus fuerit, domum reuersus tenebitur iterùm confiteri de reseruatis quidem Priori, aut Prior Vicario, nisi alium elegerit Confessarium, de alijs autem, vel Priori, vel vni ex alijs ad confessiones audiendas deputatis.

Secundò, vigore etiam facultatis per Apostolicam Sedem concessæ alicui personæ Ordinis nostri, & quæ communitèr apponi solet in Papalibus Indulgentijs, quod videlicet quis possit sibi eligere Confessarium idoneum sęcularem, aut cuiusvis Ordinis Regularem, qui possit eum absoluere ab omnibus peccatis suis etiam prædictæ Sedi reseruatis. Nullus de Ordine nostro potest sibi eligere Confessarium, quàm subditus Priorem, vel vnum ex Ordinarijs ad confessiones audiendas in Conuentu deputatis, nec potest dicta facultate vti contrà men-

tem Ordinis, & formam statuti.

Tertiò, sunt autem certi casus, alij Sedi Apostolicæ reseruati, à quibus solus R.P. Cartusiæ, & quidam alij Priores per eum deputati possunt ex indulto Summi Pontificis personas Ordinis nostri absoluere, tàm à peccatis, quàm à sententijs, & censuris Ecclesiasticis, à iure, vel homine latis, etiamsi ex Papali decreto, vel aliàs essent per solum Romanum Pontificem absoluendi, nec nón cum eisdem personis super singulis irregularitatibus, & inhabilitatibus quauis causa contractis, in foro conscientiæ dumtaxat, dispensare, & rehabilitare, ita tamen quod super irregularitate contracta ex voluntario homicidio dispenset citra altaris Ministerium. Prædicti autem Priores deputati per R.Patrem ad absoluendum à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, non possunt alteri committere vices suas, cum sit in eis electa industria personæ.

Emergunt ex prædictis nonnullæ difficultates. Prima ex primo capite: An per itinerantes omninò repetendæ sint Confessiones omnes coram Confessario Ordinis sui, factæ in itinere? Secunda, quid, si in itinere Confessus fuit solum venialia, an hæc repetenda? Tertia ex capite secundo, An tempore Iubilæi possit Cartusianus eligere extraneum iuxta tenorem Iubilæi? Quarta, dato, quod possit, teneatur ne id patefacere suo Priori, & Superior teneatur illum dimittere? Quinta, an habens specialitèr à Papa facultatem eligendi sibi Confessarium tot vicibus in anno, possit eligere extraneum, non obstante hoc statuto? Sexta ex cap. 3. an Priores deputati ad absoluendum à reseruatis interdum possint suam facultatem alteri committere? Septima demum, an quandò casus notorij sunt, possint absoluere?

Primę difficultati respondendo, res clara est, quod Cartusianus tenetur Confessione repetere suo Cōfessario, cum erit in Conuentu omnia mortalia, quæ extraneo manifestauit in itinere constitutus, quia statutum satis clarè loquitur, & in claris non est locus coniecturis.

Secundæ, non tenetur verò repetere Confessiones, quas de solis venialibus fecit coram extraneis Confessarijs, quia statutum apertè loquitur de solis mortalibus, ibi: *De certo mortali Confessus fuerit*, ex quo etiam elicitur, quod si dubitat pœnitens, an aliquod peccatum, de quo se accusauit coram extraneo Confessario, sit mortale, an veniale, in eo casu non teneri repetere Confessionem, quia statutum ad id obligat, quandò mortale certum est, non autem dubium.

Tertiæ, Cartusianus tempore Iubilæi Vniuersalis quemcumque Confessarium approbatum ab Episcopo tamen, iuxta quod dixi Resol. 34. q. 18. eligere potest, tum quia supradictum statutum nullam mentionem facit de Iubilæis, sed tantum de facultatibus, & Indulgentijs, sub quarum nomine non venit Iubilæum vniuersale, in quo omnes ius habent exhilarandi animam suam cum magna libertate; tum quia si adesset statutum contrarium, huic derogatur per Bullam Iubilæi.

Quartæ, non tenetur exprimere id suo Priori, nimirum se velle eligere extraneum ad lucrandum Iubilæum, quia id nullo iure probatur, & Bulla

Reli-

Religioso plenum ius facit ad electionem extranei. Aduerte tamen, quod si statutum adsit præcipiens, Religiosum debere id exprimere suo Priori, quandò vult eligere Confessarium virtute Iubilæi, tunc debet illud obseruare, quia non repugnat cum Bulla, cum vtrumque obseruari possit, & in eo casu Prior non potest negare exitum, & electionem, quia non est supra Bullam Iubilæi.

Quintæ, habens in specie à Papa priuilegium eligendi Confessarium quemcumq;, non potest eligere Confessarium extraneum, sed tantum sui Ordinis, quandò anteà non poterat accedere ad quemcumque Confessarium sui Ordinis, sed ad talem, vel talem tantum; vt enim vides priuilegium sortitur suum effectum, & sufficit, quod in aliquo verificetur, cap. In ijs 30. de priuil. Quod si poterat accedere ad quemcumque sui Ordinis, tunc si in petitione priuilegij nullam fecit mentionem sui statuti, neq; Papa in concessione derogauit quibuscumque in contrarium obstantibus, Cartusianus eo priuilegio nullatenus vti potest, cum præsumatur subreptitium, neque Papa præsumitur ea concedere contra Regularem disciplinam, nisi in specie deroget.

Sextæ, clarum est, quod Priores deputati in nullo casu possunt alteri committere vices suas, quia id illis expresse prohibetur, quia statuentes dixerunt, se elegisse industriam personæ, & non officium illis verbis. *Priores ad absoluendas personas ordinis nostri non possunt alteri delegare vices suas, cum sit in eis electa industria personæ, in quibus intelligitur persona, non Officium*. Hæc postrema verba faciunt hunc sensum: *Intelligitur electa persona non Officium*: Idest prudentia, & peritia Confessarij non attenditur ex eo, quod sit in eo Officium prioris, sed quia est talis persona, quæ cognoscitur prudens, & perita ad absoluendum; qualitas igitur personæ intrinsecæ, non superueniens officium reddit aptum, & idoneum ad absoluendum. Videntur etiam explicandæ illæ particulæ, quod non possit committere vices suas, idest deputare, & facere Confessarios.

Septimæ, cum verba statuti simpliciter, & absolutè loquantur, videntur Priores illi deputati posse absoluere etiam à notorijs, fauores enim sunt ampliandi. Confirmatur, quia non est verisimile statuentes voluisse, Religiosum, cui indicta est quasi perpetua clausura, vagari ab Italia in Galliam pro absolutione casus notorij obtinenda à Generali suo.

DECISIO CLXXIII.

An percutiens nulliter professum sit excommun.?

Nequaquam, vt probaui Resolut. 28. q. 9. quia si hoc priuilegio gaudet Tertiarius, & Nouitius, ergò à fortiori nullitèr professus, siquidem is magis assimilatur veris professis, quam Nouitius. Deindè ex sola assumptione habitus dati per legitimum Superiorem, quis lucratur hoc priuilegium, vt patet id in Nouitijs, sed nullitèr professus adhuc retinet habitum, atque idem est, ac Nouitius, ergò priuilegio Canonis.

Pater Illuminatus Moronus Bergom. Responso 80. nu. 1. & 29. asserit per-

percutiẽtem Monachum nullitèr professum esse excommunicatum, quod probat, quia verè non percussit Monachum, sed Laicum, & excommunicatio non incurritur, nisi à percutiente Clericum, vel Monachum, non autem ab eo, qui putat se istos percutere, non enim punitur affectus, sed opus externum, & citat pro se omnes Doctores, quod allegat Sanchez lib. 9. disp. 32. num. 28. Sed contrà est; tum quia ille nullitèr professus adhuc est Monachus, cùm ex legitima assumptione habitus gaudeat priuilegijs Nouitiorum, cui in hoc æquiparatur. Tum quia verè percussit Monachum, licèt validè nõ professum, ex eo enim quod quis est inualidè professus, non perdidit nomen Monachi, cùm per inualidam professionem nihil eorum amiserit, quæ antea habebat. Tum quia Doctores allegati loquuntur in terminis eius, qui purus Laicus reputabatur Clericus, cùm nulla ratione esset talis; de nostro autem casu ne verbum quidem. Demum nullitèr professus non est deterioris conditionis, quam sint Tertiarij, & Nouitij, quibus competit hoc priuilegium, ergo & isti.

DECISIO CLXXIV.

An famulus sine habitu Regulari expertus asperitates Religionis validè profiteri possit?

Famulus, qui per annum, aut vltrà seruiuit in Religione sine habitu Religioso, & sine animo faciendi Nouitiatum, vel profitendi, expertus tamen asperitates Ordinis, nullo iure potest emittere validam professionem, nisi præmittat verum Nouitiatum. Probatur; Tum quia ille famulatus nullam speciem habet probationis, cum ordinetur ad seruitutem, non ad Nouitiatum, & per accidens est, quod experiatur asperitates Religionis. Tum quia status, in quo est, nec formalitèr, nec virtualitèr præsefert Nouitiatum; non formalitèr, quia ingressus est sine animo experiendi, nec receptus fuit à Superiore, vt Nouitius, requiritur enim vtrinq; intentio Nouitiatus, cùm sit actus humanus ex intentione perficiendus: non virtualitèr, quia ille famulatus nihil in se habet, cuius virtute subsistere possit Religiosa probatio ad profitendum; nec obstant expertæ asperitates, quia ex accidenti, & materialitèr se habent carentes ratione formali, qua ex intentione, & ordine ad profitendum fieri debent. Demùm stando in iure communi prærequiritur Nouitiatus, & delatio habitus Nouitiorum, cap. Ad Apostolicam 16. de Regular. cap. 1. & 2. eod. in 6. neutrum reperitur in dicto famulo, ergò non potest admitti ad professionem.

Pater N. ex Societate Iesu duo adducit argumenta in contrarium. Primum, quia cessante fine legis cessat lex, finis autem Nouitiatus est, vt Nouitius probet Religionem, & ab ea probetur, quod totum habetur in hoc casu. Secundum, quia Portellus v. Nouitius nu. 52. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 4. docent, quem validè profiteri, licèt nullitèr receptus fuerit ad Nouitiatum à non habente potestatem, vel alitèr, ergò pari ratione admitti potest ille famulus, qui non fuit admissus ad Nouitiatum, sed tantùm ad famulatum.

Ad primum ea Regula locum habet,

bet, quando in communi cessat finis, non autem in particulari, ita Graff. part. 1. lib. 2. cap. 37. num. 21. Bonac. de legib. disp. 10. q. 2. p. 8. §. Incidens num. 13. & de contract. q. 11 p. 3. nu. 2. Bariola consil. 2. §. His accedit, Rodr. tom. 1. q. 56. art. 12. §. Et licet. Ad secundum, licèt admissio sit nulla, operatur tamen, vt probatio sit vera, & formalis, inualida enim aliquid operantur, glos. in Reg. Non præstat. & cap. 11. de sponsal. in 6. ex nullis sponsalibus inducitur impedimentum publicæ honestatis; præterquàmquod magis attenditur mutua intentio peragēdi Nouitiatum, quę comitetur ipsam probationem, quam ipsa admissio, quæ est quid transitorium. In famuli receptione nullam video admissionem validam, nec inualidam, sed solum famulatum, qui cum admissione nulla ratione comparari potest. Adde prædictis, quòd iste famulus non est expertus asperitatem habitus, qui intèr pręcipuas reputatur, glos. dist. 53. alia iura citaui cap. 4. q. 17. de profess. Regul. ad quod facit illud Petri Chrysologi serm. 13. illis verbis. *Mollitiem carnis vestis asperitas calcat, cibus agrestis mundi totam frenat luxuriem*. Prædicta procedunt etiam respectu Tertiarij semihabitum gestantis, qui ineptus est ad professionem, nisi more aliorum Nouitiorum educetur.

DECISIO CLXXV.

An Religio teneatur restituere hæreditatem professi in quodam casu?

HÆreditas relicta Titio cum onere, quod, si certum committat delictum, ea deuoluatur ad Caium, si Titius in Religione professus illud delictum committat, à Religione non deuoluitur ad Caium, sed remanet, vt priùs in bonis Monasterij, quod successit in omnia iura professi, ex Auth. Ingressi, C. de sacros. Eccles. ibi: *Ipso ingressu se, suaq; dedicat Deo*. Probatur; Tum quia ex cap. Si Episcopum 3. 16. q. 6. dicitur, quòd delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est conuertendum. Tum quia sicut Religioso incidente in heresim Monasterium non perdit bona ipsius professi heretici, Spino glos. 12. princip. num. 25. ex illo Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 54. ita neq; in casu nostro ob delictum professi Conuentus habet perdere bona ipsius delinquentis. Tum quia huiusmodi dispositio habet speciem substitutionis, nam Caius substituitur Titio post commissum delictum; sed substitutio euanescit per professionem in Religione, vt de communi Doctorum probat Sanch. lib. 7. cap. 16. Tum quia huiusmodi onus in ordine ad Religionem reputatur conditio turpis, retrahit enim Caium ab ingressu Religionis, cuius Superiores huiusmodi onus scientes non recipient ipsum Caium intrà Monasterium, ergò ea habetur pro non adiecta. Tum quia Caius non dicitur decedere sine liberis; cum Religionem habeat pro filio, ergò locum non habet præfatum onus. Tum quia verisimile est, quod si pater sciuisset, filium ingressurum esse Religionem, tale onus non apposuisset, Dec. consil. 227. n. 11. consil. 189. Signor. consil. 183. n. 16. Testatoris enim mens piè interpretanda est, maximè vbi agitur de fauore Religionis. Demùm ea hereditas non ampliùs est delinquentis, sed Religionis; Caius autem succe-

dit

dit Titio, non Religioni, cui nunc est hæreditas, seu bona Titij.

Prædictis obstat Reg.79. in 6. Nemo plus iuris potest transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur; Sed Titius non habebat ius absolutum, sed tantum limitatum super sua bona, vt commisso delicto statim deuoluerentur ad Caium, ergò ea non potuit irreuocabilitèr transferre in Religionem. Præterea expressa voluntas testatoris est, vt in eo casu deuoluantur ad Caium, & cum in claris non sit locus coniecturis, dicendum est, non deberi perpetuò ea hereditas Religioni.

Respondetur ad primum, eam Regulam non habere locum, quandò translatio fit in Communitatem, vtiq; verò cum fit ad personam particularem, fauore enim Religionis iura coadiuuāt, quia summa est ratio, quæ pro Religione facit. Vel dic meliùs, quod Caius nihil iuris transfert, sed Religio id à iure habet, vt succedat in bona professi. Ad secundum licet voluntas testatoris sit expressa, non ideò tamen ita limitata est, vt non possit extendi ad alium casum, nam testatore disponente in vno casu, dispositum debet extendi ad alium casum, seu personam, si fortè interrogatus, potuisset ita respondere, Paris. lib.3. consil.50.n.55. Rota vol.1.decis.698. num.10. Decius consil.227. num.11. Signor. consil.183.nu.10. Præterea testator in dubio videtur se referre ad id, quod quilibet sapiens disposuisset, Rota vol.2. decis.181.nu.8. nulli autem dubium est, quod si testator præsciuisset ingressum Titij in Religionem, non apposuisset illam pœnam, vt hæreditas deuolueretur, delicto perpetrato, ad Caium, vt ea abiecta faciliùs posset ingredi cum emolumento Monasterij sine dispendio.

DECISIO CLXXVI.

An Confessarius, cuius licentia ad annum est, postea possit prosequi audire Confessiones?

In quadam ciuitate non longè à nobis non reperitur Vicarius Generalis, neque Episcopus, cum sit in remotis, neque aliquis alius, qui possit confirmare litteras patentes iam terminatas. Nonnulli crediderunt, huiusmodi Confessariū prosequi posse suum munus, quia stante hac necessitate, & carentia Superiorum censetur prorogata iurisdictio.

Sed dicendum est, nullatenus prorogari iurisdictionem, sed omninò cessare, quia causa limitata producit limitatum effectum, & non amplius dicuntur habere iurisdictionem delegatam, ideò sibi imputent, si pro confirmatione non scripserunt ad Episcopum, vel non adierunt nouum Vicarium parum distantem. Quod si attentent excipere Confessiones, nullam facient absolutionem, Vide Doct. allegatos à Barbosa ad sess.23. cap.15. num.45.

DECISIO CLXXVII.

An priuilegium Oratorij priuati transferatur alio cum persona priuilegiata?

Nobilis Parmæ habens licentiam audiendi Missam in Oratorio domus suæ, si domicilium transferat Regium,

Regium, hoc priuilegio vti non potest, contrà opinionem Megalij, & Nouarij, quos pro se citat Diana p.4. tract.4. resolut.208. Probatur nostra decisio. Tum quia priuilegium intelligitur iuxta verba supplicationis, Iason in l. Gallus, §. idem credendum ff. de liber. & posth. in lect.2. Guttier. lib.3. pract. q.18. num.42. Sed in supplicatione expressa fuit domus sita in tali loco, ergò priuilegium hoc restringitur ad eam domum. Tum quia limitata causa limitatum producit effectum; sed concessio huius priuilegij limitatur ad propriam domum talis loci, ergò extendi non potest ad aliam domum extrà locum expressum in concessione. Tum quia hoc priuilegium non est pure personale, sed mixtum ex persona, & Oratorio, nam priuilegium vtrumque respicit, & exequi non potest sine vtroq;, nam persona priuilegiata vtitur suo priuilegio audiendo Missam in suo Oratorio, ergò vtrumque facit ad executionem priuilegij. Est simile votum peregrinationis, quæ est votum mixtum ex labore personæ, & expensis in itinere, sicut enim vnum sine altero esse non potest, ita neque priuilegiatus audire potest Missam vtendo suo priuilegio, nisi ei celebretur Missa in proprio Oratorio; ex hoc argumento tollitur primum Dianæ cum præcitatis asserentis, priuilegium hoc esse personale, non locale, nam vt probaui, mixtum est ex vtroque; vndè defectu personæ priuilegiatæ, vel Oratorij, eius destructione, aut domus mutatione, cessat priuilegium. Tum quia verba in rescriptis posita non sunt demonstratiua, contrà præcitatos, sed dispositiua, sunt enim similia. *Tibi facultatem, seu gratiam concedimus audiendi Missam in dicto Oratorio.* Probatur autem, similes clausulas esse tantum dispositiuas, & quia gratia concipi, nec fieri potest, sine expressione Oratorij, ergò verba sunt dispositiua, non demonstratiua, sine quibus subsistere potest dispositio. Et quia vtraque diuersa oratione exprimuntur sic: *Lego tibi centum, quæ sunt in capsa.* Vidè l. istis verbis §. pater familias ff. de leg.3. l. Demonstratio 17. l. Falsa, de condit. & demon. in casu autem nostro sub vna oratione exprimitur priuilegium. Verum quidem est, quod dispositio, & demonstratio contineri possunt sub eadem oratione, refert exemplum ex Instit. de legat. §. Huic proxima ibi: *Si quis ita legauerit, Stichum seruum meum vernam do, lego.* Sed prædictis non obstat, quia quis seruus esse potest, licet non sit verna, (est autem verna seruus ex ancilla testatoris natus vt habet ibi glosa) in casu autem nostro non potest vti priuilegio sine Oratorio talitèr designato, ergò cum non possit separari ab vsu priuilegij designatum Oratorium non includet demonstrationem, sed tantum dispositionem.

DECISIO CLXXVIII.

An gratia quibusdam Regularib. facta, qui ommiserunt legere Bullas Papales, communicetur alijs?

Peyrinus ad calcem sui operis de priuilegijs super hac re refert duo Decreta vnum pro Augustinianis sub his verbis. *Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita præfati precibus benignè annuendo, gratiosè*

tiesè condonauit supradictis Superioribus localibus Ordinis Eremitarum S. Augustini omnes, & quascumq; pœnas de præterito incursas ob inobseruantiam Decreti de publicandis Ordinationibus S.C.Cardinalium Concilij Tridentini interpretum de celebratione Missarum. Et ijsdem Superioribus permisit, vt in posterùm facere possint dictas Ordinationes perlegi, vel in die in ipsis Ordinationib. præscripta, vel infrà terminum decem dierum immediatè subsequentium. Romæ die 21. Martij 1638.

Alterum pro Canonicis Regularibus his verbis. *Sacra Congregatio Cardin. negotijs*, &c. est eiusdem tenoris, ideò omitto, gratia verò amplior, his verbis. *Iisdem Superioribus permisit, vt in posterùm facere possint dictas ordinationes perlegi, vel in die in ipsis Ordinationibus præscripta, vel infrà terminum vnius mensis immediatè subsequentis. Romæ die 16. Aprilis 1638.*

Certum est, huiusmodi gratiam, tàm de remissione pœnarum, quàm de prorogatione temporis fieri tantùm Superioribus localibus, & quia de illis tantùm loquitur; & quia Decreta de celebratione Missarum præcipiuntur legi tantùm per Superiores locales.

Dubitatur autem primò, an vtraq; gratia intelligatur communicata alijs Regularibus? Secundò, an locum habeat in alijs decretis? vti de Bullis sanctæ Inquisitionis, &c. tertiò an in numero prædictorum dierum includatur dies præfixa in decretis?

Primò, sola secunda gratia de prolongatione temporis communicatur alijs Regularibus, ex ea communi Regula, quòd Regulares communicant intèr se priuilegia. Prima verò gratia non communicatur, sed propria est illarum duarum Religionum Superioribus localibus transgressoribus, cùm sit factum transiens, & non propriè priuilegium, quod respicit futurum ratione sui vsus.

Secundò, locum non habet gratia prorogationis vnius mensis in lectione aliorum Decretorum, nam Decretum super Bullas S. Inquisitionis debet legi à feria 6. post octauam Assumptionis vsq; ad finem mensis, vltrà tempus non indulgetur. Decretum refert Peyr. citatus. Alia autem Decreta sunt primò Bulla de largit. mun. cum Decreto Vrbani VIII. eius declaratiuo, legenda mense Ianuario à Superiore locali sub pœna priuationis officij, vocisq; actiuæ, & passiuæ ipso iure incurrenda. Habentur autem in eo Decreto, seu Bulla Vrbani VIII. hæc verba. *Hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltèm in publica mensa perelegantur*; illa clausula: *Publica Congregatione*: non comprehendit Capitula, seu Congregationes, quæ ordinariè fieri solent occasione electionum, & negotiorum Prouinciarum; sed significat particularem congressum Fratrum eiusdem Monasterij, qui extrà Refectorium, vel ibidem extrà horam manducationis congregantur ad hunc effectum, vt audiant lectionem huiusmodi Bullarum. Quare nulla adest obligatio illas legendi in Congregationibus, & Capitulis ex pluribus Conuentibus coactis. Secundo loco est Decretum Bullarum spectantium ad sanctum Officium, quod legendum est feria sexta post octauam Assumptionis B.M.V. in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato. Item in Capitulis, Congre-

gre-

gregationibus, seu dictis Generalibus, aut Prouincialibus, sub iisdem pœnis, de quibus suprà. Tertiò legenda sunt Decreta de celebratione Missarum, super quibus directè conceditur gratia prorogationis; bis in anno, primò feria secunda post primam Dominicam Aduentus, secundò feria sexta post octauam corporis Christi in publica mensa, sub iisdem pœnis, de quibus suprà. Possunt etiam legi extra mensam in alio loco, iuxta supradicta.

Tertiò demùm non numeratur primus dies præfixus in eisdem Decretis, sed sumitur numeratio temporis à sequenti die ex illa communi regula. Dies termini non computatur in termino, l. Vbi lex ff. de regul. iur. Præterea fauores sunt ampliandi. Deindè particula, *Infrà*, excludit primum diem, qui non computatur in termino, Cenedo singul. 53. num. 1. Ea autem particula est talis naturæ, quod quandò assignatur terminus ad aliquid faciendum infrà decem dies, infrà mensem, quolibet die dictorum poterit illud fieri, Paris. lib. 12. de resignat. benef. q. 8. num. 25. Tuschus lit. D. concl. 299. num. 2.

An mensis, de quo fit mentio in Decreto Canonicorum Regularium sit triginta tantùm dierum? Est longior, & quia omnes ferè menses, in quibus leguntur ea Decreta sunt triginta vnius diei, attenditur enim mensis præfixus, & assignatus pro lectione, arg. gloss. v. mentis, ca. Quam sit, 6. de elect. in 6. & quia fauores, & gratiæ sunt ampliandæ; & sicut gratia est prorogatiua temporis, ita & intelligitur prolongior mensis.

Sed numquid ista prolongatio temporis habeat locum in Bullis de largit. mun. vbi præscribitur totus mensis Ianuarij, an in casu omissionis succedat mensis Februarij? Non, quia prolixitas totius mensis Ianuarij sufficientèr admonet Superiores, quorum interest hæc obligatio, quod non accidit respectu aliorum Decretorum, quibus assignatur vnus tantùm dies, qui facilè præteriri potest, ideò pro his tantùm gratia fuit facta.

Nota, quandò fit mentio mensis indeterminati, tunc in gratiosis est dierum triginta vnius, in odiosis tantùm triginta. Quandò est determinatus illis stàtus, & si incipit à diebus medijs, completur ex sequenti, à quo tamen non mensuratur, sed ab antecedenti, cui, vt dixi, standum est.

An Superior absens pro eo tempore, quo supradictæ Bullæ legendæ sunt, si omittantur ab eius Vicario, ipse incurrat pœnas, an Vicarius? In eo casu neuter reus est pœnarum; non Superior, quia cùm absit, non potest incumbere lectioni; neque antequam discedat, tenetur admonere suum Vicarium, vt procuret earum lectionem, quia hæc obligatio non exprimitur in Bullis, ergò illis imponenda non est. Vicarius verò de iure eas pœnas non incurrit, quia non venit nomine Superioris, quo intelligitur tantùm Superior immediatus Monasterij.

DECISIO CLXXIX.

An Confessarij Regulares dispensare possint in votis castitatis, & Religionis?

NEgatiuè respondendum est, quia nulla habent priuilegia, & ea Papæ reseruata sunt, non de iure, quia in

in eo non exprimuntur, sed solum ex approbata consuetudine confirmata in tot Iubilæis plenissimis, in quibus Summi Pontifices concedũt Confessarijs electis à pœnitentibus facultatem dispensandi in omnibus alijs, exceptis supradictis. Et in hoc nullus contradicit. Vota Papæ reseruata numerantur quinque, votum castitatis perpetuæ, Religionis, votum peregrinationis ad limina Apostolorum; ad Terram Sanctam, & ad Sanctum Iacobum Compostellæ. Ita Sylu.v.Votum 4. q.5. Sanch. lib.4. cap.40. Portellus v. Votum n.75. alios citat Tambur.tom.2. Disp.19.q.8.

DECISIO CLXXX.

An Confessarij facultas finita prorogetur ex gratia eidem facta super casus reseruatos?

QVidam Confessarius, cuius licentia excipiendi Confessiones limitatur ad annum, antequam finiatur, obtinet gratiam absoluendi à reseruatis vsque ad finem anni, licentia autem expirat primo septembris, & remanet gratia super reseruatis facta, quia illi concessa fuit vsque ad finem anni. Quæritur modò, an ex gratia durante prorogetur licentia vsque ad finem anni? Videtur, quod sic, quia potest absoluere à reseruatis virtute gratiæ, cuius tempus nondum finitum est, cum autem ad absoluendum præter potestatem Ordinis Sacerdotalis requiratur etiam potestas iurisdictionis ex communi doctorum, quæ non confertur per gratiam reseruatorum, sed supponitur, nullus enim petit gratiam absoluendi à reseruatis, nisi prius sit Confessarius, ergò, si potest absoluere à reseruatis, consequentèr dicendum est, eam licentiam prorogatam intelligi per gratiam, quia in illa continetur potestas iurisdictionis.

Dicendum nihilominus est, dictum Confessarium non posse amplius excipere Confessiones, neque absoluere à reseruatis, quia notum est, eius licentiam expirasse eo tempore finito, ac proindè cessasse gratiam, nam destructo principali, tollitur quoque accessorium, l.1. ff. de pecul. leg. neque valet, quandò non tenet principale, l. Petitor 31. ff. de liber.legat. nec accessorio agit, qui defecit in principali, l. Egi tecum 26. de except. rei iud. §. Item & accessorium subsequens nullum potest producere effectum, quandò antecedens, & principale non tenet, l.3. §. fin. ff. de seru. rust.prædior. & accessorium remouetur ab eo, à quo principale remotum fuit, l.Fundi 25. ff. de fundi instr. Gratia autem est accessoria licentiæ, vt notum est, quia nullus petit gratiam absoluendi à reseruatis, nisi prius habeat licentiam audiendi Confessiones; non enim in concessione huius gratiæ confertur iurisdictio, sed à Superiore tollitur reseruatio, ergò quandòcumque finitur licentia in se, cessat etiam gratia illi cohærens. Ex quo patet ad argumentum in contrarium supponens falsò remanere gratiam. Confirmatur, quia accessorium non potest confirmare principale, ac proindè neq; prorogare, quandò etiam alias teneret, l.Quod per 10. ff. de iure codicill.

DE-

DECISIO CLXXXI.

An officialis exautorizatus possit subscribere Ordinationes alias à se publicatas?

VIcarius Episcopi fecit nonnullas Ordinationes, seu transactiones inter partes, easdemque transigentibus per suum Notarium publicauit, post modum ex obliuione eas non subscripsit. An modò supplere possit eam subscriptionem, non obstante, quod fuerit ab Officio remotus? Videtur quod non, quia subscriptio authentica fit per manum publicam, & in tantum scriptura authenticatur, in quantum subscribitur ab habente auctoritatem approbandi illam, qui enim aliquid subscribit, dicitur confirmare, & approbare subscriptum, glos. v. Subscripserit, cap. Si quis *6.* de reb. Eccles. non alienan.

Concludendum tamen est ab exauthorizato posse subscribi omnes ordinationes, instrumenta, & alia scripta, à se, dum erat actu in officio, condita, & publicata partibus acceptantibus, vel non contradicentibus. Suadetur: Tum quia illa homo, qui antea erat Officialis, non subscribit vt officialis, sed supplet defectum commissum tempore officij. Tum quia per huiusmodi subscriptionem non dicitur, Ordinationem facere, sed iam factam ostendere pro foro externo. Tum quia ea subscriptio omnibus prodest, & nulli nocet. Demum Notarius priuatus exercitio Officij propter delictum in eo commissum, potest praeteritas rogationes antè condemnationem scriptas in publicam formam redigere, ex Doctoribus citatis à Rota vol. 1. Nouiss. decis. *769.* num. *16.* Ad rationem dubitandi dicitur, Scripturam, quae nondum valet, authenticari, & vires recipere per manum publicam, idest personam actu officialem, in casu autem nostro iam valebat Ordinatio, sed solum subscribitur, vt talis appareat in foro externo.

DECISIO CLXXXII.

An gratia absoluendi à reseruatis confirmata licentia audiendi Confessiones reuiuiscat?

DIctum fuit Decis. 180. finita licentia excipiendi Confessiones, suspendi gratiam super reseruatis factam, licet aliàs vlterius duraret. Modò dubitatur, an confirmatione licentiae reuiuiscat gratia, quae, vt accessorium extincta fuerat cum licentia eius principali?

Reuiuiscit, quia sicut destructo principali tollitur accessorium; ità à contrario, posito principali ponitur accessorium. Deindè gratia reseruationis duratura erat vsque ad finem anni, sed quia in suo esse, & vsu respiciebat licentiam, sine qua nullus validè absolui potest, ideò regulatur secundum illam. Insuper gratia non dicitur simpliciter extincta, sed tantum suspensa vsquè dum adueniat licentia, qua posita reuiuiscit gratia; illud enim axioma: *Quod semel extinctum est, non reuiuiscit.* Glos. v. contrahatur cap. Requiris 127. dist. 4. de consecr. intelligitur de vera abolitione, & extinctione, non verò de suspensione; neque de extinctione relatiua ad aliud, quo posito resurgit illud, quod ab ipso dependebat.

DECISIO CLXXXIII.

An licentia audiendi Confessiones ad beneplacitum duret post mortem concedentis?

Licentia concessa, *Ad beneplacitum Sedis*: vel: *Ad beneplacitum*, sine alio addito, durat post mortem concedentis, quia Sedes nunquam moritur, cap. Si gratiosè 5. de rescr. in 6. sicut neque beneplacitum simplicitèr prolatum, quia intelligitur de beneplacito ex parte dignitatis, & officij, non ex parte personæ, vt colligitur ex cit. cap. dum ibi textus ita loquitur. *Posses vsq; ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, huiusmodi gratia per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum omninò extinguitur, eo ipso expirat*. Ex quibus verbis apertè colligitur, non quodlibet beneplacitum expirare morte concedentis, sed beneplacitum qualificatum, & restrictum ad voluntatem concedentis, vndè beneplacitum simplicitèr acceptum debet referri ad Sedem, non ad personam. Huius sententiæ sunt Anton. Gabriel. tom. 2. tit. de præbend. concl. 1. §. 33. Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 8. quos in terminis citat Peyrin. ad constit. 2. Sixti IV. num. 43. Beneplacitum igitur qualificatum extinguitur morte concedentis, vt expresse dicitur in præcitato textu.

Dico, licentiã datam ad beneplacitum etiam qualificatum, & restrictum per pronomen durare post mortem concedentis, maximè respectu Regularium; suadetur; Tum quia non est propriè actus gratiæ, sed iustitiæ, cùm Sacerdotes approbentur in Confessarios, vel reprobentur ex iustitia examinis, textus autem præcitati capitis loquitur de concessis gratiosè, vt patet initio eius: *Si gratiosè*, &c. Tum quia pro Regularibus facit extrau. com. Intèr cunctas, de priuileg. vbi data licentia Sacerdotibus Regularibus audiendi Confessiones de beneplacito Episcoporum non extinguitur illorum morte. Tum quia idem docuit Clem. IV. Bulla incip. *Exigentibus*, apud Confect. pag. 15. illis verbis: *Vestris igitur supplicationibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt in huiusmodi casu possitis vti tamdiù liberè ea licentia, donec viduatis Ecclesijs prouisum fuerit de Pastore*. Loquitur absolutè de licentia non distinguendo intèr vnam, & alteram, ergò quæcumq; ea sit, non expirat morte concedentis. Vide quæ dico resol. 36. num. 38. & resolut. 70. initio fusè rem hanc tractaui, de qua latiùs Pasqualigus decis. 499.

DECISIO CLXXXIV.

An licentia excipiendi Confessiones expiret amoto Vicario Generali, qui eam concessit?

Procedit difficultas in sententia eorum, qui docent, licentiam excipiendi Confessiones concessam ad beneplacitum qualificatum pronomine, *Nostrum*, expirare morte concedentis, vel remotione eius ab officio, in alijs casibus, qui respiciunt beneplacitum Sedis, seu absolutum, aut Episcopi, certum est non expirare.

Per mortem naturalem, aut ciuilem non expirat licentia concessa à Vicario Generali ad suum proprium beneplacitum. Tum quia facit vnum tribunal

bunal cum Episcopo, & eius personam repræsentat, cap. 2. de consuetud. in 6. cap. Romana, de appellat. in 6. ac proindè non solius Vicarij beneplacitum est, sed etiam Episcopi, vtrique commune, consequenter cum per mortem Vicarij non moriatur Episcopus, sed è contrà mortuo Episcopo, cessat ipso iure potestas in Vicario, cap. vtroq; citato, Sbrozzius lib. 3. de Vicario Episc. q. 44 ita quod neq; cęptum negotium terminare potest ex allegatis per eumdem q. 45. ergò licentia excipiendi confessiones perseuerat morte Vicarij. Tum quia ea magis dicitur Episcopi, quàm Vicarij, cùm à Vicario exeat dependentèr ab Episcopo, cuius vices gerit, & quasi delegatus aliena vtitur iurisdictione. Tum quia approbatus ab Vicario censetur admissus ab Episcopo, à quo Vicarius dependet in sua potestatę.

DECISIO CLXXXV.

An pecunia, legata sine onere, distrahi possit in constructione, & reparatione ædificiorum?

TEstator reliquit Monasterio bis mille libras ab hæredibus soluendas, & in casu moræ voluit, vt singulis annis soluerent quinque pro quolibet centenario. Hæredes modò intendunt capitale legati in totum soluere Monasterio, & de facto exbursauerunt totam pecuniam. Quæritur, an hanc pecuniam Superior Monasterij possit expendere in reparatione ædificiorum, an verò debeat eam inuestire, vt indè recipiat annuos census, vt anteà faciebat? Supposito, quod huiusmodi legatū nullum habeat adiunctum onus, vt asseritur.

Dico, eam pecuniam insumi posse in reparatione ædificiorum, vel in extinguendis debitis, absq; periculo incurrendi pœnas latas in extrau. Ambitiosæ, & nouissimè confirmatas in Decreto S. Congreg. contrà Regulares alienantes sine licentia eiusdem sacræ Congregationis. Probatur; Tum quia in Extrau. & Decreto prohibetur tantum alienatio stabilium, & pretiosorum, sed pecunia etiam in magna quantitate non computatur intèr immobilia, seu mobilia pretiosa, ergò alienari potest absq; transgressione dictorum Extrau. & Decreti. Minor patet quò ad immobilia, intèr quæ in sententia omnium non computatur, cum sit res mobilis, non tamen pretiosa, quia illud est pretiosum, quod magno pretio æstimari potest, cuiusmodi non est pecunia, cum ipsa sit pretium non sui ipsius, sed aliarum rerum; neque seruando seruari potest cum vtilitate Monasterij, ex cap. Eijciens. dist. 88. inquit D. Chrisost. *Ex pecunia reposita nullum vsum capis;* & ipsius vsus est consumptio. Tum quia prohibetur alienatio præcisè earum rerum, quę iam sunt incorporata Conuentui, & à quo possidentur, Cap. Cum Apostolica, de his, quæ fiunt à Prælat. ibi: *Cum aliud sit alienare, quod possidetur ab Ecclesia:* sed Monasterium nunquam possedit illud legatum quò ad capitale, ergò si expendatur in ædificijs, non dicitur alienari. Tum quia ab initio poterat repudiari à Superiore, vt docet resolut. 27. q. 12. ergò à fortiori acceptatum implicari in reparatione ædificiorum. Tum quia magna summa pecuniæ destinata ad emptionem stabilium alienari potest,

secundum opinionem à me relatam Resolut.27. q.14. quia pecunia, vt suprà dictum fuit, non est quid pretiosum, nec seruando seruari potest, vt iterum probaui Resolut.126. num.2. ergò à fortiori distrahi potest non destinata. Tum quia in terminis nostris idem docet Peyrinus in suo Formul. lit.A.cap.11. nimirum pecuniam habitam cum onere implicandi in stabilia expendi posse in fabricatione alicuius domus absque metu alienationis, à fortiori Pater Guardianus potuit expendere pecunias sui legati in reparatione ædificiorum, cum ea nullum habeat adiunctum onus.

DECISIO CLXXXVI.

An Prior inuentarium conficiens per manum Notarij sit excommunicatus?

PAter Prior N. petijt à potestate laica Notarium cum duobus Laicis testibus præsentibus ad confectionem inuentarij omnium rerum, quæ reperiuntur in cella patris N. Quidam illi dixit, quod incurrit excommunicationem inflictam à Gregorio XIII. Bulla incip. *Quoniam nostro*, apud Confect. pag.235. contrà recurrentes ad tribunalia Laica; immò & in decimamquintam Bullæ Cœnæ, contrà trahentes Ecclesiasticos ad Laica tribunalia.

Respondeo, hunc casum petiti Notarij pro Confectione inuentarij nullatenus comprehendi sub prædictis Bullis, nam in ea Gregorij excommunicatio fertur contrà Religiosos de Obseruantia appellantes, & recurrentes ad tribunalia sæcularia in causa grauaminis; & in Bulla Cœnæ excommunicantur trahentes Ecclesiasticos ad forum Laicale; sed petitio Notarij, & per ipsum confectio inuentarij non sunt appellatio, neque tractio personæ Ecclesiasticæ ad forum sæculare, vt manifestum est viris doctis, & omnibus, ergò nullam incurrit pœnam. Præterea ea excommunicatio cum alijs pœnis adiunctis afficit tantum Minores de Obseruantia, vt clarum est, neque illud priuilegium cum suis pœnis communicabile est alijs Regularibus, vt probaui Resolut.32. num.11. Demum ex Laicis passim assumuntur Notarij etiam in causis criminalibus ipsorum Regularium, id enim à Summis Pontificibus non prohibetur, ergò à fortiori assumi possunt pro confectione inuẽtarij.

DECISIO CLXXXVII.

An excommunicatio, lata à iudice cum expressa intentione non excommunicandi, sit nulla?

DVbitatio locum non habet pro foro externo, quia lata præsumitur valere, cum exterius constet de eius promulgatione, & ignoretur negatiua mens Iudicis, cui nec credendum in hoc foro dicenti se non habuisse intentionem excommunicandi. Est igitur quæstio pro foro conscientiæ.

Dico, quod adhuc valet lata excommunicatio, non obstante negatiua intentione; quod probatur, Tum quia valor excommunicationis non pendet à formali intentione volendi illam promulgare, sicut pendent Sacramenta, quæ irrita sunt collata sine

In-

intentione, vt est definitum Sess.7. can.11. Sed statim ac iudex protulit verba necessaria ad ponendum illam in esse, valet, & sortitur suumq; effectum, & secum trahit exequutionem gloss. v. cum exequutionem, cap. Pastoralis 53. de appellat. Tum quia factum est directè contrarium protestationi, vt notum est, ergò non releuatur protestans, sed prolatio censuræ suum sortitur effectum, factum enim fortius est, & efficacius, quam intentio non faciendi, cum hæc ab illo destruatur. Tum quia ferens excommunicationem scit, se illam fulminare, ergò voluntariè illam promulgat, nam voluntarium, secundum Philosophum, est in agente cognoscente singula, in quibus est actio. Tum quia licet actus agentium non operentur vltrà eorum intentionem, ex vulgatis iuribus; tamen locum non habet, quandò factum directè aduersatur intentioni, cum illam destruat, & factum remaneat; & in casu præsenti, illud axioma verificatur in eo, quod iudex ferens excommunicationem potest aliquos eximere ab hac censura, vel ex propria intentione, data causa, vel ad petitionem eius, qui monitorium impetrauit, ex Nau. cap.27. num.14. Lazar. sect.1. de Monitor. q.20. nu.4. & 6. Graff. tom.1. consil.9. de sent. excom. num.4. vbi num.5. subiungit, non debere Iudices excommunicare ad terrorem, ex Alfonso de Castro lib.1. de lege pen. cap.5. docum.4. ea ratione, quia cogitantes subditi, se esse excommunicatos, peccant mortaliter. Sed melius dic, Iudices non debere id facere, quia ipsi peccant abutendo censura, quæ non nisi seriò ferenda est, vt peccator eius timorè ductus obediat Superiori.

Megalius lib.1. de censur. c.3. n.72. dicit, inferendis censuris requiri prælatum, intentionem prælati, iuxta causam, & personam, quæ sit liganda; rationem reddit num.73. cur requiratur intentio, quia cum in illis ferendis sit pœnitus necessaria potestas, hæc exire non potest in actum, nisi velit is, qui eam habet. Præterea cum actio excommunicandi sit humana, necessariò facienda est cum intentione faciendi illam, alioquin non esset actio humana, sed casualis, & fortuita. Responsio est, sufficit, quod sit humana in quantum promulgatio censuræ sit voluntariè ab habente vsum rationis; prætérquamquod in casu nostro duo spectantur actus, quorum vnus est negatiua intentio excommunicandi, alter actus fatalis, quo in effectu promulgatur excommunicatio, & cum is sit fortior perimit priorem, consequenter actio censurandi non est sine actu humano, qui dicitur talis secundum factum, & secundum voluntatem, quia non coactè, sed voluntariè fert excommunicationem Iudex.

DECISIO CLXXXVIII.

An superior Regularis teneatur inquirere, an in libraria Conuentus sint libri prohibiti?

Tenetur ex Officio Superioritatis id videre, quia similes libri apud Regulares retineri, nec ab illis legi possunt sine licentia Apostolica, & eos repertos consignare Inquisitori loci. Negligentes tamen id facere nullas incurrunt pœnas, quia nullo iure

iure pœnali id statuitur, nisi ratione retentionis, aut lectionis, iuxtà Bullam Cœnæ excommun. prima, & Reg. 10. Indicis, in fine.

DECISIO CLXXXVIIII.

An via facta ad ornatum in agro Ecclesiæ dicat alienationem prohibitam?

QVidam Abbas Regularis agrum suæ Ecclesiæ diuisit in viam latam, & longam semimilliare, terminantem ad stratam, vt aiunt, magistram, hinc indè septam moronibus; pro eius constructione incidere mandauit quamplures arbores, tàm frugiferas, quàm infrugiferas, cum vitibus, quæ singulis annis reddebant circà tres currus vuarum. Hæc autem via, vulgo stradone, de priuata post decennium fit publica, & communis, ac proindè tunc sequitur illius alienatio, vsque modò transierunt septem anni. Difficultas est an iste Abbas inciderit in pœnas latas, in Extrau. *Ambitiosę*, & Decreto ampliatas contrà Regulares alienantes bona suarum Ecclesiarum? Ratio dubitandi est, quia frugifera incidens reus est huius Bullæ secundum omnes, Nauar. consil. 7. de reb. Eccles. non alien. Quaranta v. eod. num. 33. Rodr. tom. 1. q. 27. art. 4. Tamb. tom. 3. disp. 13. q. 3.

Videtur excusandus ab illis pœnis, quia ad eas incurrendas requiritur notabile damnum, quod excedat valorem vigintiquinque aureorum, ex Homb. vel. 2. consultat. part. 6. Resp. 58. Compend. Theatin. v. Alienatio, quos citat Diana, part. 4. tract. 4. resol. 223. vbi citat Castrum Palaum requirentem centum aureos, sed nimis laxat habenas; ex narratis autem in casu ea incisio non infert damnum illud, vt patet, ergò non est reus pœnarum. Preterea via illa adhuc est sub dominio Monasterij, cum nondùm præterierit decennium, vltrà quod fit via communis, & alienatur. Adhibeatur cautela, claudendo illam saltem ex vna parte, & securiùs ex vtroq; vt non recedat à dominio Monasterij, alitèr, &c.

DECISIO CXC.

An Superior locans sine consensu Conuentus incurrat pęnas contrà alienantes?

NEgatiuè respondendum, quia in Bulla: *Ambitiosæ:* neq; Decreto prohibetur præcisè id, neq; præscribitur locatio de consensu Conuentus, licèt aliundè id colligatur, nulla tamen pœna imponitur contrafacientibus.

DECISIO CXCI.

An per mensem hospitio recipiens amicum, vel consanguineos sit reus Bullæ de larg. mun.

NOn incurrit pœnas Clement. de largit. muner. quia receptio huiusmodi est actus hospitalitatis, non largitio munerum, & illa non prohibetur in Bulla, lege Vers. *Si quos verò ditiores*. Et quamvis ille Superior excesserit modum, retinendo illos in Monasterio per mensem, non ideò tamen incurrit pœnas huius Bullæ, sed tantum redarguendus est. Pœnæ contrà largientes munera sunt, vt obtentis di-

dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipso sit priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia, in futurum obtinenda inhabilis, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia existat notatus, & præterea vocis vtriusq; priuationem absq; vllo Superioris Decreto, ac ministerio ipso facto incurrat, & insuper tamquam contra furti, & simoniæ criminum reum procedatur. Praxis se habet, vt incurrantur tantum post declarationem criminis.

DECISIO CXCII.

An iuuenis in suo habitu laicali habitare possit cum Nouitijs, donec induatur?

IVuenis cùm habitu sæculari impunè recipi potest intra Nouitiatum, & ibi morari cum Nouitijs, donec veniat tempus induendi illum habitu Religionis. Ratio est, quia nullibi id prohibetur in iure; quæ autem non inueniuntur prohibita permissa, & concessa dicuntur, cap. Omnis dist. 3. cap. Cùm apud 23. de sponsal. cap. Nuper 29. de sent. excom. iuncta gl. Non retinuit, vbi dicitur, quod concessum videtur, quod non est prohibitum, per l. Nec non, §. quod eis, ff. ex quibus causis maior. & in dubio concludendum est, actum esse permissum, & concessum, quandò non inuenitur expresse prohibitus, Anchar. consil. 344. Aymon. lib. 1. consil. 213. Menoch. lib. 1. præsumpt. q. 16. num. 2. Igitur cum non constet de prohibitione, licita fuit huiusmodi admissio, ac proinde impunibilis. Immò ea videtur multum rationabilis, & de mente Summi Pontificis Clem. VIII. qui in Institut. de Nouitijs, ita disposuit de his iuuenibus his verbis. *Prouideant quoq; vt omnes etiam recipiendi, priusquam ad habitum Regularem admittantur, ab ijs, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuq; Regulari, & alijs cuiusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligentèr instruantur.* Eccè, quod iuuenes, antequam recipiant habitum Religionis, instruendi sunt circa Regulam, & Constitutiones, quas professuri sunt, id autem alio meliori modo præstari non potest, quam eos in suo habitu etiam introducendo in Nouitiatum, hac enim ratione videntes, quæ aguntur à Nouitijs, meliùs, & perfectiùs addiscent, quæ sunt necessaria ad vitam Religiosam, magis enim mouent, & erudiunt exempla cum experientia, quàm verba. Neq; ideò à Papa prohibetur huiusmodi cohabitatio cum Nouitijs, conuersatio, & colloquutio cum iuuene volente habitum recipere, cùm vtriq; parti sit valdè vtilis, & conformis vitę Regulari. Prohibetur enim cohabitatio, conuersatio, & colloquutio extranei, quæ potest Nouitium retrahere à bono proposito inseruiendi Deo, qualis non est cohabitatio iuuenis cum animo ingrediendi, & inseruiendi Deo. Confirmantur prædicta, quia S. Benedictus pueros, & iuuenes recipiebat educandos in seruitute Dei, quamvis Monachi nõ essent, ex Reg. cap. 30. & 59. Et practicatur in multis Religionibus, quę iuuenes experiuntur per aliquod tempus cum habitu sęculari, & cum prudenti iudicio, si enim illi non placet vita Regularis, vel Religiosis displicent eius mores, sine dedecore re-

recedit non pœnitens facti, quia nondum habitum recepit, & pro illo facit axioma ex cap.25. de iureiur. *Turpius eijcitur, quam non admittitur hospes*. Demum ratio videtur suadere, quod iuuenis iste sit recipiendus etiam cum suo habitu sæculari in loco Nouitiatus, per illam regulam l. Ex eo tempore ff. de testam. Accingendus habetur pro accincto, sic proximè induendus habitu Regulari habetur pro induto, & Nouitio, consequenter cum illis manere potest, immò, & debet, cũ eorum priuilegijs gaudeat, nam talis confiteri, & absolui potest à Magistro Nouitiorum, quamuis iste non sit approbatus ab Episcopo, de qua Graff. tom.2. conf.3. de Pœnit. num.10. Vecchius disp.9. de Nouitijs dub.1. Et ita tenendum est.

DECISIO CXCIII.

An Legatum dari possit puellæ existenti in vicinia, tantum ex industria?

PAulus suum condidit testamentum, & inter cætera præsens fecit Legatum sub his verbis conceptum. *Cum hoc onere, quod dictus N. teneatur singulo quolibet anno maritare vnam Damicellam honestæ famæ de vicinia S. Christophori prædicti eligendam per N. & per Capellanum eiusdem Viciniæ*. Nunc Argenis nobilis matrona accersit N. de vicinia S. Antonij ad habitandum apud se in domo sua per aliquot dies, vel etiam menses, ad hoc vt consequatur dictam dotem, qua consequuta puella remittitur in domum suam. Quæritur autem primò, an dicta puella sit capax huius legati, seu dotis? Secundò, an Argenis peccet sic faciendo, & an ad aliquid teneatur? Tertiò, an Capellanus consentiendo electioni prædictæ sit excusandus?

Primò respondetur, puellam non esse capacem illius dotis, quia ea danda est de mente testatoris Damicellæ de vicinia S. Christophori, de qua non est illa puella, quæ, licet tunc reperiatur in eadem vicinia, non ideò tamen dicitur de illa vicinia, sed adhuc dicitur de vicinia S. Antonij, tum quia vicinia, & Parochia ad hunc effectum tunc contrahitur, quandò quis incipit habitare, derelinquendo prius domicilium, Host. tit. de Pœnit. & remiss. num.44. ibi: *Si se transferunt animo perpetuò manendi, facti sunt Parochiani, aliàs, si non intendunt derelinquere domicilium antiquum, non possunt fateri absque licentia Parochi domicilij*, ergò à fortiori idem dicendum in casu nostro, nimirum, eam puellam non dici de vicinia, & Parochia S. Christophori, cum ibi non sit animo perpetuò habitandi, deserendo priorem habitationem, nam in domo matronæ moratur, non vt habitet, domiciliumque contrahat, vt notum est, sed ex industria ibi manet, vt lucretur dotem, consequenter dos est causa habitationis, non habitatio causa dotis, ac proindè capax non est huius dotis. Confirmatur ex cap. Is qui de sepult. in 6. vbi dicitur: *Qui habet domicilium in ciuitate, vel castro quandòque ad villam ruralem se transfert recreationis gratia, vel vt ruralia exerceat, si non electa sepultura decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali sepeliri debebit*. Existens ergo in villa recreationis gratia non efficitur

de

de vicinia villæ, ergò neque hæc puella efficitur de Parochia S. Christophori: Deindè habitatio casualis non inspicitur, sed destinata, l. Quæsita. §. fin. & l. si ita ff. de legat. 3. Insuper habitatio fraudulenta non est habitatio ad consecutionem alicuius finis; Nauar. consil. 1. de Paroch. talis est habitatio huius puellæ nimirum fraudulenta, & casualis, non destinata ad habitandum, sed ad lucrandum dotem, quam de iure consequi non potest. Quid simile habet Graff. tom. 2. consil. 1. de testam. diff. 3. dum concludis, Episcopum non posse nominare pauperem mulierem de diœcesi, quandò testator expressit, vt nominaretur de ciuitate, quia legatum strictam habet significationem, l. Si vnum ex familia, §. Si rem ff. de leg. 2. & nomine ciuitatis non comprehenditur diœcesis, vt de se patet, atque testatoris voluntas omnibus modis seruanda est, cap. Vltima 4. 13. q. 2. cap. Tua nobis 17. de testam.

Vt puella sit capax legati, seu dotis requiritur, quod eius parentes cum ipsa contraxerint domicilium in vicinia, & Parochia, de qua agitur in testamento testatoris, quod probatur ex eo, quod legata strictè sunt interpretanda ex citata lege, ergò nomen habitationis, seu domicilij sub tali vicinia intelligendum est de vero domicilio strictè accepto, quale est illud, quod contrahitur per actualem habitationem in loco cum animo ibidem perpetuò manendi, aut saltem sine expresso animo non manendi, gl. l. Ciues, C. de incolis vt Larem, Nau. consil. 4. de constitut. n. 4. Sanch. lib. 3. disp. 23. initio. Requiritur autem tale domicilium, quale necessarium est ad ordines recipiendos, consistens in actuali habitatione cum desertione prioris locis, & animo saltem virtuali perpetuò manendi in domo electa, seu conducta, ex locis citatis; & quale pariter requiritur ad Matrimonium, iuxta Sanch. lib. 3. disp. 23. vsu perpetua mansione, saltem virtuali, in loco de nouo electo ad habitandum.

Dicta puella tenetur acceptum legatum restituere ijs, à quibus illud accepit, tum quia illius incapax est, ex probatis; tum quia iniustè alienum retinet; tum quia, si acceptum causa non subsistente restituitur, c. 5. de donat. inter vir. l. 1. ff. de condit. ob causam, à fortiori, acceptum sine vllo Ordine ad causam, & primo iniustè sine vlla capacitate, & ius ad illud.

Secundò, & tertiò, Argenis, & Capellanus, præter peccatum mortale, tenentur ad restitutionem, procurando rehabere legatum solutum, quod tenentur tradere puellæ, quæ verè sit de vicinia S. Christophori, ab ipsis enim omnibus modis seruanda est mens testatoris, siquidem resarcire tenentur damnum illatum puellæ, quę aliquale ius habebat ad dotem legatam, fuerunt enim ambo in causa, ne solueretur vni ex puellis de Parochia secundum mentem testatoris, ex ijs, quæ tradit Lessius lib. 2. c. 12. dub. 18. Et puella non restituente, ambo tenentur in solidum.

DECISIO CXCIV.

An Christianus possit negotiare cum Iudæis?

Quæritur, an licitum sit Christiano diuiti dare pecunias Hæbreo, vt illis

illis negotietur, & lucrum communitèr diuidatur, pereunte capitali ipsi Christiano? Item, an ex pecunijs ita lucratis, & acquisitis erigi possit banchus fęneraticius?

Primum licet, non secundum, illud probatur, quia Catholico iure prohibitum non est negotiari cum Iudęis, nam in tit. de Iudęis id non inuenitur interdictum, sed solum quod non possint admitti ad officia publica, cap. Cum sit 16. cap. Ex speciali 18. de iud. Vide Sanch. lib. 2. cap. 31. num. 23. quod autem non reperitur expressè prohibitum, censetur permissum, cap. Sunt nonnulli 25. 16. q. 1. cap. Iam nunc 7. 28. q. 1. consequentèr licitum est negotiari cum Iudęis. Secundum vti illicitum Christiano satis per se notum est, quia ex communi Doctorum opinione banchi fęneraticij omni iure sunt prohibiti, cap. Super 4. de vsur. cap. Post miserabilem 12. cap. Quanto 18. eod. in quibus locis compellantur Iudęi ad restitutionem vsurarum, igitur Christianus cum Iudęo negotiari non potest circa illos contractus, qui vsurarij sunt.

DECISIO CXCV.

An Princeps exigat tributum ex bancho Iudęorum?

POtest super banchum fęneratitium imponi gabella Principi soluenda; constat ex eo, quod in his rationem fænoris oportet spectari ratione excessus, non ratione fructus modici, quem etiam Christiani percipiunt ex suis banchis pro oneribus, & expensis ipsius banchi; itaq; Princeps petit tributum non ex fænore, sed ex fructu licito. Confirmatur id, quia decimas, & oblationes Iudęi tenentur dare Ecclesiæ de suis prædijs, cap. De terris 16. de Decim. cap. Quanto 18. de vsur. ergò, & de banchis suis tributum suo Principi respectiuè ad fructus licitos, non ad fænus. Deindè nonnulli Principes imponunt datia super meretricium, ergò & super banchum fæneraticium. Sed reuera contrarium est dicendum, quia vsurę restituendę sunt, aut proprijs dominis, si sciuntur, aut Ecclesiæ, & pauperibus, si patroni ignorantur, vt colligitur ex citatis iuribus. Quare Princeps nihil ex illis exigere potest, sicut imponere gabellam super meretrices, quia istæ iustè recipiunt mercedem locati corporis, non verò vsurarius iustè recipit fænus, sed contra iustitiam. Ex prædialibus debent decimas, quia iustè ex suis prædijs percipiunt fructus.

DECISIO CXCVI.

An famulus sibi retinere possit magnam quantitatem pecuniæ oretenus promissam?

FAmulus quidam sæpiùs audiuit à Domino suo, esto fidelis, & ne me deseras, quia volo facere te diuitem, in extremo vitæ meæ tui recordabor, relinquam te commodum. Accidit mors Domini, qui testamentum non confecit. Famulus verò magnam pecuniæ quantitatem abscondit, dum in extremis laborat Dominus, & post illius mortem sibi eam accipit; an tutus sit in conscientia?

Vtique tutus est. Tum quia illa expressa voluntas reliquendi commodum præfatum famulum serius repetita

petita æquiualet testamento scripto, à quo institutus suus legatarius habet ius post mortem testatoris, ergò dictus famulus tutus est in conscientia. Tum quia testamentum scriptum facit tantùm pro foro externo, vt constet de dispositione fauore instituti, & legatariorum, ergò pro foro conscientiæ sufficit nuda voluntas declarata. Tum quia vltima voluntas etiam sine scriptura valet pro foro conscientiæ, l. in ipsius C. famil. ercisc. Demum id colligitur ex Nau. consil. 1. de testam. num. 1. vbi ait, retineri posse tuta conscientia relictum sine scriptis ore tenus. Nec dicas, aliud esse velle relinquere, aliud reuera relinquere, siquidem illud declarat voluntatem disponendi, istud verò indicat actualem dispositionem, hoc dat ius ad recipiendum, & retinendum, non illud. Quia respondeo, voluntatem expressam, & sæpiùs repetitam in ordine ad testamentum conincidere cum testamento in foro conscientiæ, nam testamentum est vltimæ voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri voluit, l. 1. ff. de testam. Gloss. Instit. de testam. sed dictus Dominus sæpiùs voluit, vt de eius bonis acciperet famulus post mortem in tanta quantitate, vt commodè posset se sustentare, ergò ea voluntas pro testamento reputanda est. Ita respondeo post factum, alitèr dicerem antè factum ad euitandum periculum peccati, sed quoniam famulus petijt consilium post receptam pecuniam, ideò sustineri potest vti iustus detentor ob enixam voluntatem sui Heri, maximè cum defunctus successorem non habeat singularem, & necessarium. In hanc partem inclino quidem, sed cum magna formidine, quod non subsistat, ideò meliùs, & tutiùs est, vt consulas amico ad restitutionem.

DECISIO CXCVII.

De legato relicto puellis natis, & habitantibus in Parochia Testatoris.

QVidam Testator legauit his verbis. *Cum onere, quod singulo anno nominentur, & eligantur quatuor puellæ nubiles natæ, & habitantes in dicta vicinia, per Reuerendum Capellanum, Primicerium, & Massarium pro tempore dictæ Viciniæ, & nominatio dictarum puellarum spectet, & pertineat ad Primicerium, admissio autem, & electio ad ipsos Reuerendum Capellanum, Primicerium, & Massarium pro tempore; & in casu eorum discordiæ, ad duos ipsorum, qui concordes fuerint; & si casus euenerit, quod vno anno non extarent quatuor puellæ nubiles in dicta Vicinia, pro dicta electione facienda, eligantur, quæ extiterint, & sequenti, vel alio anno plures eligantur arbitrio Dominorum deputatorum, vt suprà, & suppleatur pro illis, quæ anno præcedenti non fuerint electæ.* Super dicta verba

Quæritur primò, an puella non nata, sed tamen habitans, vel è contra nata quidem, sed non habitans, capax sit huius legati? Secundò, an illud verbum, *Extiterint*, extendatur etiam ad non nubiles? Tertiò, quid importet illud verbum, *arbitrio*? Quartò, an tolerabilis sit vsus, quo hactenus legatum huiusmodi datum fuit puellis habitantibus tantum, vt lucrentur legatum, per quindecim dies, aut per mensem, redeuntibus posteà ad proprios lares? Quintò, an si id fieri nequeat, su-

supradicti Electores teneantur ad restitutionem?

Primò respondetur, puellam non esse capacem dicti legati, nisi in ea concurrant illæ duæ conditiones, & quod nata sit in Parochia, & quod simul ibidem inhabitet, quandò eligitur ad legatum capiendum, quod probatur. Tum quia voluntas testatoris omnibus modis seruanda est, cap. Vltima 4.13. q.2. cap. Indicante 4. de testam. vbi dicitur, quod voluntas testatoris per omnia seruari debet, dicit textus, omnibus modis, & per omnia, ergò legatum hoc dari non potest puellis, nisi illæ natæ sint, & simul etiam habitent in designata vicinia, aliter, si daretur legatum puellis tantum natis, sed non habitantibus, aut habitantibus solum, & non natis, vtique non seruaretur in omnibus voluntas testatoris. Tum quia c.1. de testam. in 6. Substitutio fideicommissaria non habet locum, nisi verificata copula vtriusque, de quo ibidem illis verbis: *Si vtrumque sine liberis mori contingeret*. Sic in casu nostro; locum non habet legatum in puellis, nisi vtrumque concurrat, locus scilicet originis, & habitationis simul. Tum quia satis tritum est illud axioma, quod copulatiua requirit vtriusque existentiam, vt dispositio operetur suum effectum, l. Si hæredi ff. de condit. instit. l. Si quis 129. ff. de verbor. obligat. in terminis Alex. consil. 294. num. 2. vbi ait, quod in vltimis voluntatibus, vt dispositio locum habeat, debent copulata simul concurrere, & de hac re non est dubitandum, maximè cum verba Testatoris superius allata sint clara ibi: *Natæ, & habitantes*.

Secundò, verbum illud *extiterint* refertur præcisè ad puellas nubiles; Tum quia de illis solis in testamento fit mentio. Tum quia, vt expressè ibi dicitur, quandò in aliquo anno non inueniuntur simul quatuor puellę nubiles, maritantur tantum illæ duæ, vel tres, quæ sunt nubiles, & sequenti anno suppletur defectus, vt clarè dicitur ibi: *Si non extarent quatuor puellæ nubiles in dicta Vicinia pro dicta electione facienda, eligantur quæ extiterint*. Idest illæ, quæ eo anno sunt nubiles, nam relatiuum quæ refertur ad præcedentia, consequenter ad puellas non quascumque; sed puellas nubiles; neque in hoc aliqua est difficultas facienda, quia testatoris verba sunt satis clara. Quare si hoc anno inueniuntur, tantum duæ puellæ e.g. nubiles, sequenti anno, vel alio, dentur aliæ duæ, ita quod nunquam illa quatuor legata sunt prætermittenda, sed semper supplenda eo tempore, & anno, quo inuenientur puellæ nubiles.

Tertiò dictio illa, *Arbitrio*, importat arbitrium boni viri in exequutione vltimæ voluntatis testatoris, l.1.ff. de legat.2. l. fin. §. Sed & si quis C. comm. de legat. Socin. vol.1. consil. 92. num.11. Afflict. decis. 371. num.10. Quarè Deputati in eo testamento vti boni viri, ita se gerere debent, vt si hoc anno non reperiuntur quatuor puellę nubiles natæ, & habitantes actu in dicta Vicinia, sequenti anno, vel alio anno, præter quatuor puellas sequenti anno maritandas dent legatum alijs, quæ non extabant præcedenti anno nubiles, ita quod numerus illarum quatuor puellarum nubilium nunquam omittendus est, sed resumendus sequenti anno, ita quod differendum non est ad tertium annum,

quan-

quandocumq; reperiuntur puellæ nubiles natæ semper, & habitantes in dicta vicinia, dicit enim testator: *Sequenti, vel alio* anno, idest tertio anno, & vlterius minimè, ita enim interpretanda est illa dictio *Arbitrio*. Bonus enim vir ita facere debet de alienis, quod faceret de suis proprijs, Decius in l. In personam, §. Generaliter ff. de reg. iur. Bartol. in l. 1. ff. de solut. col. 2. Marta de Clauf. part. 3. clauf. 2. num. 4. sed quisque siue bonus, siue malus cupit sibi quamprimum prouideri, ergò idem faciendum respectu proximi.

Quartò, puella, non solum alienæ Parochiæ quò ad habitationem, verum etiam dictæ Viciniæ quò ad originem, sed extra habitans, incapax est dictæ dotis, vt primo loco probatum fuit; sed etiam illa, quæ licet sit nata ibidem, actu tamen non habitat, & formaliter, sed tantum occasionaliter, & ea intentione, vt legatum lucretur, quod probatur, Tum quia ita probaui supra sub Decis. 193. Tum quia in cap. fin. de verbor. signif. in 6. dicitur, quod Episcopi possunt conferre beneficia Clericis suis familiaribus, & commensalibus, qui tales sint ex se sine fraude, & fictione, idest non recepti per breue tempus præcisè, vt illis conferant beneficia, ibi: *Qui per se non quæsiui propterea, vel recepti, sine fraude, & fictione*, nam isti non sunt verè familiares Episcopi capaces beneficiorum, vndè Trident. vt obuiam iret huiusmodi fraudibus decreuit sess. 23. c. 9. Episcopum familiarem suum non subditum ordinare non posse, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude cessante statim re ipsa conferre posse. Ita in casu nostro intelligenda est mens testatoris, vt puella non ex industria, fraude, aut fictione per aliquod tempus maneat in Vicinia, ea tantum intentione, vt lucretur legatum; sicut enim leges, quantum possunt, fraudibus occurrunt, ita semper Testatorum mens est, ne eorum vltimæ voluntates dolis, fraudibus, & fictionibus exequantur, siquidem mens testatoris pro lege habenda est, & ad modum legis seruanda est, §. Disponat, Authent. de Nupt. vndè testatoris mens semper præsumitur conformis cum dispositione iuris, Doct. in l. Hæredes mei §. Cum ita st. ad senat. consult. Trebell.

Ex his deducitur, esse abusum, & peccatum mortale horum deputatorum, quandocumque eligunt puellas carentes prædictis conditionibus, quia in re graui, & contra iustitiam distributiuam faciunt contrà expressam mentem testatoris, isti enim peccant mortaliter secundum Abbat. in repet. cap. Cum esses, de testam. nu. 7. Cephal. consil. 624. num. 17. Bonac. disp. 3. de contr. q. 1. p. 3. num. 6. apud Ciarlin. cap. 33. nu. 28.

Quintò demum supradicti deputati, & electores tenentur ad restitutionem damnorum illatorum puellis nubilibus natis, & habitantibus in dicta vicinia, quibus capacibus legatum non fuit datum, ex ijs, quæ dixi præcitata decis. 193. in fine; & infra Decis. 374.

(∴)

DE-

DECISIO CXCVIII.

An concionaturus absente Episcopo satisfaciat petendo licentiam, & benedictionem à Metropolitano?

IN Tridentino sess.5.cap.2. Regulares de licentia suorum Superiorum non possunt prædicare in Ecclesijs extraneis, nisi cum licentia, & benedictione Episcopi; in proprijs verò sufficit petere benedictionem ab Episcopo. In sess. autem 24. cap. 4. dicitur, quòd in suis etiam Ecclesijs non prædicent, contradicente Episcopo, quandò nimirùm vult ipse prædicare, iuxtà à me dicta resolut.7.à num.15. ad 22. Vide Cespedem de exempt. Regul. dub. 204.

Dico, absente Episcopo, Concionatorem posse benedictionem petere ab eius Metropolitano, nam Archiepiscopus potest compellere Regulares negligentes ad prædicandum in Ecclesijs Parochialibus sibi subiectis existentibus in nulla diœcesi, ergò, & darè benedictionem, quod est quid minus, volentibus prædicare in suis Ecclesijs, aut extraneis, absente Episcopo. Deindè per cap. Tuarum, de priuileg. Metropolitanus potest per totam Prouinciam suam officium prædicationis interdicere aliquibus, ergò & alijs concedere facultatem, & benedictionem. Prætereà potest benedicere populo etiam solemnitèr per totam Prouinciam, Clem. Archiepiscopo, de priuileg. ergò & Concionatorem. Et ita audiui fecisse quemdam Archiepiscopum respectu certi suffraganei multum distantis, & per longum tempus absentis à suo Episcopatu ex dignis respectibus. Præsente Episcopo, seu etiam eius Vicario Generali non expedit accedere ad Metropolitanum, quia ordo confunditur, si vnicuiq; propria iurisdictio non seruatur, cap. Peruenit 36. 11. q. 1. Cautus autem sit prædicator, petendo illam, immò & licentiam, si opus erit, per publicum instrumentum.

DECISIO CXCIX.

An Benedictio ab Episcopo denegata Prædicatori habeatur pro obtenta?

QVidam Concionator petijt benedictionem ad prædicandum, Episcopus noluit dare, remittendo illum ad suum Vicarium Generalem, qui non poterat residere in Ciuitate, neq; in diœcesi; potest nihilominus concionari, ex illa communi regula. Licentia iustè petita habetur pro obtenta, licet denegata, cap. Licet, de Regul. Ita habetur ex quodam Breui Vrbani VIII. illis verbis. *Cum in alijs Ecclesijs sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licèt non obtenta*, apud Barbosam sess. 24. ad cap. 4. num.23. extenditur à Tambur. tom. 2. disp. 6. q.12. Ego idem docui resol.7.num.15. & 21. §. Difficultas. Confirmatur id in speciali casu, quia benedictio Vicarij non erat profutura, cum non ab omnibus recognoscatur.

DECISIO CC.

An Capucinus, ex quo non potest esse executor testamenti, possit habitum nominare?

CErtum est ex Clementina Exiui, de verb. signif. Fratres Minores,

quo

quo nominè hic veniunt tantum illi de Obseruantia, seu Reformati, & Capucini, non posse esse executores testamentorum, propter duas rationes in ea Clem. expressas, & quia pro se, neq; pro alijs Fratres Minores possunt contrectare pecuniam, vel quid aliud proprietatis; & quia in iudicio experiri non possunt, neq; vocari; quæ duo in exequutore testamentario, vt plurimum, necessaria sunt. Quare Capucinus institutus exequutor ab aliquo testatore etiam consanguineo, id acceptare non potest, cum sit incapax, & contrà leges dictæ Clementinæ, nemo enim facere potest, quod in testamento suo leges locum habere non possint, l. Nemo, ff. de legat. 1. cap. Requisisti 15. de testam.

Sed numquid in hoc casu poterit Capucinus nominare exequutorē, ex quo ipse est nominatus, & non potest exequi voluntatem expressam testatoris? Poterit, propter magnam confidentiam, quam habet in Religiosum, neq; enim hoc prohibetur in Clementina, neq; ex nominatione sequitur aliqua contrectatio pecuniæ, aut experimentum in iudicio. Confirmatur id, quia si testator sciuisset, se non posse eligere Capucinum in exequutorem sui testamenti, sine dubio dedisset ei facultatem nominandi personam idoneam ad id, propter confidentiam in eius persona. Id est multum probabile, ac proindè valebit nominatio exequutoris, quandò contraria pars non se opponet, ad quod videtur habere ius, quia in testamento constat tantùm de electo exequutore, non autem de illius nominatione facienda à Capucino ex eo, quod non potest ipse esse exequutor.

Cæteri verò Religiosi, tàm nō Mendicantium, quam Mendicantium, etiā Conuentuales, & Tertiarij possunt eligi à testatoribus executores suorum testamentorum, quia istis non obstant adductæ rationes, siquidem cęteri omnes contrectare possunt, & stare in iudicio, cum licentia tamen petita, & obtenta à suis Superioribus, cap. fin. de testam. in 6. Vide Sanch. lib. 6. c. 11.

DECISIO CCI.

An Guardianus Capucinorum sine licentia sui Superioris possit nominare exequutorem in testamento?

SVpponitur testatorem demandasse in suo testamento nominationem exequutoris, eo ipso, quod non potest esse exequutor dictus P. Guardianus, ex dictis in præcedenti Decisione; neq; dubitandum est de valore huius demandationis, quia id fieri potest à testatore, cùm aliud sit instituere Capucinum exequutorem testamenti, quod prohibetur in Clem. Exiui, de verb. signif. aliud verò eidem demandare nominationem exequutoris, quod nullibi prohibetur; neq; in Regula §. Francisci, aut Constitutionibus Capucinorum, neque iure communi, & ita docet Rodr. tom. 3. q. 70. art. 8. quem cum alijs pro se citat Sanch. lib. 6. cap. 11. num. 41. & cessant rationes, quæ faciunt contrà exequutorem, quia per nominationem pecunias non contrectat, neq; in iudicio vocatur, aut abstrahitur à Dei seruitio, sed per hoc seruit Deo, qui procurat, vt adimpleatur mens testatoris. Hoc supposito.

Pro-

Probatur, Guardianum non indigere licentia sui Prouincialis ad nominandum exequutorem, ex illa communi regula, quod Superior seipsum valet licentiare ad omnes illos actus, ad quos licentiare potest suos subditos, ex D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 8. alios Sanch. lib. 8. disp. 3. num. 1. neque enim debet esse peioris conditionis, quàm sint subditi. Sed Guardianus potest licentiare suum subditum ad exequendam mentem testatoris, ex cap. 2. de testam. in 6. vt docent omnes, cum Sanch. lib. 6. cap. 11. num. 15. ergò, & seipsum. Immò crederem ad puram nominationem nullam requiri licentiam, quia is est actus meræ executionis voluntatis testatoris, nullam inuoluens proprietatem, aut illius suspicionem, est enim actus potius intellectus, quam voluntatis.

DECISIO CCII.

Quomodo Pœnitentiæ dicuntur arbitrariæ?

NVmquid Confessarius pro centum mortalibus potest imponere vnicum Pater noster? aut è contrà pro vnico veniali ieiunium vnius diei?

Pœnitentiæ dicuntur arbitrariæ relatiuè ad pœnitentias Sacrorum Canonum, quæ antiquitus nonnullis peccatis grauioribus determinatæ imponebantur delinquentibus, quatenus hisce nostris temporibus Confessarij non tenentur illas iniungere suis pœnitentibus, & cum neque aliæ sint determinatæ, dicuntur esse in arbitrio Confessariorum, vt dixit D. Hieron. relatus cap. Mensuram 86. dist. 1. de Pœnit. illis verbis: ***Non satis apertè præfigunt Canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt.*** Vide Fabrum de Pœnit. disp. 35. cap. 9.

Arbitrium autem non est, nisi sit boni viri, qualis in primis debet esse Confessarius, ac proindè regulatum à iure, vndè Tridentinum in hac re sess. 14. cap. 8. Ita loquitur. ***Debent ergò Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & Indulgentias cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*** Manifestum ex his est, leuissimam pœnitentiam pro peccatis grauissimis imponere esse peccatum mortale. Quare pro vna carnali copula imponere vnum Pater, seu Miserere, est peccatum Confessarij. Grauem verò pro leuibus peccatis imponere, peccatum non est, sed vtile pœnitenti, ideò si velit acceptare, laudabitur eius humilitas, & patientia. Pœnitentiæ igitur arbitrariæ sunt, quatenus non sunt determinatæ singulis peccatis, ac proindè respectiuè ad materiam satisfactionis, non autem relatiuè ad Confessarium, qui non pro suo arbitratu, sed regulatè pœnitentias imponere debet iuxtà grauitatem delicti, & personæ conditionem.

DE-

DECISIO CCIII.

An Theatini possint absoluere à reseruatis Papæ.

Est certum, non posse absoluere à reseruatis in Bulla Cœnæ, quia per eam singulis annis derogatur priuilegijs Regularium, quod clarum est, & manifestè patet ex Declaratione Sacræ Congreg. de mandato Sanctissimi, extensa apud Tambur. tom. 2. disp. 14. q. 15. ita quod de hac re dubitandum non est. Ab alijs verò eidem Papæ reseruatis, qui sunt quinq; violationis immunitatis Ecclesiæ; violationis clausuræ Monialium, prouocantium in duello; inijcientium manus violentas in Clericum; & simoniæ realis, & confidentiæ in beneficijs ex Decreto S. Congregat. de mandato Clem. VIII. apud Quar. v. Casus reseruati, licet non poterant absoluere ex dicto Decreto, modò præfati Theatini per Bullam Gregorij XV. incip. *In Apostolicæ Sedis*, quæ eorum priuilegia, siue eisdem primò cōcessa, siue per communicationem extensa, confirmat in forma specifica sine vlla restrictione, possunt absoluere à prædictis quinque casibus Papæ reseruatis; Ratio huius est duplex; prima, quia confirmatio in forma specifica reualidat priuilegia aliàs reuocata, ex Doctoribus à me citatis Resolut. 52. q. 20. immò probaui ibidem sub num. 308. q. 50. priuilegia reuocata aliàs, sed restituta per specificam confirmationem, non intelligi sublata per similem clausulam: *Modò non sint reuocata*, quia intelligitur hæc clausula de reuocatis sine vlla restitutione, nam priuilegium aliàs reuocatum, sed postea vtrumque reualidatum, non amplius continetur sub reuocatis, nec tale nomen meretur. Secunda desumitur ex præcitato S. Congr. Decreto ex illis verbis. *Ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem illam extrà Italiam minimè sublatam fuisse*. Non obstat particula, *Extrà Italiam*, quia refertur ad dictum Decretum Clem. VIII. de quinque casibus, & facit hunc sensum. Regulares habentes priuilegia absoluendi à reseruatis Papæ extrà Bullam Cœnæ, existentes extrà Italiam, benè absoluere possunt, quia illos non afficit Decretum Clementis VIII. quod loquitur tantum contra Confessarios Regulares intra Italiam; sed quoniam hoc Decretum derogans priuilegijs absoluendi à reseruatis Papæ intrà Italiam non ampliùs subsistit, cum restituta fuerint priuilegia absoluendi à Gregorio XV. vt vidimus, ideò benè possunt modò Confessarij Theatinorum absoluere pœnitentes ad se accedentes respectu illorum quinque casuum.

Dices, confirmatio prædicta fauore Theatinorum restringitur ad omnia priuilegia principalitèr, siue per communicationem illis indulta, quatenus talia sunt formalitèr; priuilegia autem absoluendi à reseruatis non ampliùs priuilegia sunt, cum per reuocationem præfati Decreti desierint esse in rerum natura, ergò priuilegia, quæ per Gregorium XV. fuerunt confirmata, sunt tantum aliàs non reuocata. Respondetur, venire etiam aliàs reuocata, alitèr confirmatio in forma specifica nihil operaretur præter confirmationem in forma com-

muni contrà sanam Doctrinam omnium, qui docent, per confirmationem specificam priuilegia inualida, & etiam aliàs reuocata conualidari, & restitui in esse, non autem confirmata per communem confirmationem, vt docent Portellus v. Priuileg. confirm. num.33. Tambur. tom.2. disput.2. q.17. num.3. & 4. Peyr. ad constit.4. Iulij II. num.11. & 12. Sigism. dub.76. nu.7. de elect. Vecchius disp.9. de Nouitijs dub.13. nu.5. Confirmatur ex tenore eiusdem priuilegij Theatinorum, in quo priuilegia non solum confirmantur ex certa scientia, sed etiam *ea omnia, & singula* inquit Papa, *innouamus, ac de nouo etiam concedimus*. Et loquitur de priuilegijs concessis ab omnibus suis prædecessoribus, quorum tenores præsentibus pro expressis intendit habere, & apponit clausulam derogatoriam derogatoriarum. Prædicta intellige, cum grano salis practicari posse, nisi per subsequentes Pontifices Vrbanum VIII. & Innocentium X. non fuerint reuocata, de quo mihi non constat; neque censentur reuocata, si in noua cõfirmatione addatur clausula. *Dummodò sub aliqua reuocatione*, &c. quia hoc ipso, quod fuerunt reualidata, & restituta per supradictam confirmationem, non possunt venire sub ea clausula formalitèr intelligenda de illis priuilegijs, quæ actu existunt reuocata, dum fit confirmatio priuilegiorum sub ea clausula. Prædicta locum habent respectu omnium Regularium participantium priuilegia Theatinorum, & modò sunt omnes Religiones habentes communicationem præteritorum, & futurorum priuilegiorum.

DECISIO CCIV.

An statutum Synodale de non gestandis candelis accensis in funeralibus teneat?

NVllum est, cum sit contrà pietatem, contrà vsum antiquissimum Religionis Christianæ, & contrà Rituale Romanum Pauli V. in titulo de Exequijs, illis verbis. *Cum autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequijs, & funeribus deferre, caueant item ne eiusmodi ritus omittatur, aut ne quid auarè, aut indignè in eo committatur*. Non solùm intelligitur de cereis accensis circà cadauer, dum effertur, sed etiam de candelis, quæ ad manus dantur Clericis processionibus in funere incedentibus, vt colligitur ex ea clausula: *Aut ne quid auarè*. Ad quid enim dantur? nisi vt accendantur? ad significandum animas defunctorum viuere, & ad abolendam omnem indebitæ auiditatis suspicionem, inquit Synodus nouissima Lunensis Satzanensis fol.176. §. Nullus. De gestatione harum candelarum Benedictus XI. in extrau. com. *Inter cunctas*, de priuilegijs testatur, ac proindè fuisse in vsu antè annum 1300.

Quidam Episcopus in Synodo statuere oppositum, vt non deferrentur accensæ, decreuerat, ea ratione, vt processio funebris distingueretur à processione Corporis Christi, in qua à singulis Christi fidelibus deferuntur cerei accensi, quod videtur incongruum respectu cadauerum. Sed id non vrget, cum splendor luminis etiam homini communis sit, & Christus non dedignetur, similem ritum creaturis suis tribui, in quibus laudatur.

DE-

DECISIO CCV.

An non obligatus interesse Choro, Synodali statuto cogi possit?

IN Cathedrali pretèr Canonicos, & Mansionarios, qui tenentur residere, reperiuntur nonnulli Sacerdotes beneficijs carentes, vndè Manuales vocãtur, qui, dum intersunt, lucrantur certas distributiones, si absunt, nihil acquirunt, nihil perdunt, quia hactenus non consueuerunt habere obligationem residendi, ad quam intendit Episcopus modò illos cogere.

Quod tamen facere non potest. *Primò*, quia talis consuetudo non residendi à Concilio Tridentino non reprobatur, sed approbatur sess. 21. ca. 3. illis verbis. *Saluis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non seruientes nihil, vel minus tertia parte non percipiunt*. Huius generis est consuetudo nostrorum Manualium, ergò Synodali statuto obligari non possunt. *Secundò*, Residentia est obligatio à iure inducta afficiens illos, quos afficit; sed nostros Manuales non afficit vsque modò, ergò neque in futurum, quia nullus potest inducere iuris obligationem, nisi aliàs persona, contrà quam inducitur, fuerit obligata de iure, arg. cap. Consuluisti 18. 2. q. 4. cap. Legatur 2. 24. q. 2. cap. 2. de translat. Episc. Nauar. tom. 2. in cap. Inter verba, concl. 6. num. 346. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 6. num. 225. quia huiusmodi inductio nihil aliud est, quàm antiqui iuris neglecti restitutio ad obseruantiam, sed nullum ius, nulla lex huiusmodi Manuales obligat ad residendum, ergò neq; cogi possunt. *Tertiò*, Synodus celebratur non ad inducenda noua statuta, sed ad corrigendos, & reformandos mores deprauatos, reducendo subditos ad obseruationem eorum, à quibus recesserant per deuiationem, ex dist. 18. per totam, Trident. sess. 24. c. 2. sess. 25. cap. 2. Modò isti Capellani non tenentur Choro interesse, nisi cùm ipsis libuerit, ergò non possunt cogi per Synodale statutum, quod tantùm corrigit, & inducit ad antiquam obligationem, quæ nulla est in istis. *Quartò*, obtinens beneficium simplex non tenetur ad residentiam ex communi omnium Doctorum stante consuetudine in toto orbe approbata, ex Panor. in cap. Extirpandæ, §. Qui verò, de præbend. num. 31. Mandos. in Reg. 1. Cancell. q. 13. num. 8. Tambur. tom. 1. disp. 14. q. 1. Ita quod cogi non potest ad residendum, vt declarauit S. Congr. apud Bonac. de resid. p. 3. num. 11. Riccius part. 1. resolut. 524. apud Parolettum de resid. §. Declaro 3. vbi ait posse recurri ad Metropolitanum; cum illis est Syluester v. Residentia, num. 5. ergò idem dicendum à fortiori de nostris Manualibus, qui carent beneficijs. Demùm neq; per non residentiam horum subtrahitur de cultu Dei, & Ecclesiæ, cùm à Dignitatibus, Canonicis, & alijs Præbendarijs sufficientèr inseruiatur. Immò si introduceretur residentia in his Manualibus, non ita honorificè cultus Dei in hac Ecclesia exerceretur, nam occasione Manualium Canonici, vt plurimum, se subtraherent à Diuinis obsequijs, relinquentes in officio Chori Manuales, ac fierent eorum serui in famulatu cultus Diuini.

DECISIO CCVI.

An prouisio Superioris procurata extrà Ordinem expediat?

SCio Summum Pontificem Romanum immediatè,& per se quemlibet virum Religiosum præficere posse in Superiorem in locum mortui, de hoc non dubito; sed difficultas est, an expediat procurare id extrà Ordinem? Dico, non expedire, quia habent remedium ordinarium intrà Religionem, ergò extraneo vti non debent. Deindè, aliquandò se se offerunt tales Religiosi, qui se ipsos gubernare nesciunt, scandalosi, inobseruantes, quomodò isti curam aliorum habere poterunt? Et quod peius est, modis illicitis,& manibus pendentibus ad se trahunt turpitèr aliorum voluntates. Quarè mirum non est, si Religiones relaxantur ab obseruantijs, & disciplinis Regularibus. Addo, ferè contrà omnes Religiosos procurantes per emendicatos, ne dicam, emptos fauores officia extrà Ordinem, adesse plures censuras.

DECISIO CCVII.

An post datam querelam administrator registrans partitam in libro rationum puniendus sit, vt dilapidator?

IN his non est præsumenda obliuio, quia de iure administrator debet esse diligens in rebus, & negotijs sibi commissis, alitèr tenetur etiam de leui culpa ad instar tutoris gl. v. negligentia, cap. Ea quæ 3. de off. Archid. per l. Si res pupilli C. de peric. tut. vel Curat. Quarè iuxtà negligentiam puniendus erit, non tamen, vt dilapidator, quia Monasterium ex hoc non damnificauit. Intellige, nisi sepiùs, & plures partitas omiserit, quia tunc remouendus est ab officio propter nimiam negligentiam, cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. iuncta gl. v. Negligens.

DECISIO CCVIII.

An Prouincialis extraneum Fratrem in sua Prouincia delinquentem punire possit?

POtest punire, tum quia ei factus est subditus ratione delicti, cap. Licet 20. de foro compet. Tum quia in omnibus Religionibus, hospites sunt subditi Superioris loci, vbi morantur. Ita Felin. in cap. A nobis il. 1. de sent. excom.

DECISIO CCVIV.

An Religio possit sibi Generalem eligere?

ILle ordo, qui institutus est sine Generali, illum sibi eligere non potest sine speciali licentia Sedis Apostolicæ; Tum quia videmus in omnibus Religionibus dari specialitèr à Papa; Tum quia noua dignitas maximè huius generis, quæ suprema est in Religione, introduci non potest sine speciali licentia Sedis Apostolicę, gl. 1. cap. Cum olim 6. de consuet. per iura ibi allegata, gl. 2. cap. fin. de relig. domib. Tum quia Generalis non est de essentia ordinis, Nauar. consil. 15. de regul. nu. 7. ergò in institutione, & approbatione

non

non datur à Papa, si de eo non fiat mentio in Regula. Neque ex eo, quod vna Natio e. g. Italica habet à Papa ius eligendi sibi Generalem, id extenditur ad aliam Nationem e. g. Gallicam, quia specialitates non communicantur, in quibus necessariæ est specialis prouisio.

DECISIO CCX.

An Episcopus eximere possit à iurisdictione sui Vicarij quosdam suos Clericos?

PRæsens potest, non autem absens, si per multum tempus absuturus est; illud probatur, quia sicut Episcopus potest limitare facultatem suo Vicario quò ad tales, vel tales causas, cum in exercitio suæ potestatis pendeat à voluntate Episcopi, ita & eximere aliquos Clericos à sua iurisdictione, valet enim argumentum à re ad personam, præterquamquòd Episcopus sibi reseruando hanc, vel illam causam, eximit personas incurrentes in easdem à iurisdictione Vicarij, cum nulla causa tractetur, nisi in persona subdita. Hoc verò, quod scilicet absente Episcopo, & non residente, Clericus eximi non possit, suadetur, quia absurdum est, Clericum nulli subesse, siquidem nec tunc subesset Episcopo, qui non ampliùs reuersurus est ad suum Episcopatum, maximè, quandò Vicarius est etiam Locumtenens, succedendo per hoc quasi in omnia iura Episcopalia quò ad iurisdictionem. Demùm exemptio non ita facilè concedenda est, sed solùm quandò constat de sæuitia, seu inimicitia Vicarij in Clericum, Ioan. Faber in §. Sed hoc tempore, Instit. de ijs, qui sunt sui iuris num. 7. Bald. in l. 2. cod. tit. num. 2. Roman. consil. 37. num. 1. Tambur. decis. 36. Cassador. decis. 6. de priuileg. Acchiles decis. 16. de priuileg.

DECISIO CCXI.

An Confessarij Regulares possint dispensare in votis?

POssunt in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, vt colligitur ex pluribus Bullis Pontificijs, Eugenij IV. Bulla incip. Etsi quælibet; XI. apud Rodr. eiusdem altera incip. Commissum nobis, & Sixti IV. seu potiùs Legati à latere incip. Exhibita 42. apud prædictum Rodriq. in quibus fit mentio de commutatione, & dispensatione votorum. Ita Compend. Theatin. v. Commutatio. Tamb. tom. 2. disp. 19. q. 7. & 8. Rodr. tom. 1. q. 63. Mirand. tom. 1. q. 48. art. 3. Prædictis obstat Lezana tom. 1. cap. 19. num. 22. dicens, allegatum priuilegium Eugenij obscurè loqui, de secundo sibi non constare, an sit Bulla, vel oraculum, & addi alias limitationes. Sed non legit Bullarium Rodriquez, in cuius Bullis non video eas restrictiones, neque obscuritates, sed omnia sint clara, & vnum priuilegium declaratur per aliud, si quod dubium occurrit. Nec obstat, quòd in Iubilęis non detur facultas dispensandi, sed tantùm commutandi, quia id est respectu Papæ reseruatorium.

(·.·)

DECISIO CCXII.

An Moniales teneantur casibus reseruatis, in quibus non exprimuntur?

SVbduntur casibus reseruatis suis Superioribus respectiuè; quod probatur. Tum quia per reseruationem immediatè restringitur potestas Confessariorum præscindendo à quocumque pœnitente, etiam non subdito reseruationi, ergò ex hoc capite parum refert, siue exprimantur, siue non. Tum quia reseruatio, vel fit in rem, vel in personam, quouis modò fiat, comprehendit etiam Moniales, siquidem, si exprimatur persona, id solet fieri per terminum. *Qui* vniuersalissimum comprehendentem quodlibet genus personarum in materia casuum, sicut & per participium, seu per nomen, vt si dicas *Blasphemus*, vel *Blasphemantes*, vt non semel dixit Graff. in sua praxi; vndè Bellochius part.2. de casibus reseru. q.15.nu.59. sub casu reseruato his verbis: *Qui omiserit diuinum Officium*, comprehendit etiam Moniales, licet non exprimantur sub proprio nomine, & sub casibus Regularium ex Decreto Clem.VIII. includit Moniales Regularium Homob.part.3.cap.1. prope finem. In materia igitur vniuersalissima, vt est hæc de casibus reseruatis intelliguntur etiam Moniales. Vbi verò sermo est in pœnalibus de mulieribus, non comprehenduntur Moniales, nisi in terminis proprijs exprimantur, vndè casus de abutentibus mulieribus non afficit moniales. Comprehenduntur verò in Bulla de abortu, quia in ea exprimuntur Moniales sub nomine. *Mulierum Regularium*.

DECISIO CCXIII.

An Episcopus possit dispensare generaliter suum populum in Quadragesima?

AFfirmat Pasqualigus decis.410. de Ieiunio, quia quod dicitur de partibus Communitatis, quæ singulatim dispensari possunt, quandò subest causa, dicitur etiam de tota Communitate, quandò adest iusta causa totam Communitatem respiciens, vt contingere potest ratione penuriæ, pestis, belli, &c. pro se citat Palaum. Speculatiuè loquendo res benè procedit, sed hic, & nunc in casu practico putarem, meliùs esse hic in Italia recurrere ad Papam, quia multum difficile est, iustificare causam penuriæ in tota Communitate propter diuersitatem pauperum, & diuitum. In Ducatu Mediolanensi pro militibus semper fit recursus ad Pontificem Romanum, & tantum pro lacticinijs. Tempore actualis belli, & pestis putarem, Episcopum posse dispensare ad comedendum lacticinia, & carnes respectu pestis.

DECISIO CCXIV.

An omissa in Missa sint supplenda?

SI sunt de substantia vtique supplenda sunt in ipso actu celebrationis, vt docent omnes. Alia verò, vt Gloria, Credo, oratio &c. non sunt supplenda à Sacerdote, qui aliquantulum processit, quia in his, quæ non sunt de substantia, & forma Sacrificij, non est aliquatenus ordo Missæ perturbandus, ita ex Syluestro v. Missa 1.q.3.

1.q.3. Dicto quarto, & quinto Suar. disp.83.sect.3. ad finem, ex illis Bona. disp.5. de Sacram. q. fin. p.10. nu.16. Si hæc non sunt supplenda in ipso actu celebrationis, multò minus extrà, quia Missa tantum ad Altare, & cum Sacris vestibus celebranda est. Quandò in secretis dicitur vna Oratio pro alia, suppletur, & aliquid aliud omissum, quia, cum tunc peruersio Ordinis non sit publica, commodè repeti potest. Sed quarè suppletur pars Officij omissi, & non pars Missæ? Ratio est, quia Officium diuinum vbique recitari potest etiam sine cotta, & solemnitate, & ideò vbique suppletur pars omissa, quod dici non potest de Missa, quæ non recitatur, sed celebratur, hoc est, ad Altare cum Sacris vestibus, vbi ea, quæ clara voce dicuntur, omissa non repetuntur.

DECISIO CCXV.

An vouens ingrediendi Religionem teneatur, quandò similes vouentes excludit?

IN quibusdam Religionibus adsunt quædam statuta prohibentia receptionem personarum laborantium morbo gallico, aut descendentium à Iudæis, Saracenis &c. An horum vota teneant, ac proindè procurare debeant ingressum? Istorum vota non tenent, neque proindè debent procurare ingressum, ratio est, quia huiusmodi vota in tantum valent, in quantum vouentes sunt habiles ad ingressum; sed huiusmodi defectus habentes sunt inhabiles, ergò eorum vota non valent, consequentèr non tenentur procurare ingressum, qui tantum petitur; vbi votum tenet. Procedunt dicta, siue statutum simplicitèr prohibeat receptionem illorum, siue etiam, & multò magis, si addat Decretum irritans, hoc enim secundum certum est; quia nemo tenetur ad votum nullum promissum, idem dic, si statutum simpliciter prohibet, quia ex eo, quod Religiosi non possunt facere contra suas Constitutiones neque ille, qui vouit, potest, aut debet procurare executionem sui voti, quia ex hoc Religiosos induceret ad transgressionem suarum Constitutionum.

DECISIO CCXVI.

An Beneficiarius successor compensetur ratione damni illati in fundo Beneficij?

PEtrus Beneficiatus intulit notabile damnum fundo sui Beneficij illum deteriorando in incisione arborum ex parte frugiferarum, ita quod secundum æstimationem peritorum in hoc damnificauit plusquam sexaginta aureorum ipsum fundum, & in redditibus annuis deteriorauit in sex, aut octo scutis. Huic Clerico mortuo in beneficio deteriorato successit Paulus, ad cuius manus peruenerunt decem aurea, an illa sibi retinere possit in compensationem damni ab illo illati ratione fructuum, quos collegisset, si Petrus non fecisset incidi arbores frugiferas? Dixi, *Ratione fructuum*, quia ratione fundi illa pecunia esset inuestienda pro beneficio, non verò ratione fructuum, quia beneficiarius horum dominus est, non illius.

Respondeo, Paulus successor eam pecuniam sibi retinere potest, ratio est, quia compēsatio ibi habet locum, vbi alienum sibi retinere intendens fuit læsus contra iustitiam; sed Clericus successor in beneficio fuit iniustè læsus, nam, vt supponitur in casu, beneficium fuit deterioratum notabilitèr in fundo, & in redditibus, ergò damnificationem illatam sibi resarcire potest compensatione, retinendo sibi illam pecuniæ summam. Confirmatur, quia successor in beneficio reuera patitur damnum, quia non acquirit illos fructus, quos fuisset adeptus, si fundus nō fuisset deterioratus à suo prædecessore, ergò in compensationem huius damni potest sibi retinere æquiualens, quod ad manus suas peruenit. Neç dicas, successor incipit habere ius in beneficio per illius collationem, & possessionem, eodem modo, quo illi confertur; sed cōfertur cum illo damno, ergò debet subesse illi damno; consequentèr nul um ius habet, vt sibi resarciatur damnum illatum, cum tempore damnificationis non esset beneficij possessor, neque proindè dicendum est, damnum fuisse passum. Quià respondeo, hoc argumentum solum probare, successorem non fuisse patronum beneficij tempore actionis damnificantis, quod parum refert in casu nostro, in quo sufficit, quod sit patronus, & possessor, dum actu damnum sentit ex eâ actione incisionis causatum in futurum. Itaq; Clericus successor non erat Dominus beneficij tempore damnificationis, vtique verò dum damnum experitur singulis annis, quod sufficit ad iustificationem compensationis. Demùm Prior damnificans Monasterio restituit in manibus sui successoris, ergò sicut successor in Prioratu Monasterij ius habet in restitutione, ita & Clericus successor in beneficio.

DECISIO CCXVII.

An teneat votum de non renubendo, vt dos conseruetur filijs, si absumatur?

Hoc votum irritum est, siue dos absumatur ex necessitate conseruandi vitam propriam, & filiorum, siue casu pereat; ratio est, quia finis eius, nempè, conseruandi integram dotem filijs post mortem suam, licèt non sit res mala, sed bona, tamen in genere moris bona non est, quia non confert ad honorem Dei, sed ad vtilitatem filiorum matris vouentis, sed tantùm indifferens; finis autem indifferens non potest reddere materiam bonam ad votum constituendum, vt docent omnes cum Sanch.lib.4.cap.7. initio, ergò hoc votum non tenet. Confirmatur, quia licèt votum non nubendi sit verè votum, quandò simplicitèr fit, Sanchez lib.4.cap.21.nu.3. 4.& 25. nihilominus in casu nostro, cum specificetur à fine indifferente conseruandi dotem filijs præsentibus, totam suam bonitatem recipit à fine, qua cum careat indifferentem reddit materiam, maximè cum abstinentia à matrimonio sit causa conseruandi integram dotem filijs præsentibus. Quare siue dos saluetur, siue non, dicta vidua potest denuò contrahere matrimonium absq; periculo violandi votum, cum illud non subsistat, merè, & purè ordinatum ad temporalia.

DE-

DECISIO CCXVIII.

An legatum, vt Capellanus possit recipere eleemosinas Missarum, valeat?

SAcerdos Iacobus in Ecclesia loci B. instituit quatuor Capellanos, qui quotidie pro se celebrarent ad tale Altare, & in Choro horas Canonicas decantarent, assignato eisdem salario competente, condidit autem testamentum antè annum 1625. quo die 21. Iunij edita fuerunt decreta de celebratione Missarum, publicata 22. Septembris eiusdem anni. Clausula autem adiecta, in quo est difficultas est sequentis tenoris.

Hoc etiam addito, quòd Sacerdotes sic deputati, & pro tempore, vt suprà, deputandi, possint, & valeant in eadem Ecclesia, in qua, vt suprà, celebrabunt pro adimplemento sibi iniuncti muneris, recipere toties, quoties acciderit eleemosinas pro Officijs, & Missis, quæ in eadem Ecclesia cantari, & celebrari contigerit, pro alijs personis, & hoc semper, & in perpetuum, ita vt tamen, quòd in Sacrificijs supradictis primariò adimpleatur mens supradicti R. D. Iacobi, vt suprà, expressa.

Noto pro resolutione huius difficultatis, Missas, & Officia esse in triplici differentia, nam *primò* Missæ, & Officia aliquandò sunt voluntaria, & arbitraria tradentibus stipem in eo, quod nulla anteriori obligatione maiorum tenentur, sed ex charitate, & pietate faciunt celebrare Missas, & Officia, & in hoc sensu nulla est difficultas, quin Sacerdos possit stipem accipere, & satisfacere vtrique obligationi applicando principalitèr pro obligatione Capellaniæ, dummodò in loco id notorium sit populo, tunc enim, cum scienti, & volenti non fiat iniuria, ex vulgatis iuribus, satisfit vtrique obligationi, ita in terminis Fraxinel. sect. 4. concl. 4. §. 8. num. 4. *Secundò*, Missæ, & Officia pro defunctis ex legatis relicta ab hæredibus, & alijs exequenda. *Tertiò*, aliæ sunt Missæ pro viuis, & de istis neque dubito posse recipi ad mentem huius testatoris, sed de medijs tantùm est difficultas, an possint accipi? Non facio difficultatem circà mentem testatoris, quia satis clara est, sed respectiuè ad Decreta de celebratione Missarum; & quò ad illam particulam: *Ita tamen, quod in Sacrificijs supradictis primariò adimpleatur mens supradicti D. Iacobi*, nam per hanc excluduntur à primaria satisfactione anteriores testatores. Quarè.

Dico, quòd supradicti Capellani non possunt recipere Missas relictas ab alijs testatoribus antiquioribus, aut etiam posterioribus, & alijs, qui primariò petunt satisfactionem pro animabus suis, suadetur; Tum quia Sacrificium duobus primariò applicari non potest, quia sicut duo in solidum eiusdem rei temporalis Domini esse non possunt, l. Sicut certo, §. Si duobus vehiculum ff. commod. ita neque in Sacrificio Missæ duobus in solidum satisfieri potest, quandocumq; quilibet primarium petat. Tum quia ista dispositio est contrà Decreta de celebrat. Missar. qui vnica Missa nolunt satisfieri posse pluribus obligationibus, stipendijs quantumvis exiguis; Testator autem facere non potest, vt leges in suo testamento locum non habeant, l. Testandi 13. C. de testam. ergò attendenda non est, cùm non dicatur rationabilis. Tum quia tunc mens testatoris

toris seruanda est, quandò est iusta, & rationabilis, gl. v. Voluntatem, ca. Tua nobis 17. de testam. non autem cum est inepta, & inuoluit implicantiam, l. Seruo 116. §. fin. ff. de legat. 1. Hæc autem in casu nostro non est rationabilis, sed implicat, quia ex quo vult sibi primò applicari Sacrificium, reliquos vult tantùm ad participationem contrà eorum voluntatem, qui prætendunt primo loco admitti, & iure, quia potiora habent iura, si loquamur de anterioribus testatoribus. Quarè illud adiectum pro non adiecto habendum est, respectu legatorum, & eorum, qui primariò sacrificium intendunt, aut ignorant huiusmodi dispositionem. Prædicta procedunt, siue testamentum factum sit antè promulgationem Decretorum, siue post, quia huiusmodi voluntatis exequutio, contrà quam est mens Papæ modò adimpletur, prӕterquamquòd præiudicandum non est anterioribus testatoribus.

DECISIO CCXIX.

An in disputando nefas sit negare opinionem D. Thomæ Aquinatis.

RAtio dubitandi est, quia in Breuiario Romano pro festo eiusdem ita legitur. *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergò mercedem accipies? cui ille; non aliam, Domine, nisi te ipsum.* Ioannes XXII. hæc habet. *Tot miracula fecit, quot articulos scripsit, quia omnes resoluit lumine plusquam humano.*

Hæc non obstant, quin negari potest respectu opinionum, quas ipse tenet contrà alios Doctores, nam id proprium est opinantium, vt eorum dicta, quatenus opiniones sunt, negari possint simpliciter, quia illis potest subesse falsitas, cum sint actus mentis cum formidine oppositi. Prædictæ auctoritates intelligendæ sunt in eo sensu, quod in plerisq; & in multis benè scripserit, & eius scripta esse tot miracula, quò ad dilucidationem, & claritatem. Notum enim est, D. Thomam, non in omnibus sempèr dixisse veritatem, de qua re refero duo exempla, nam dixit part. 3. q. 78. art. 3. Omnia verba formæ consecrationis Calicis esse de forma essentiali consecrationis eius, quod tamen ab omnibus negatur, cum quibus est Suarez hic disp. 60. sect. 1. qui fine sic loquitur. *Quocircà non existimo, iniuriam fieri D. Thomæ, si proptèr multarum Ecclesiarum, & Liturgiarum auctoritatem ab eius opinione discedamus.* Greci, qui verè consecrant, relinquunt aliqua verba, ergò non omnia sunt de essentia. Secundum sit de solemnitate voti professionis, quam vult consistere in benedictione, 2. 2. q. 88. art. 7. quod tamen falsum, quia solemnitas huiusmodi, qua nimirùm dirimitur matrimonium, introducta fuit ab Ecclesia, cap. Vn. de voti redempt. in 6. dereliquit ibidem Caietan. Vide Sanch. lib. 7. disp. 25. vbi fusè de hac re.

DECISIO CCXX.

An duplex impedimentum consanguinitatis, & affinitatis ex parte vtriusque sponsi explicandum sit?

REspondetur affirmatiuè, non solùm, quandò sunt diuersa, quod nemo negat, sed etiam quandò idem im-

impedimentum duplicatur, vt, si sint consanguinei ex vtroque parente, vel, si cognatio spiritualis proueniat ex duobus Sacramentis Baptismi, & Confirmationis, quia dispensatio, vtpotè odiosa, quia ius commune vulnerat, ideò strictè accipienda, vt referatur tantum ad impedimentum simplex, quandò duplex non fuit expressum, nam in odiosis mixtum non venit sub simplici. Ita Sanch. lib. 8. disp. 24. num. 5. Barbosa ad cap. 5. sess. 24. nu. 9.

DECISIO CCXXI.

Quomodò numerantur gradus consanguinitatis in Matrimonio?

GRadus consanguinitatis inducentes impedimentum Matrimonij sunt quatuor, quorum personæ descendendo à trunco, seu stipite, à quo trahitur consanguinitas, sunt Pater cum suis filijs, Nepotes, qui sunt filiorum filij; Pronepotes horum filij; & Abnepotes filij Pronepotum. Itaque primum gradum constituunt Pater, & Filius simul, qui nunquam multiplicant gradum, quandò Pater ponitur pro stipite; secundum gradum facit Nepos; tertium Pronepos; quartum Abnepos. Idem Ordo seruatur in consanguinitate respectu Matris cum filijs suis, Nepotibus, Pronepotibus, & Abnepotibus. Quandòque autem consanguinitas duplicatur, vt, si duo homines habentes vnusquisque sororem, & alter alterius sororem ducat in vxorem, tunc collaterales geniti erunt consanguinei ex parte vtriusque mulieris, numerando, & ascendendo ad eum stipitem, in quo iunguntur in sanguine, nam Consanguinitas est vinculum vnius descendentis ab altero, vel ambo à tertiò, gl. in arbore Consang. Nauar. cons. 3. de consang. Pono exemplum Hieronymus Raminzonus duxit Paulam sororem Francisci Diez; & Franciscus Diez duxit Catarinam Sororem dicti Hieronymi. Hieronymus ex sua vxore genuit Ioannem, qui cum eo dicitur esse in primo gradu; ex Ioanne genita fuit Isabella Neptis Hieronymi, cum quo dicitur esse in secundo gradu; demum ex Isabella genitus fuit Stephanus, qui dicitur Pronepos & in tertio gradu cum dicto trunco Hieronymo, demum ex Stephano genitus Petrus Abnepos in quarto gradu existens cum Hieronymo. Sic discurre ex parte Francisci Diez, qui ex sua vxore genuit Martham in primo gradu cum illis, ex Marta Antonius Nepos in secundo gradu, ex Antonio Vrsolina Proneptis Diez in tertio gradu, demum ex Vrsolina Fabricius Abnepos in quarto gradu cum dicto Diez. Si modò quæras, an Vrsolina, & Stephanus, qui respectiuè ad suum stipitem dicuntur esse in tertio gradu, vnusquisque cum suo stipite possint inter se contrahere Matrimonium? Si spectentur illi duo stipites, videtur, quod sic, quia illi dicuntur consanguinei, qui ambo descendunt ab eodem sanguine, modò Stephanus, & Vrsolina non descendunt ab eodem sanguine masculorum, neq; fœminarum dictorum truncorum, sed vnusquisq; descendit à suo stipite. Respondetur, inter eos non constare posse Matrimonium, quia duplici consanguinitate coniuncti sunt ex parte mulierum, nam Stephanus, & Vrsolina sunt in quar-

quarto gradu cum Paula ex vna parte, & Catharina ex alia, nam Paula,& Diez eius frater conueniunt in vno sanguine sui Patris, qui dicitur stipes communis vtriusque lineæ colateralis, cuius personæ per gradum quartum distant ab illo, nam in hoc casu sic numerando Stephanus,& Vrsolina distant quarto gradu à Paula, ita quod supra illos duos stipites masculos ponuntur alij duo, qui singuli faciunt primum gradum. Idem dic de vxore Raminzoni dicta Catharina, quę est cum suo patre in primo gradu, à qua Stephanus, & Vrsolina distant quarto gradu. Et ex his apparet duplicitas consanguinitatis ex parte mulierum exprimenda in supplicatione, prout dixi præcedenti Decisione.

DECISIO CCXXII.

An licentia alloquendi Moniales negari possit?

SAnctissimus Vrbanus Papa VIII. indulsit Regularibus, vt de licentia Ordinarij quater in anno possent alloqui Moniales sibi coniunctas in primo, & secundo gradu consanguinitatis, his verbis. *Facultatem in posterum tribuerunt locorum Ordinarijs, vt quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumque Regulari, vt Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui possit. Id verò non aliter, quam seruata ad vnguem forma infrascripta, vt id nullo modò liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, feria sexta, Sabbato, & vigilijs, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere.* Refert Peyrinus ad constit.6. Pij V. nu.7. Ex his patet Ordinarium non teneri concedere, per ea verba. *Quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint*, non dicit *debeant*, sed *possint*, quod verbum affirmatiuè sumptum, vt hic, importat actum voluntarium, non necessitatis, Bart. in l. Gallus, ff. de liber. & posth. num.4. Ruin. vol.1. consil.69. num.12. Barbosa dist.268. num.1. similem sensum facit alia clausula: *Quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire*, importat siquidem arbitrium boni viri secundum rectam conscientiam regulatum, ita quod si concedat licentiam, putet eum posse in tali casu concedere sine periculo alicuius peccati, aliter expeditio non esset in Domino. Sed quid dicendum, quandò Religiosus necessitatem habet alloquendi Monialem, puta, quia contractum habet celebrare, vel quid simile, & non inuisere præcisè, consanguineam ex vrbanitate? Tenetur Vicarius concedere licentiam, quia casus vrget, & charitas persuadet id agendum esse ab Ordinario. Confirmatur, quia extraneo in simili casu prouidere debet, quia à iure communi collocutio necessaria non prohibetur, vt colligitur cap. Monasteria 8. de vita, & honest. sed tantum vitiosa, & periculosa ibi: *Sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit.* Igitur virtute supradictæ Ordinationis Ordinarius concedere potest licentiam consanguineis, primi, & secundi gradus alloquendi, & hoc procedit ex causa vrbanitatis & parentelæ;

telæ; nam aliàs habens necessitatem, seu causam legitimam accedendi ad Monasteria Monialium, præscindendo à supradicta ordinatione, potest licentiari ab Ordinario toties, quoties opus fuerit, licet non sit consanguineus, quia id illi nullo iure prohibetur, neque per dictam ordinationem emanatam fauore collocutionum ex vrbanitate, & pietate consanguineorum.

DECISIO CCXXIII.

An Papa possit destruere Quadragesimam?

QVamuis Quadragesimale ieiunium non sit de iure diuino, sed ab Ecclesia institutum proueniens ex traditione Apostolorum, vt dicit D. Hieronymus in Epist. ad Marcellum, & est communis sententia Doctorum, quos citat Pasqualig. decis. 165. de ieiunio; nihilominus multum probabile est, Papam illud destruere non posse. Tum quia eius potestas est in ædificationem, non in destructionem. Tum quia sicut error intolerabilis arguit nullitatem excommunicationis cap. Per tuas 40. de sent. excommun. iuncta gl. v. Intolerabilem, ita huiusmodi abrogatio esset error intolerabilis, ac proindè nulla, generaret enim magnum scandalum in Ecclesia Dei, & induceret aliquod præiudicium circa res fidei, & ansa præberetur hæreticis spernendi delectum ciborum in diebus ieiuniorum contrà Decretum Tridentini. Tum quia ex memoria hominum facilè deleretur Mysterium Passionis, & Resurrectionis Christi, quod singulis annis in Quadragesima recolitur. Tum quia potestas prouenit à virtute clauium, errat autem clauis, si non regitur à recta ratione, à qua Superioris potestas dependet, quæ in actum exire non potest, nisi moderetur à ratione in re tam grauissima, vndè quod communitèr dicitur, Papa omnia potest, intelligitur claue non errante Abbas in cap. A nobis, de sent. excom. nu. 3. Ex his colligitur, eumdem malè agere, si illam diuideret in diuersa tempora, id enim est causa aliqualis eius destructionis.

DECISIO CCXXIV.

An vnica Missa pluribus obligationibus possit satisfieri?

IN pluribus Religionibus, immò in omnibus, credo, adesse statutum celebrandi Missas pro defunctis Fratribus, statim eorum nuntiata morte, & singulis annis. An Sacerdotes Regulares obligati pro legatis defunctorum sæcularium vnica Missa vtrique obligationi satisfacere possint, licet aliàs conducere possent extraneos Sacerdotes?

Possunt, & quia fructus Missæ est infiniti valoris ex opinione multum probabili, de qua resol. 25. q. 6. & quia Decreta id non prohibent, sed solùm ita in illis habetur. *Præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributę eleemosinæ præscriptæ fuerunt*. In casu nostro plures non præscribuntur eleemosinæ, ergò non comprehenditur. Confirmatur id, quia Decreta de celebratione Missarum edita fuerunt, ne fides benefactoribus violaretur, & defunctorum animæ priuaren-

narentur suffragijs ex iustitia debitis, vt colligitur ex proœmio eorumdem Decretorum; sed in casu præsenti nullius fides, neq; iustitia violatur, cùm statuta Regularium non obligent ex iustitia, ergò potest prædicto modo satisfieri. Ita Hurtadus disp.4. de Missa dist.15. ex Conincho, referente, & sentiente Lezana v. Missa num.22.

DECISIO CCXXV.

An legatum, cuius instrumentum non reperitur, soluendum sit?

CONuentui S. Mariæ Populi Foripompilij viginti ab hinc annis, & vltrà solutum fuit legatum, de quo infrà, modò hæredes nolunt ampliùs illud soluere, quò ad eam partem, quæ respicit D. Equitem, primò quia vltrà præfatum tempus, quo soluerunt, non tenentur ampliùs. Secundò, testamentum D. Eufemiæ inualidum est, quia non reperitur testamentum D. Equitis. Verba autem testamenti D. Eufemiæ sunt sequentia. *Item deduxit ad notitiam infrascriptorum suorum hæredum, qualitèr dicta testatrix toto tempore vitæ suæ persoluit Reuerendis Fratribus S. Mariæ de Populo extrà Ciuitatem, ex dispositione, seu voluntate Illustris quondam D. Equitis Ludouici, eiusq; fratris sextaria duo frumenti ad mensuram veterem, quę faciunt tria mensura noua præsentis. Quod legatum ipsa ex nunc approbat, & confirmat in perpetuum duraturum; superaddito alio sextario frumenti ad nouam mensuram pro eius animæ suffragio, quæ erunt in totum sextaria quatuor frumenti quolibet anno, in quibus grauauit infrascriptos eius hæredes ad medietatem pro quolibet ipsorum, & quolibet anno.*

Supradicta dispositio ita clara est, vt sit valdè irrationabile de illa dubitare, in claris enim nō est locus coniecturis, l.Continuus, §.cum quid, ff. de verb. obligat. in claris enim standum est dispositioni, Monachus Lucens. decis. 55. num.16. manifestum autem est, D. Eufemiam legatum D. Equitis soluisse, & prætereà mandasse, vt illud cum suo perpetuò solueretur ab hæredibus; neq; verisimile, sed omninò falsum, non extare dispositionem legati D. Equitis, cùm illud claris verbis exprimatur à D. Eufemia, quod ipsa soluit, & mandat esse soluendum à suis hæredibus; non præsumitur autem esse mendax, maximè in factione testamenti, si quidem cùm vltimæ voluntates expediantur in vltimo vitæ, testatores non præsumuntur, maximè eo tempore, immemores propriæ conscientiæ, quare pro veritate tenendum est, vtrumq; legatum esse verum, & validum contrà hæredes, qui cogendi sunt ad prosequendam solutionem, siquidem ex antea factis per viginti annos, & vltrà, Fratres S. Mariæ sunt in legitima, & pacifica possessione exigendi dicta legata, in qua sunt manutenendi per tex. in cap. Cum Ecclesia Sutrina, de causa possess. vbi Abbas nu. 23. Ceucius de censib. part. 2. cap. 2. q.5. art. 4. num. 23. Postius de Manutent. decis. 139. num. 2. ita quod dicunt, quod sufficit vnica solutio facta iure suo, & ex vi obligationis; à fortiori in casu nostro, in quo factæ fuerunt plures solutiones continuatæ, ex quibus plenè probatur legitima, & pacifica possessio iuris exigendi, ad quod duo requisita sunt necessaria, animus acquirendi ex parte creditoris, & patien-

tientia cum animo debitoris soluentis, ex Puteo lib.2.decis.281. num.3. & 4. Ciarlin. par.2. cap.132. nu.28. quæ duo apparent in casu nostro ex illa longa, & continuata actione soluendi singulis annis vsq; ad tempus præsens. Adductis ab aduersarijs, non est cur respondeamus, cum ineptè loquantur & teneantur probare, quod dicunt. Demum necessè non est, exhibere instrumentum, seu testamentum D. Equitis, quia de eius voluntate satis testatur D. Eufemia, non solum per solutiones ab ea factas, sed etiam ex dispositione propria innouando, & confirmando illud antiquum legatum. Immò legatum D. Equitis approbatum, & confirmatum à D. Eufemia factum est proprium ipsius D. confirmatricis, consequentèr potiùs exigitur, vt legatum huius, quàm illius.

DECISIO CCXXVI.

An idem Prior bis suffragium dare possit?

ILle Prior, qui in primo Capitulo Prouinciali dedit suum votum, si antèquam finiat suum officium, occurrat fieri secundùm Capitulum Prouinciale, in eo potest secundo dare suum suffragium. Probatur id; Tum quia datio voti pluribus vicibus non prohibetur, quod autem non est prohibitum censetur concessum, cap. Iam nunc 7. 28. q.1. ibi: *Hoc non vetat Dominus*. Tum quia quilibet Prior actu ex eo, quod est Prior, potest ferre suffragium in Capitulo Prouinciali; sed in casu nostro is Pater est Prior non minùs tempore secundi Capituli, quã tempore primi, ergò idem ius suffragandi habet in vtroq; Capitulo. Tum quia in cap.2. Regulæ ordinatur, quòd singulis annis fiat Capitulum Prouinciale, ad quod debent accedere omnes Priores cum suis Discretis Localibus ad ferendum suffragium, & licèt Priores sint anuales, nihilominus triénio durare possunt per nouam confirmationem singulis annis agendam, & vt plurimum confirmantur, ergò Priores pluribus vicibus suffragari possunt, cum illo triennio fieri deberent tria Capitula, nunc mutata in Congregationes, à quibus modò illi excluduntur. Tum quia tres vocales Generales ad Capitulum Generale possunt suffragari in secundo Capitulo Generali ex opinione doctissimi Patris Magistri Antenij de Sillis olim huius Ordinis Generalis, Annot.1. ad ca.1. Regulæ, §. quibus verbis, quandò ex legitima causa non fuit celebratum Capitulum Prouinciale, in quo eliguntur huiusmodi tres vocales, ex quo antiqui intelliguntur durare pro secundo Capitulo, in hoc enim Ordine officiales durant ab vno ad aliud Capitulum, quamvis triennium naturale factum sit etiam quadriennium, & ita hactenus practicatum fuit.

DECISIO CCXXVII.

An possessor malæ fidei aliquandò præscribat?

DIcitur in secunda Regula iuris in 6. quod *Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit*. Habetur etiam cap.fin.de præscript. contrà ius ciuile, cui in hoc fuit derogatum per supradictum ius canonicum. Illa Regula non

non habet locum in ijs, quæ sine peccato præscribi possunt; quod maximè apparet in præscriptione libertatis, tum aduersus seruitutem rusticam, ex Abbate in præcit. cap. fin. tum contrà visitationem à Superiore extraneo præsertim, Oldrad. consil. 172. num. 5. Abbas in cap. Cum ex officij, de præscript. num. 6. Fuscus lib. 1. de Visitat. cap. 2. nu. 16. Barb. part. 3. de Episc. allegat. 129. num. 11. Tambur. tom. 1. disp. 19. q. 3. num. 3. & 4. Item in præscriptione sententiæ iniustæ, secundum Felin. super dictum c. fin. de præscript. nu. 4. Item hæres ex testamento præscribit contrà legatarium non petentem, neque præscribens dicitur, esse in mala fide constitutus, quamuis sciat, adesse legatum in testamento, in quo fuit factus hæres, quia potuit credere, quod legatarius noluit illud acceptare, Surd. tit. 9. de alimen. q. 6. à num. 20. Bec. consil. 48. nu. 4. Pacificus de Saluiano interd. inspect. 2. cap. 2. nu. 297. Ratio prædictorum est, quia præscribens in prædictis se habet merè passiuè, ab initio enim paratus erat ad subiectionem, vndè cum ex hoc non peccauerit, sicut neque qui non soluit legatum, quia non fuit petitum, non potest dici, esse in mala fide, sicut ille, qui non facit id, quod tenetur facere, vndè omittendo peccat, & formalitèr dicitur, esse in mala fide. Quarè cum caput fin. de præscript. & ea Regula fundentur in peccato, locum non habent, vbi peccatum non subest, & tunc procedit alia regula iuris communis, quod tenet præscriptio etiam cum mala fide ideſt cum scientia, quod res illa anteà erat alterius, seu poterat esse.

DECISIO CCXXVIII.

An cæcus vocem habeat in Capitulo?

PAssiuam nullatenus habere potest, quia impossibile est, quod officium, ad quod assumeretur, benè peragat, ex cap. Hinc etenim, dicit, 49. vndè & ab omnibus dicitur ineligibilis. S. Thom. part. 3. q. 82. art. 10. Paris. lib. 5. de Resign. q. 6. num. 36. ex illis Tambur. tom. 1. disp. 5. q. 21. n. 33. Si in officio cadat in cæcitatem, non est ab officio remouendus, quia afflictio non est addenda afflicto, cap Ex parte, de cler. ægrot. sed dandus est illi coadiutor, vt ex dicto capite, & alijs præcedentibus colligitur.

Idem verò cęcus potest votare, quia per aduenientem cęcitatem ius suum non amisit, neque illi noua tribulatio superaddenda est. Procedit, licet vota conscribantur in schedula per ipsum vocalem, quia id non est necessarium, cum etiam conuersi illiterati per tertium sua vota præbeant, vt practicatur.

DECISIO CCXXIX.

An Reuisor librorum ex parte Inquisitoris benè faciat suggerendo alijs nonnulla?

QVidam Presbyter deputatus fuit ab Inquisitore ad censurandum librum, iste bonus Clericus non fuit contentus obseruare, an aliqua essent contrà fidem, & bonos mores, sed præterea manu indice in M. S. quodammodò suggessit nonnihil alijs Reuisoribus Episcopi, & Senatus,

natus, an benè se gesserit? V.g. præcedentiam deberi Episcopo supra Gubernatorem &c. Episcopo supra Inquisitorem.

Non se benè gessit; Tum quia ita faciendo misit falcem in alienam segetem, cum aliorum interesse ad ipsum non spectet, cui ex officio solum incumbit videre, an in libro sit aliquid contrà fidem, bonos mores, & Inquisitoris officium. Tum quia non debet excedere limites sui officij transeundo ad correctionem eorum, quæ spectant ad alios Reuisores, aliter frustra alij constituerentur, si illis nihil occurreret agendum. Quarè malè fecit quidam, qui signis quibusdam indicabit alijs Reuisoribus, quæ possent expungere; voluit enim plus sapere, quam oportebat.

DECISIO CCXXX.

An Notarius vocatus à Iudice Regulari teneatur consignare originale processus?

QVidam Iudex Regularis ad se vocauit quemdam Notarium informandis processibus criminalibus peritum, & per eius manum confecit suum processum, quo finito, soluit illis expensas pro suo labore, & fecit sibi consignare originale processus, cui resistebat Notarius allegando originale manere debere apud se. Quibus tamen non obstantibus Iudex apud se voluit retinere illud originale, & iure merito. Tum quia Notarius, vt talis non fuit vocatus, sed potius vt illius instructor, quasi assessor ex vna parte, & ex alia, vt simplex scriptor, neque enim Notarius dedit vim processui, cuius subscriptio in vim Notariatus non erat necessaria, sed Iudex, à quo omnia actitata in processu apparentia vires suas recipiunt. Tum quia alia est ratio instrumentorum, alia processuum criminalium; nam in conficiendis instrumentis sufficit Notarius, qui quasi testis publicus iure probatus, Bart. in l. Barbarius in lect. 2. per l. Hac consultissima §. fin. C. de testam. suo officio auctorizat, & probat pacta, conuentiones, & contractus inter partes initos; in processibus verò acta auctorizantur, & probantur per solum Iudicem, & Notarius se habet vt merus scriptor, & instructor processus apud Regulares, vndè nec de infidelitate notari potest; neque tenetur ipse tradere copiam processus, sed Iudex. Tum quia ideò originale instrumentorum manet apud Notarium, vt indè partes extrahere possint iura sua, cum alium quò ad hoc Superiorem non habeant contrahentes præter Notarium, qui conficit instrumenta solum coram partibus, & testibus; processus verò criminales coram Iudice, ideò apud illum debet remanere originale, vt parti petenti possit extrahere copiam.

DECISIO CCXXXI.

An Religiosus de licentia ex suis prouentibus possit fundare Capellaniam pro suis parentibus?

QVidam Religiosus de licentia suorum Superiorum retinet apud se magnam pecuniæ summam ex bonis patrimonialibus, & alijs exercitijs partam, quam vellet inuestire

P in

in proprietatem idoneam cum onere vnius Missæ quotidianæ pro suis parentibus, & consanguineis celebrandæ in Ecclesia sui Ordinis per aliquem eiusdem Religionis Sacerdotem post mortem suam designandum à Superiore. An id agere possit? Ratio dubitandi est, quia hæc videtur alienatio, & præterea illa summa pecuniæ est Religionis, quæ ius habet, vt non oneretur, cum peruenerit libera, & sine onere.

Si placet Superiori, & Fratribus eiusdem Cōuentus, potest Missa quotidiana institui de speciali licentia Prouincialis, aliter ille Religiosus nihil agere potest.

Primum de placito Conuentus, & Superioris eius patet, quia hoc onus omnes de Conuentu tangit, ergò ab omnibus approbari debet. Prætereà isti actus inuestiendi, & obligandi sunt actus proprietatis contrà votum paupertatis, qui tolli non possunt, nisi per licentiam, & consensum Superioris, ex cōmuni Theologorum quicquid enim agit professus dependentèr à voluntate sui Superioris excusatur à vitio proprietatis.

Secundum, quod requiratur licentia Prouincialis, patet ex Decretis Sacræ Congregationis de celebratione Missarum.

Rationi dubitandi respondetur, in casu præsenti nullam adesse alienationem, quia præfatæ pecuniæ, seu eius fructuum adhuc Conuentus dominus est, solum adiectum fuit illud onus, quod est quid diuersum ab alienatione, & cum sit appositum de communi consensu totius Monasterij, sine dubio tenet.

DECISIO CCXXXII.

An Vicarius Capitularis expedire possit Rescripta alienationis pro Regularibus?

Regulares Conuentus N. obtinuerunt à S. C. in scriptis licentiam alienandi nonnulla prędia, examinandam à Vicario Generali, à quo non potuit expediri, expedienda à nouo Vicario Capitulari, id enim facere potest, quia decisum fuit, Vicarium Capituli posse mandare exequutioni litteras Episcopo defuncto directas per sacram Congregationem, & ab eo non exequutas, referente Gauanto v. Capitulum sede vacante num. 55. Idem refert Barbosa ad sess. 7. cap. 10. nu. 5. ex Aldano in compend. resolut. cap. lib. 2. tit. 3. num. 1. decisum die 10. Aprilis 1615. Ratio est, quia Capitulum sede vacante, seu eius Vicarius succedit in iurisdictionem ordinariam, quam habet Episcopus, vt Episcopus est, & iure communi, ex cap. Cum olim, de maior. cap. 2. Ne Prælati vices, cap. pen. & fin. de suppleud. negl. Prælat. Doctores citat Diana par. 8. tract. 4. resol. 1. Quar. v. Capitulum sede vacante initio. Sed Episcopus de iure communi potest dare licentiam inferioribus Ecclesijs alienandi, cap. Placuit 50. cap. Sine exceptione 51. 12. q. 2. ergò & Vicarius Generalis Capitularis à fortiori examinare, an petita licentia veritate nitatur, & futura alienatio sit in euidentem vtilitatem, siquidem Vicarius non dicitur dare licentiam, cùm procedat à S. Congreg. sed tantùm examinare, an alienatio profutura sit in euidentem Monasterij vtilitatem. Panor. in c. Cum

cap. Cum olim, de maior. q. 3. Franch. in cap. Vn. Ne sede vac. in 6. num. 3. Rebuff. in praxi tit. de deuolut. nu. 104. ex illis Quaranta v. Capitulum sede vacante q. 6. qui aiunt, Vicarium Capitularem posse interponere suam auctoritatem Ecclesiæ inferiori volenti alienare, ergò à fortiori in casu nostro potest examinare rescriptum de alienatione impetratum.

DECISIO CCXXXIII.

Quid requiratur, vt aliquis Ordo eleuetur in Religionem.

Sicut nullus potest erigere Collegium, nisi de licentia Principis, ex l. Illi, ff. de Colleg. ex l. 1. Quod cuiusq; vniuers. vbi dicitur, quòd Collegium omne est improbatum, nisi constet specialitèr approbatum, ita neque aliquis Ordo, seu Congregatio hominum spiritualium institui potest sine licentia Episcopi, aut Papę, & multò minùs eleuari in Religionem sine Episcopo, iure antiquo, & modò sine Papa, qui in Concilio Generali Innocentius III. habito anno 1215. relato, cap. fin. de relig. domib. prohibuit, ne quis nouam institueret Religionem, sed volens cōuerti assumat vnam de approbatis, quod confirmatur cap. Vn. de relig. domib. vbi prohibetur institutio noui Ordinis, vel Religionis, vt colligitur ex cap. 14. de excess. Prælator.

Sed, an nouus Ordo, seu Congregatio instituta, in qua non sit mentio de tribus votis solemnibus, neque approbata, vt Religio, sed simplicitèr, institutio eius sit approbata à Sede Apostolica, vti ordo benè viuendi, vel vt Congregatio, per se ipsam, sine alia licentia, & auctoritate possit eleuari in Religionem cum emissione solemnis professionis?

Respondetur negatiuè, sed præterea requiritur specialis licentia Sedis Apostolicæ, quod probatur; tum ex citatis iuribus, quibus prohibetur noua Religio. Tum exemplis multorum Ordinum, qui in sua fundatione instituti fuerunt sine statu Regulari, vndè eorum professores, vt se ponerent in statu Regulari petierunt à Sede Apostolica facultatem profitendi solemnitèr, vt constat ex diuersis Bullis, nam Congregatio Sommaschæ approbata per Paulum III. Bulla 21. incip. *Ex iniuncto*, anno 1540. eleuata postmodùm fuit in Religionem à Pio V. Bulla 78. incip. *Iniunctum nobis*, anno 1568. dum illi concessit facultatem emittendi tria vota solemnia. Item Theatinis volentibus fieri Regularib. Clemens VII. Bulla XI. incip. *Exponi nuper*, 1524. concessit professionem solemnem. Item Clerici Minores obtinuerunt eamdem gratiam à Sixto V. Bulla 81. incip. *Sacræ Religionis*, anno 1588. Item Barnabitæ à Clem. VII. Bulla 37. incip. *Vota, per quæ*, anno 1533.

DECISIO CCXXXIV.

Episcopus qualis Doctor esse debeat?

Debet esse Doctor 1. ad Timoth. 3. 2. Theologus, vel Canonista, non sufficit Legista; Ratio est, quia debet esse instructus in sacris litteris, & Canonibus, vt possit plebem suam docere, cap. Si quis 3. dist. 36. ibi Gratian. §. praeced. cap. 1. dist. 38. cap. Cum multa 5. dist. 86. Sed soli Theologi, &

Canonistæ in prædictis dicuntur instructi, & non Legistæ, ergò tales debent esse Episcopi. Ioan. Crysost. homil. 15. *Oportet Episcopum esse Doctorem, vt doceat exemplo vitæ, & laboret in verbo, & doctrina*. Ita tenendum est.

DECISIO CCXXXV.

An Prælatus Regularis possit ex tabella obligationum expungere quoddam onus celebrandi?

ONus celebrandi Missam quotidianam, quod pro anima sua quidam Religiosus, post suam mortem exequendum, imposuit, de licentia Superioris localis, & Conuentus assignato fundo ex sua industria frugifero, aut tot pecunijs exbursatis Conuentui, non potest expungi à Superiore maiore à tabula obligationum. Probatur. Tum quia is contractus non differt in substantia, si factum fuisset à sæculari in ordine ad onus celebrationis, quia agitur de onere spirituali Missarum, respectu cuius Religiosus per professionem non abdicauit à se propriam voluntatem, sed ibi retinuit, & quatenus accedit consensus Superioris, respicit illam obligationem celebrandi, cui non potest cōtradicere Superior, qui consensum præstitit, cum naturalitèr obligetur, & ciuilitèr in ordine ad spiritualia, sicut tenetur manutenere in officio electiuo illum, quem elegit, de iure, quandò nulla subest causa amouendi ab officio. Tum quia esto ad nutum Superioris huic Religioso auferri possint fructus, super quos fundatur onus celebrandi, propter disparitatem, nam fructus respiciunt votum paupertatis, quo professus ad nutum Superioris priuari potest vsu fructuum, celebratio verò respicit vtilitatem animæ post suam defunctionem, quæ voto, & professioni non aduersatur, ideò fructus reuocari possunt, non obligatio celebrandi semel concessa. Tum quia istud onus celebrandi se totum tenet ex parte Monasterij fauore professi post suam mortem exequendum; sed post mortem Superiores non ampliùs auctoritatem, neque dominium habent super illum, qui non ampliùs est Religiosus, mors enim omnia soluit, ergò ab illo auferri non potest ius celebrandi pro eius anima. Vide dicta decis. 231.

DECISIO CCXXXVI.

An Clerus in Synodo resistere possit Episcopo proponenti Religiosos in Examinatores Synodales?

CLerus non potest recusare in vniuersum Religiosos in Examinatores, quia ex Tridentino sess. 24. c. 18. Episcopus potest proponere in Examinatores tàm Religiosos, quàm Clericos, illis verbis: *Examinatores autem singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur*. Et infrà. *Sint verò hi Examinatores Magistri, vel Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei*. Ex his igitur deducitur, etiam Regulares esse in Examinatores vocandos, non minus, quàm Clericos, eosq; sic

pro-

propositos ab Episcopo recipiendos esse à Synodo.

DECISIO CCXXXVIII.

Nomine Officij Defunctorum, quid veniat?

QVuandò aliquis in suo testamento reliquit tot officia pro anima sua, nihil aliud dicendo, tunc huiusmodi onus assumens tenetur in sua Ecclesia, vel vbi testator designauit, facere celebrare vnam Missam cantatam, prȩmittendo illi, aut totum Officium defunctorum, aut saltem vnum nocturnum iuxtà loci consuetudinem, nam nomine officij veniunt Vesperæ, Matutinum, & Missa, cap. fin. dist. 12. Audio, in quadam Religione cantari tantum vnam Missam, & sic intendunt satisfacere, sed quo iure nescio, quia eo nomine ex communi conceptu omnium venit Officium totum, vel saltem nocturnum cum Missa. Vide infra Decis. 331.

DECISIO CCXXXVIII.

An in Magistrum Nouitiorum eligi possit Sacerdos priuatus ab audiendis Confessionibus?

NOn potest, quia ad ipsum spectat audire Confessiones Nouitiorum, ex Instit. Nouit. Clem. VIII. §. Quilibet Nouitius, ibi: *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum Confessiones audiendi cura committatur*. Video tamen aliquandò, Magistros ægre ferre id munus, ideò rogant Superiores, vt alium Sacerdotem eligant in Confessarium pro Nouitijs. Quare non damnarem Superiores eligentes in Magistrum aliàs priuatum ab Officio audiendi Confessiones, assignando Nouitijs Confessarium; & id mihi magis placet fauore libertatis animarum Nouitiorum, qui præsentiam Magistri quandòque timere possunt in aperiendis eidem suis peccatis, consequenter, ne in Sacrilegium aliquod incidant, non incongruè assignatur eisdem Confessarius à Magistro alius, vt fit professis, qui non tenentur confiteri sua peccata suo Superiori, iuxta Decretum Clem. VIII. de casibus reseruandis.

DECISIO CCXXXIX.

An sit alienatio expensio pecuniæ censualis in fabricatione nouæ domus?

CLerici Regulares N. pecuniam census extincti expendiderunt in fabricatione nouæ domus, cuius affictus ferè ascendunt ad summam fructuum, quos exigebant ex capitali census, dubitatum fuit an transgressi fuerint Bullam, & Decretum de rebus Ecclesiæ non alienandis? Negatiuè respondendum est, tum quia huiusmodi fabricatio est, quasi emptio alterius fundi, & census, cum ex domo de nouo fabricata tot fructus percipiantur, quot exigebantur ex censu. Tum quia per huiusmodi implicationem magis melioratur conditio Monasterij, quia immediatè fiunt domini, & possessores domus fabricatæ, quod non accidisset, si receptam pecuniam iterum tradidissent ad censum. Tum quia pecunia hoc modò non distrahitur, sed implicatur in eiden-

dentem vtilitatem Collegij. Tum quia pecunia census extincti reponi potest super aliena domo, quæ est fundus capax census, cum sufficiat, quod fundus sit frugifer, vt constat, esse domum.

DECISIO CCXL.

An reparatio domus ruinam minantis, ex pecunijs census extincti, sit alienatio?

QVandò Prior non habet aliam pecuniam paratam, neque in breui sperat, potest domum reparare, ex pecunijs censualibus, ne domus in totum pereat; ratio est, quia extrauag. prohibetur ea alienatio, quæ cum maximo detrimento fit Monasteriorum; & decreto, quæ tendit in distractionem; sed huiusmodi pecunia non cedit in detrimentum, neque distractionem, sed in maximam vtilitatem Monasterij, si enim domus derelinquitur, in totum perditur, & postea cum maiori impensa reficitur. Adde, quod iura prohibent alienationes voluntarias, non necessarias, vt est hæc nostri casus. Ita Peyrinus in Formul. lit.A. cap.11.nu.2. vbi id probat multis rationibus.

DECISIO CCXLI.

An Prior pluries possit assignare Confessarium extraordinarium Nouitijs?

NOn solum duabus vicibus, sed pluries id facere potest, præsertim in solemnioribus festis, vt in Paschate, Pentecostes, Assumptione, S. Francisci, &c. Non obstante, quod ita legatur in Institut. Clem. VIII. §. Quilibet. *Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis in anno eorumdem Nouitiorum Confessiones audire.* Quia illa enumeratio non accipitur limitatiuè, sed exemplariter, & indefinitè, iuxta dicta Resolut.5. q.11. de Confessario Monialibus offerendo. Vide ibi dicta, & applica præsenti casui, quia benè accommodantur. Facit ad hæc quod dicunt gl. v. cccxviij. cap.1. dist.15. gl.fin.cap.Septuaginta 10. dist.16. & gl.1. cap.1.35.quæst.2. nimirum, numerum minorem non excludere maiorem. Quarè numerus aduerbialitèr prolatus cum disiunctione non limitat orationem, hoc ipso, quod non excludit numerum maiorem.

DECISIO CCXLII.

De consecratione Hostiæ, & Calicis.

AD licitam vtriusque consecrationem, quò ad situm, necesse est, quod ambo sint super corporale, quò ad validam sufficit, quod sint super Altare, siue pixis sit discooperta, siue clausa, aut Hostia in ostensorio clauso vitro; nonnulli etiam docent, validè consecrari repositas Hostias in tabernaculo aperto in pixide, non autem, si sit clausum eius ostiolum ligneum, vtique, si sit vitreum. Ratio est, quia sufficientèr materia dicitur esse præsens moraliter, ita quod potest verificari pronomen *Hoc*. Vide Resolut. 129.q.8. Pasqual. q.30. dicit, Hostias in pixide clausa in tabernaculo non consecrari, cum multis alijs.

Diana

Diana part.5. tract.14. resol.19.neq; si pixis est in Altari extrà corporale.

DECISIO CCXLIII.

An celebrare sine sacris vestibus sit peccatum mortale?

CElebrans sine illis peccat mortalitèr, quia magnam infert iniuriam Sacramento, quod decentèr conficiendum est. Ita omnes cum Sylu. v.Missa 1.q.2.dicto 3. Nauar. cap. 25. num.84. Pasqual. q.31. num.3. Sine manipulo, aut stola, vel corda, est tantum veniale ex modicitate rei, Rodr. par. 1. summæ cap. 249. concl. 23. Sylu. v. Missa 1. num. 2. Diana par. 1. tract. 14. resol. 68. Pasq. q.31. num.7. Si quis celebraret sine alba, aut sine casula, peccaret mortalitèr, quia sunt duæ vestes principaliores, quæ totum Sacerdotem exornant.

DECISIO CCXLIV.

An coniux infrà bimestre teneatur reddere debitum alteri petenti, quandò non vult ingredi Religionem?

IVs canonicum cap. Verum 2. de conuers. coniugat. dicit, alterum coniugum antè matrimonium consumatum posse ingredi Religionem, altero etiam inuito, ex quo matrimonium soluitur, & remanens in sæculo nubere potest; & hanc dissolutionem esse de fide definitur sess. 24. can. 6. Tempus autem deliberandi ingressum est bimestre determinatum, cap. Ex publico 7. de conuers. coniug. Negat Sanch. lib.2. disput. 24. q. 5. num. 25. quia licèt hodiè deliberet non ingredi, cras tamen potest coniux in melius propositum mutare. Alij ab eo citati, cum quibus est Angel. v. Debitum num. 14. tenent, obligari ad reddendum, quia per matrimonium ratum statim transfertur dominium corporis in alterum coniugem, maximè posita voluntate non ingrediendi Religionem. Quos postremos ego sequor. Tum quia priuilegium per non vsum perditur, glos. cum Doctor. in cap. Cum venissent, de constitut. Tum quia cessante causa, cessat effectus, ex vulgatis iuribus; causa illius bimestris est, vt coniux deliberet, an velit ingredi Religionem, sed non vult ingredi, ergò illud bimestre cessat. Tum quia ad perdendum illud priuilegium bimestris sufficit, semel deliberasse non ingredi, ne sit nimis molestus parti; sicut enim possibile est, quod animum non ingrediendi potest mutare in melius, ita etiam esse potest, quod de meliori in minus mutet, redeundo iterum ad primum propositum, ideò ne sit coniugi alteri odiosus, & videatur abuti priuilegio, prudentius est asserere, priuilegium illud euanescere per primum propositum non ingrediendi Religionem.

DECISIO CCXLV.

An Sacerdos communicando potuerit præterire suum pœnitentem, qui sibi non fuerat confessus?

PEccauit non cõmunicando suum pœnitentem cum alijs expositum ad mensam, quia est communis Doctorum sententia, quod sacra Com-

munio non est deneganda publicè petenti cum alijs, si sit peccator occultus, quia neque Christus illam denegauit Iudæ, præterquamquod ex hoc alij possunt malè sentire de illo, vndè eius fama, & honor exponitur euidenti periculo. Vide Doctores citatos à Bonac. de Sacram. disp. 1. q. 6. p. 4. num. 4. maximè procedit in casu nostro, in quo Sacramentum denegatum fuit puellæ, eò quòd sibi confessa non fuerat, cuius erat ordinarius Confessarius, potuit enim Confessarius, immò debuit prudentèr credere, aut eam esse sine peccato, aut alteri confessam fuisse sua peccata. Imprudens ergò fuit ille Clericus Regularis, à suo Superiore ideò in pœnam remotus ab eo Collegio.

DECISIO CCXLVI.

An neganti Christum, & Fidem eius sit imponenda Abiuratio de formali?

QVandò reus persistit negando se habuisse malam intentionem, sed verè credidisse, & credere in Christum, & fidem Catholicam, sustinendo torturam, non potest cogi ad abiurādum de formali, sed tantùm de vehementi; suppono autem, quod non sit conuictus de hæresi; illud probatur, quia abiuratio formalis solùm indicitur hæreticis, quales sunt illi, qui proprio ore fatentur, se credidisse hæresim; aut de ea sunt conuicti legitimè, licèt negent intentionem, & id sustineant in tormentis, in quo casu, nec torquendi essent, nisi cum clausula: *Absque præiudicio*, &c. Hoc verò, constante de delicto inducente suspicionem hæresis, probatur, quia huiusmodi delictum inducit vehementem suspicionem de hæresi, ergò confessus, vel conuictus de illo delicto debet cogi ad abiurandum de vehementi. Contingunt autem huiusmodi vitia linguę, vel occasione ludi, vel sortilegiorum, & in vtroque casu huiusmodi crimina inducunt suspicionem hæresis, sed magis in casu sortilegij, quàm ludi, ac proindè sortilegus negans, se malam habuisse intentionem seuerius torquēdus est, quàm ludens, cum iste inducatur ad blasphemādum ex ira, quia perdit, ille verò solùm ex instigatione diabolica, consequentèr est vehementissima suspicio, quod non solùm ore, sed etiam mente, & corde sortilegi negent Christum, & eius fidem, ideò contrà istos cum maiori rigore procedendum est ad inuestigandum veritatem super intentione.

DECISIO CCXLVII.

An irregularitas incurratur in sequenti casu?

SAcerdos rogatus à quodam, vt admoneat certam personam de imminenti periculo mortis, à quo se debet cauere, non incurrit irregularitatem, si admonito requirenti nomen manifestet illius, qui sibi Sacerdoti dixit, vt hoc charitatis officium faceret. probatur, quia hæc irregularitas pro causa non potest habere aliud, quàm homicidium, quod in re hac spectari potest, vel ex defectu leuitatis, vel ex delicto; non habet hic locum homicidium ex delicto ex parte Sacerdotis, quia non est causa culpabilis homicidij, dato quòd sequeretur, quia in hoc

Sa-

Sacerdote duo considerantur, admonitio, & manifestatio procurantis admonitionem; neutrum illorum est malum; non primum, cum sit officium charitatis admonere aliquem, vt se caueat à periculo mortis imminente, non secundum, quia manifestatio mandantis admonitionem non refertur ad illum, qui homicidium est commissurus, vel illud mandaturus, ac proindè ex illa manifestatione non potest sequi mors, cum non manifestetur homicida; quod si posteà sequatur aliquod homicidium ex locutione mandantis admonitionem, non ideò illud imputandum est illi Sacerdoti, qui non potuit influere in hoc delictum nisi remotè; causa autem remota non inducit irregularitatem, quia causa remota non consideratur, sed proxima, l. Sed & si plures, §. In arrogato ff. de vulg. & pupill. substit. Ioseph Sene Arrag. decis. 187. nu. 68. & actus semper tribuitur causæ proximæ non remotæ, Tiraq. in reg. Remota causa limit. 20. num. 5. Rota vol. 1. part. 1. decis. 120. nu. 14. & duarum causarum, quarum vna alteri subordinatur, effectus non tribuitur vtrique, quandò ab altera tantum potest esse, cap. continebatur, cap. Lator, de homic. l. Quæcumque gerimus ff. de act. & obligat. ex quib. Ricciull. lib. 4. cap. 42. nu. 10. dicit, vbi concurrunt duæ causæ, quarum vna subordinatur alteri, tunc, licet prima causa inducat secundam, tamen, si non inducit effectum, effectus tribuitur causæ proximæ, non remotę, ergò ex hoc capite homicidij ex delicto dictus Sacerdos non fit irregularis, quia non fuit causa homicidij. Et quod ex causa remota quis non fiat irregularis, tradit Diana resol. 96. de irregul. Confirmantur prædicta, quia Sacerdotis mens est manifestando nomen Admonitoris, vt persona admonita melius possit se cauere agendo cum eo, qui cognitionem habet cum personis volentibus illum occidere. Demum ex defectu lenitatis iste Sacerdos non fit irregularis, si sequatur mors ex condemnatione Iudicis, quia fundatur in processu, ad quem remotissimè se habet ille Sacerdos, qui nulla ratione influit in processum, & mortem inde secutam.

DECISIO CCXLVIII.

An malefica tradenda sit curiæ sæculari fatens ex suis maleficijs secutam mortem, quando non constat de corpore delicti?

GRegorius XV. in sua Bulla incip. *Omnipotentis Dei*, sic statuit. *Mandamus, vt constito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apostatando, maleficijs, siue sortilegijs, vnam, vel plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu Curiæ sæculari tradatur.* Non potest tradi huic Curiæ, nisi constet non solum de morte, sed etiam de qualitate, nimirum, quod illa persona mortua fuerit ex maleficio præcisè, vt apertè colligitur ex verbis supradictis. Et ratio est, quia non sufficit, probare delictum, vt ita dicam, materialitèr acceptum, sed vtrumque probandum est, & delictum, & illud accidisse ex sortilegio, illud quidem, quia qualitas sine subiecto stare non potest, l. Eius qui in prouinciam ff. si cert. pet. Rota vol. 4. decis.

decis.541. num.3. & tradunt omnes cum Carena part.3. tit.12. de abiurat. num.19. delictum materiale constare debere, & deinde eius qualitas probanda est, quia, si exigitur qualificatum, non sufficit illud probare sine qualitate, super qua potissimum fundari debet intentio Iudicis, l. Quicumque C. de seruis fug. l. Aut facta §.1. ff. de pœnis l. Si in rixa ff. de sicar. cap. Sicut dignum de homicid. & in terminis Carena par.2. tit.12. de sortileg. nu.273. quia hoc tribunal non punit homicidas, vt sic, sed sortilegium qualificans homicidium. Probatur autem id ex depositione Medicorum, & Exorcistarum, quamuis id sit multum difficile probatu, ideò raro isti malefici traduntur brachio sæculari, vltimo supplicio perimendi. Nec obstat, quod sortilega fateatur se potionem non venenosam dedisse, aut aliquid aliud fecisse, ex quo dicit mortem secutam fuisse, quia ex his verbis solum colligitur, medium ineptum applicatum fuisse, an verò mors ex hoc secuta, non probatur; ideò partes sunt Sancti officij id probare legitimè, aliter alijs pœnis hæ personæ plectendæ sunt, masculi triremium, fœminæ Carceribus.

DECISIO CCXLIX.

An Religiosus alloquens sororem Monialem cum legitima licentia, sed alio die, peccet?

IN Decreto super hac re edito à me extenso Resolut.7. num.90. fol.75. statuitur: *Prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in scriptis redigatur*. Et paulò infrà *Regulares autem pœnis in supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent eo ipso se nouerint addictos*. Puto, hunc Religiosum excusandum esse à peccato mortali, quia mutatio diei, seu horæ videtur, quid parui momenti, neque verisimile est, pro hac modica transgressione affici peccato mortali, quod priuat gratia Dei. Deindè alloquens sine licentia peccat mortaliter, vt referunt decisum, ergo alloquens cum licentia, non seruato modò in ea præscripto, excusandus est à peccato mortali, nam aliquid habet operari ea licentia pro foro conscientiæ, cum licentia etiam illicita sit licentia gl.1. cap. si qua 29.27. q.1. quod maximè verum est, quandò eius illicitas prouenit ex abusu, non enim abusus destruit licentiam antè subsistentem; nec obstat, quod pro nulla habeatur non seruata forma in Decreto præscripta, sub qua forma continetur dies, & hora expressa in ipsa licentia; quia cum hoc Decretum fundetur in præsumptione, non obligat, in foro animæ, quandò adest veritas in contrarium, idest quandò Religiosus bono fine alloquitur Monialem sororem, sed intelligitur, quod licentia sit nulla pro foro externo. Quod lex fundata in præsumptione, vti est hoc Decretum, non liget in foro conscientiæ, sed tantum pro foro externo, docent quamplures classici Doctores, quos citat pro se Diana resol.27. de legib. Quarè intellectus Decreti facit pro foro externo, quod nulla reputatur licentia, quandò non seruatur in ea præscriptum.

(∴)

DE-

DECISIO CCL.

An Schedulæ electionum comburendæ sint apud Minimos?

TRidentinum sess.25. cap.6. mandat *Superiores eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Ad cuius obseruationem Pius V. viuæ vocis oraculo, mandauit, Schedulas comburi, prout refert Lauorius de elect. tit.4. cap.19. num.95. Combustio igitur fit, ne publicentur nomina vocalium in eorum præiudicium; sed is casus accidere non potest apud Minimos, quia vnus tantùm ad id munus deputatus conscribit vota omnium hoc artificio, quod neque ipse scit, cui vocalis suffragetur, siquidem facit scribere in duabus, aut pluribus Schedulis nomina plurium eligendorum, & deindè à Proscriba acceptis omnibus Schedulis, in vna ponit Schedulam eius, quem vult eligi ex parte sua, & alias scindit. Immò, si neque alias scindit, publicari potest eius nomen, quia præterquamquod caracter est Proscribæ, non exprimitur in Schedula nomen electoris. Non est ergò necesse Schedulas comburere.

DECISIO CCLI.

An schedulæ aliquando aperiri possint coram Superiore Capituli.

POssunt; primò, quandò Schedula est alba, vt elector, vel cogatur eligere, vel renuntiare iuri suo. Secundò, quandò probabiliter dubitatur, electorem sibi votum præbuisse. Tertiò, quandò vnum votum dat pro alio, e.g. dat Schedulam Definitoris eligendi pro Schedula eligendi in Generalē, tunc Præses Capituli aperit, & admonet electorem de errore, præcipiendo, vt Schedulam ad propositum ferat. Non est autem necesse admonere eum in secreto, quia ex actione delationis Schedulæ in numerum aliarum iam seipsum detegit, & sibi imputet hunc ruborem, qui incautè se egit.

DECISIO CCLII.

An Sanctus Franciscus Virgo fuerit?

SAnctus Virgo fuit, vt docet communior opinio Doctorum, quos numero quatuordecim recenset Saluator Vitalis Sardiniensis Minor. de obseru. fol.7. sui opusculi inscr. *Apodixis sanctitatis, & puritatis B. Francisci*, contrà Vincentium Burgundum, & D. Antoninum. Suadetur; Tum quia se nudauit vestibus corā Episcopo, Cronic. part.1. lib.1. cap.4. quod est signum innocentiæ puerilis. Tum quia fugauit impudicam mulierem, & carnis tentationem vrticis, & niuium volutatione repressit. Tum quia licèt nutritus fuerit indecentèr, non tamen impudicè, nec inter lasciuos iuuenes post carnis petulantiam abijt. Tum quia præ omnibus alijs Sanctis dignus fuit sacris stigmatibus, singulare priuilegium, quod virginibus tantùm datur.

DECISIO CCLIII.

S. Franciscus quo die mortuus sit?

IN festo eius Translationis die 25. Maij id exprimitur in 6. lect. his ver-

verbis: *Transijt autem venerabilis Pater ex huius mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quartò nonas Octobris die Sabbati in sero, & in die Dominico fuit sepultus.* Quamvis res sit clara, nonnulli tamen calculando litteras Dominicales dixerunt eo anno 1226. die 4. Octobris non fuisse Sabbatum, sed diem Dominicum, currebat enim tunc littera Dominicalis D. ita quod dicendum videtur, obijsse die Dominico, & die Lunæ fuisse sepultum. Sed errant sic loquentes, quia reuera obijt in sero Sabbati, die nimirùm tertia Octobris, & die quarta Dominico fuit sepultum eius corpus, & illa verba, *quartò nonas*, referenda sunt ad sepulturam, non ad diem obitus, quamquam, & mors referri possit ad diem quartum, qui de more Ecclesiæ incipit à Vesperis, à fortiori in sero, in quo Sanctus Pater transijt ad Cœlestem Patriam, in æternum cum Deo victurus.

DECISIO CCLIV.

An sub donatione Ecclesiæ veniant Campanæ?

CVratus de consensu Apostolico donauit suam Ecclesiam Parochialem cuidam Confraternitati, & Papa in hac donatione Parochianós subiecit alteri Parochiæ viciniori; modò donator petit sibi restitui campanas, quia donauit Confratribus Ecclesiam, non campanas. Dubitatur hic, an sub nomine Ecclesiæ donatæ veniant campanæ, si sic, lis facilè extinguitur fauore Confratrum, alitèr campanæ restituendę sunt donatori, & Parochianis, qui in eas ius habent.

Quandò in instrumento donationis adsunt similia verba. *Donamus Ecclesiam cum suis pertinentijs.* Nulli dubium est, sub donatione comprehendi etiam campanas, & quæcumque reperiuntur tunc in Ecclesia ad vsum ordinarium illius, nam campana dicitur pertinere ad Ecclesiam, cum ad eam conuocentur per sonitum campanę fideles ad audienda Diuina Officia. Si verò non adsunt, excipiatur verò aliquid à donatione, e.g. Calices, aut indumenta Sacerdotalia, tunc sub donatione veniunt campanæ, quia ex vulgatis iuribus, exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis. Quod si donatio sit simplicissima sine vlla exceptione, neq; cum illa clausula, aut simili, tunc donatio Ecclesiæ includit etiam campanas; & quia pro responsione facit illa regula. Accessorium sequitur naturam sui principalis; & quia seruus sequitur dominum suum; & quia concesso vno, censentur concessa ea omnia, sine quibus illud expleri non potest, l. Ad rem mobilem, §. Qui procuratorem, ff. de procur. l. Item sic, §. Qui habet, ff. de seru. prædiorum rust. l. Auibus, ff. de legat. 3. Ecclesia autem conceditur, vt in ea celebrentur Diuina Officia, quod præstari non potest sine campanis, vt constat ex praxi; & quia sicut sub venditione equi sellati comprehenditur etiam sella, quæ censetur vendita sub eodem pretio equi, licèt nulla mentio facta fuerit de ipsa, sed solùm de equo, cui illa adhæret, vti aliquid pertinens actu ad ipsum equum, ita dicendum est in casu nostro sub donatione venire campanas in campanili, seu parietibus Ecclesiæ collocatas; Demùm sub donatione

tione venit Campanile, ergo & campanæ tamquam contentum in continente vendito, vendens enim dolium vini plenum vino, censetur vendere etiam vinum in eo contentum, licet vinum non nominetur, ergò. Si denique Campanæ non sunt in Ecclesia, neque in eius campanili, vt quia resectæ reperiuntur in Cathedrali, vt consecrentur, tunc non veniunt sub donatione, quia non sunt in vsu proximo illius. Idem dic proportionaliter de mobilibus ipsius Ecclesiæ, vt sunt Calices, paramenta, Tapezariæ, Organum, vasa Sacra, &c.

DECISIO CCLV.

An sequens Decretum contineat formam substantialem.

DVbitatum fuit super hoc Decretum: *Quandòcumque Minister Prouincialis fuerit de Reformatis, tunc Custos mittendus ad comitia Generalia eligatur ex Fratribus de Familia. Et vice versa. Quando Prouincialis fuerit ex Fratribus de Familia, tunc Custos mittendus supradictus sit Reformatus, vt vnaquęque pars vnum vocalem habeat in comitijs Generalibus.* An contineat formam substantialem, an tantum accidentalem? Respondi, continere formam substantialem, non obstante quod decretum irritans expresè non contineat, sufficit enim, quod tacitum decretum irritans includat, tum quia aliter inutile esset, nam possent vocales efficacitèr eligere ambos officiales ex vna tantum parte, & sic frustraretur mens S. Congr. à quo illud emanauit; tum quia in alternatiuis continetur decretum irritans, cum alternatio Ordinis sit de forma, ex Felino in cap. cum dilecta, de rescript. in 6. Tum quia formam substantialem indicat ea dispositio, quæ designat prius esse faciendum vnum, & posteà aliud, Bald. in l. 1. C. Ne liceat tertiò prouoc. num. 8. §. Ex dictis ergò, Felin. cit. Vers. Sextum signum, Garzia, par. 5. cap. 1. nu. 434. Vide Resol. 100. à num. 41. ad 50. vbi multa ad cognoscendum formam substantialem ab accidentali, & sub num. 67. de duplici decreto irritante, expresso, & implicito, quod includitur in supradicto statuto.

DECISIO CCLVI.

An S. Petrus à Christo fuerit creatus Papa, antèquam Apostolis commissa fuerit Prædicatio?

CHristus Dominus primò elegit ex Apostolis Petrum in Summum Pontificem, & deindè, omnibus Apostolis, ac proindè eidem commisit Prædicationem Euangelij per vniuersum orbem, ita quod omnibus indifferenter hoc officium mandatum fuit respectu totius orbis, ex quo non habuerunt distinctionem locorum, nec personarum, quibus prædicarent Euangelium.

De electione prius Petri ad Papatum habetur expresè promissio Matth. 16. num. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues Regni Cælorum.* Hanc promissionem Christus Petro fecit antè passionem suam, vt colligitur ex sequentibus verbis n. 21. *Exindè cæpit Iesus ostendere Discipulis suis*

suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, &c. Hanc promissionem Petro exhibuit post Resurrectionem, quandò tertiò se manifestauit Discipulis, postquam prandeRat cum illis, alloquens illum his verbis. *Pasce agnos meos. Pasce oues meas.* Ioan. 21. num. 15. ad 18. Mandatum verò de prædicando Euangelium per vniuersum orbem ex cap. fin. Matth. Lucæ, & Marci, datum illis fuit paulò antè ascensionem, vt clarius colligitur ex cap. fin. Lucæ à num. 46. ad 52. *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in Cœlum.* Ergò Papatus Petro prius collatus fuit à Christo, deindè datum mandatum de prædicando Euangelio in die Ascensionis. Ita Toletus ad cap. 21. Ioannis facit mandatum prædicationis posterius ad electionem Papatus.

DECISIO CCLVII.

An Parochus non amplius, possit prosequi Officium Confessarij?

SAcerdos quidam remotus ab officio Parochi, seu illi renuntiauit, qui quandò admissus fuit ad curam animarum institutus Rector, non antea erat Confessarius, nec deindè habuit delegatam potestatem, contentus ordinaria ex Officio Curæ, non potest remotus à Rectoria, prosequi munus Confessarij, quia in eo extincta fuit potestas ordinaria administrandi Sacramentis suis ouibus, hoc ipso, quòd remotus, vel renuntiauit Parochiali, sine qua nullitèr Sacramentum administratur. Quare quidam Sacerdos aliàs Rector vocatus in Capellanum à certis confratribus inualidè illorum Confessiones excepit, cum ab Ordinario non petierit licentiam audiendi Confessiones. Ita omnes cum Florono cap. 4. de casib. reseru. §. 12. num. 7. Bonac. p. 4. de Pœnit. §. 1. nu. 24. quos citatos cum alijs sequitur Bossius sect. 3. de Iubilæo, nu. 56.

DECISIO CCLVIII.

An eleemosina taxata à testatore pro Missis dicendis sit augenda ab hærede?

HÆres, seu legatarius, qui legatum acceptauit cum onere faciendi celebrare vnam Missam singulis ferijs secundis, & sic Missas annuas 52. cum stipe assignata duodecim solidorum pro qualibet Missa, debet residuum ad taxam currentem, qui sunt modò 24. solidi, reducere, illud supplendo, quandò non potest inuenire Sacerdotem, qui velit celebrare cum illa minori eleemosina, ratio est, quia legatum semel acceptatum cum onere exequendum est, siue fuerit pingue, siue exiguum, sibi imputet; neque potest minuere numerum missarum, quia id est mutare, & alterare mentem testatoris, quod ad solum Papam spectat. Quarè, aut augendum est stipendium, aut recurrendum ad Sedem Apostolicam pro reductione.

DE-

DECISIO CCLIX.

An liceat vasa sacra emere à militibus?

QVidam Sacrista volebat emere nonnulla paramenta Sacerdotalia, & Calicem, quæ in bello milles abstulerat ab Ecclesia, ego eum remoui ab hac voluntate, nam omnia bona deputata seruitio Ecclesiæ, vt sunt vasa sacra, paramenta, & alij ornatus sunt exempta, & priuilegiata, cum ipsi Clerici sint exempti, cap. 2. de tregua, ergò emens ab ipsis censetur emere à fure. Confirmatur; tum quia bellum est intèr Laicos, ergò bona Ecclesiarum, nec Ecclesiasticorum subiacent periculo belli. Tum quia Duces belli prohibent violentiam, rapinam, & furtum in Ecclesijs, vt fecit diebus præteritis Dux Mutinæ, qui nomine Regis Francorum mouit bellum contrà Cremonenses, qui initio mortis supplicio nonnullos ex suis militibus fures sacrilegos puniuit. Qui igitur etiam Ecclesiastici ab istis emunt suppellectiles Ecclesiarum Cremoënsium etiam pro seruitio suarum Ecclesiarum iniustè contrahunt, & tenentur restituere proprijs Ecclesijs. Vide Sylu. v. Bellum 1. num. 11. §. Tertia, Bonac. de bello §. 3. nu. 18. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 13. §. Sunt autem. Quid dicendum, si paramenta Sacerdotalia sunt alicuius priuati, qui in sua domo habet Oratorium priuatum? Crederem non esse subiecta huic priuilegio, excepto Calice, Patena, Corporale, & Purificatorio, hæc enim, & similia à nullo possunt rapi, eò quòd neq; tangi à Laicis, multò minus auferri, aut rapi.

DECISIO CCLX.

An licitum sit procurare pollutionem, sterilitatem, vel abortum proptèr sanitatem?

DIco proptèr sanitatem, quia apud omnes benè sentientes certissimum est, illa procurantes directè peccare mortalitèr, etiamsi abortus fiat respectu rei inanimatæ, de pollutione constat esse peccatum mortale ex illo communi prouerbio. *Maledictus homo, qui seminat semen suum super terram,* impedit enim iste generationem, ad quam ordinatur semen excisum; & deducitur ex cap. 5 Numer. 2. *Eijciant de castris omne leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo.* Eiectio autem hæc refertur à iure, quod quis habet ad gloriam Paradisi existens in gratia, quam amittit per pollutionem. Idem colligitur ex cap. 6. ad Galat. num. 8. *Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne, & metet corruptionem.* Idest corrumpetur homo etiam quò ad vitam spiritualem animæ, à qua gratia Dei recedet. Procurare sterilitatem, idest impedire, ne mulier habilis ad generationem possit generare, reddendo eam ineptam, sine dubio est mortale, quia deordinatur à generatione, quæ est optimum bonum à Deo inductum, & præceptum. *Crescite, & multiplicamini*, ergò graue est peccatum ponere obicem huic præcepto per sterilitatem. Demùm procurare abortum maius peccatum est, quia semen excisum, & in fœtum conuersum est quid proximius ad effectum generationis, quam seminis procuratio, sed id est peccatum ex dictis, ergò à fortiori, eiectio fœtus siuè animati,

mati,siuè inanimati;confirmatur,quia procurantes sterilitatem, & abortum etiam fœtus inanimati sunt excommunicati ex Bulla Sixti V. incip. *Effrenatam*,quam pœnam Gregorius XIIII. in sua incip. *Sedes Apostolica*, sustulit quò ad sterilitatem, & fœtum inanimatum,ergò signum est euidens,id esse peccatum mortale, sine quo nulla excommunicatio maior incurritur. Valet ergò argumentum ex his, est peccatum pollutio, ergò sterilitas, ergò abortus,quia per hæc impeditur effectus generationis secundùm magis, & minùs remotè. Vide Dianam resol.8. de abortu.

Dico licere abortum, si alio modo non potest recuperari sanitas, quia desperata salute prægnantis videtur impossibile, quòd fœtus incolumis exeat,quia inficitur alimentum ex deprauatis humoribus, quo fœtus erat nutriendus. Contrarium tenet cum multis Diana par.6. tract. 8. resol.37. & par. 7. resolut. 35. de abortu. Neque his obstant, quæ dixi resolut. 45. q.4. & resol. 127. q.5. quia vtròbique locutus sum de muliere luxuriante,cui non licet abortus,quia ex propria culpa se exponit periculo honoris, & vitæ.

Alia duo non licet,quia pollutio est medium intrinsecè malū non cohonestabile per bonitatem sanitatis, sterilitas verò medium valdè remotum, & potiùs voluntarium, quàm necessarium,abstineat enim mulier à copula, si non vult incurrere periculum mortis in partu. Vide quæ dixi de abortu resolut.45.q.4.resol.127.q.5.num.15. & resolut. 141. q. fin. in quibus locis docui non licere prædicta de abortu respectu fœminæ luxuriantis.

DECISIO CCLXI.

An distractio pecuniæ legati Missarum per Confratres fuerit licita?

QVidam Confratres,qui pecuniam cuiusdam testatoris inuestire debebant in aliquam proprietatem idoneam secundùm decreta de celebratione Missarum,quam nihilòminus distraxerunt in ampliatione Ecclesiæ, peccarunt mortalitèr, & incurrerunt pœnas expressas in dictis decretis,quæ sunt, in casu nostro, pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda ab ijs societatibus,qui à die realis acquisitionis pecunias legatas, vel mobilia, statim non deposuerint penes ædem sacram,vel personam fide,& facultatibus idoneam, ad effectum illas inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis adnexum reperitur, ita quod perpetuò inuestita remanere debent; est autem sermo tantùm de oneribus perpetuis. Hanc pœnam incurrunt omnes officiales, & alij, qui concurrerunt ad distractionem pecuniæ.

DECISIO CCLXII.

An Cardinalis miles in bello impunè occidatur?

QVi Clericum,vel Cardinalem aduersarium in bello militantem, vulnerauerit,vel occiderit, modò bellum sit iustum ex parte occidentis,impunè occidit, ac proindè nullam incurrit pœnam,excepta irregularitate; Ratio est, quia pœna excommunicationis, & huius generis supponit peccatum

catum mortale, quale non est homicidium commissum in bello iusto cum sit iustum, & licitum ob defensionem, & recuperationem bonorum, quæ procurat iustè belligerans, vt de communi docent Becan. q.90. de Bello, & Doctores v. Bellum.

DECISIO CCLXIII.

An cognatio spiritualis contrahatur ex Baptismo priuato?

HÆc à Baptizante, & Leuante contrahitur cum tribus, nempe cum Baptizato, Patre, & Matre Baptizati, & non aliter Sess.24. cap.2. Non contrahitur, hæc cognatio ex priuato baptismo, quia in Sacris Canonibus, dum fit mentio de hac cognatione, exprimitur semper de Baptismo solemni, & facto à Parocho, & videre est, tot titulo de cognat. spirit. vbi cap.4. 6. & alibi vocantur baptizati leuati de Sacro fonte, & c.5. de primo pabulo sacrati salis, & in Trident. loco citato, Parochus designatos à parentibus, admittere debet, & non alios, ex quibus colligitur, parentelam hanc non contrahi à leuantibus in Baptismo priuato, maximè cum istorum eleuatio fit quædam solemnitas accessoria solemni Baptismo, & quandò, iura loquuntur, de Baptismo priuato, exprimunt hunc casum sub necessitate, vt fit cap. Super quibus 4. 30. q.4. vbi solus Baptizans contrahit, & non alij. Ita docent Sotus, Suarez, Bonac. Rodriq. Hurtadus, & Sanch. lib.7. disput.62. n.14. quos citat ad hoc cap.2. sess.24. Barbosa num.15. vbi in contrarium citat Nauar. Guttier. Coninch. & Pontius lib.7. cap.40. nu.5. probans primo, quia vbi est spiritualis generatio, ibi etiam est spiritualis affinitas. Dicas, sufficere, si sit in regenerante. Secundò, Baptizans priuatim contrahit, ergò, & suscipiens. Respondeo, illum esse regenerantem, & principalitèr se habere, sine quo non contingit esse Sacramentum, non verò hunc, sine quo potest esse Baptismus, ideò non necessariò sequitur affinitas in accessorio, sicut in principali. Tertiò, cognatio hæc spiritualis inducta fuit iure canonico, quod non distinguit inter priuatum Baptismum, & solemne. Colligitur distinctio ex Canonib. supra citatis.

DECISIO CCLXIV.

An cognatio spiritualis contrahatur ex Baptismo conditionato?

TVnc confertur Baptismum sub conditione, quandò ignoratur, an puer sit Baptizatus, ideò si posteà constat, anteà reuera fuisse Baptizatum, illud secũdum Baptismum reuera non fuit baptisma, quia conditio, si es Baptizatus, ergò te non Baptizo, hunc facit hunc sensum, quod Baptizans non intenderit Baptizare, ergò tunc nulla contrahitur cognatio, nam hæc sequitur tantum ex vero Baptismo, & non ex conditionato, quandò constat, puerum reuera fuisse antè Baptizatum. Quod si post conditionatum Baptismum non potest constare de Baptismo priori, in hoc casu, sicut Baptismum conditionatum habetur pro vero Baptismo, ita cognatio spiritualis habenda est pro contracta ex illius administratione, & leuatione,

donec aliud appareat, nam constat de baptismo ministrato, & dubitatur de conditione, ergò præsumendum est de confectione baptismi, & de secuta affinitate ex illo, conditio enim de præsenti, seu dè præterito, vt in casu isto, non suspendit actum, sed illum producit agens cum illa, vel nihil facit, si alias effectus subsistit, l. Cum ad presens ff. si cert. pet. cap. 2. de baptis. Ita docet Bizozerus de Baptismo c. 6. in fine.

DECISIO CCLXV.

An hæreditas adiri possit antè mortem Testatoris, quandò id expressit in Testamento?

PAulus Religionem ingressurus expressit in suo testamento, vt Titius suus hæres institutus adeat hæreditatem illo primo die, quo recipiet habitum Nouitiorum, & non expectet professionem. Puto Titium, non posse adire hanc hæreditatem, quia testamentum recipit vires suas per mortem Testatoris iuxtà illud Pauli ad Hebr. 9. 17. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est, aliòquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est.* cap. Cum Marthæ 6. de celebr. Miss. l. 1. C. de Sacros. Eccl. Sed Paulus adhuc viuit vita naturali; vt clarum est, nec amo odo dici potest mortuus ciuiliter, quia hæc mors ex communi Doctorum incurritur solum per professionem, quam nondum emisit, ergò virtute huius testamenti, quod adhuc nullas vires habet, Titius non potest adire hæreditatem, vndè prudentur Iudex voluit illi dare præceptum de immissione in possessionem, & tenutam, vt aiunt. Confirmatur id, quia hæreditatis aditio supponit mortem Testatoris, l. Hæres 54. ff. de acquir. vel omitt. hæred. l. Si ex re 28. §. Illud ff. de stipul. seru. ad illud pariter tempus retrotrahitur; hæreditas siquidem non est viuentis, sed defuncti, vel mortui, l. Qui superstitis ff. de acquir. hæred. Quare cum Paulus nullo genere ex dictis mortibus sit mortuus, non poterit Titius eam adire hæreditatem, sed expectare debet professionem. Nec dicas, voluntatem Testatoris maximè expressam, vt est hæc, omnibus modis esse seruandam ex vulgatis iuribus; quia respondet, tunc eam esse exequendam, quandò non est contraria legibus; neque Testator facere potest, ne leges habeant locum in suo testamento, cap. Requisisti 15. de testam. l. Testandi 13. C. de testam. Hæc autem dispositio est contraria supradictis legibus, quæ disponunt testamentum recipere vires suas solum post mortem Testatoris, & hæreditatem non esse adeundam antè illius mortem. Neque placet, quod ait Amicus, hanc dispositionem habere vim donationis inter viuos. Quia non dubitatur de natura dispositionis, cum clarum sit eam esse Testamentum, neque dispositio est per verba tàm generalia, & communia, vt extendi possit ad donationem inter viuos. Præterquamquod donationes faciendas ab ingressuro, & intuitu Religionis debent fieri in bimestri antè professionem iuxtà Tridentinum.

DECISIO CCLXVI.

An Religiosus sit proprietarius in sequenti casu?

RELigiosus, qui de licentia sui Superioris acceptum stipendium pro Missis, insumpsit sine licentia, & Missis non fuit satisfactum, potest sine licentia ex pecunijs ad proprium vsum destinatis illis Missis satisfacere per Sacerdotem extraneum, quandò ipse non potest satisfacere, ratio est, quia eius pecunia vsualis, vt quæ præsumitur confusa cum illa, quam distraxit, subrogatur in locum pecuniæ obligatæ Missis, immò censetur illa propria. Confirmatur, quia illa pecunia non videtur esse in proprietate Monasterij, nisi post Missarum celebrationem. Neque enim per illam licentiam cœpit esse sub dominio Monasterij, ergò nō est actus proprietatis, sed potiùs restitutionis, & satisfactionis Missarum.

DECISIO CCLXVII.

An Capellę rusticę Regularium gaudeant Indulgentijs, sicut Ecclesiæ eorum?

GAudent eorum Grangiæ, & Oratoria publica, ad quæ in villis patet ingressus omnibus, quia in hoc nihil differunt ab Ecclesijs; non verò Oratoria priuata, quia non veniunt sub nomine Ecclesiarum, vndè neque gaudent immunitate, Peregr. cap. 4. de Immun. num. 64. neque alijs priuilegijs, ex adductis per Lezanam par. 4. v. Oratorium num. 5. Tum quia Ecclesijs Regularium Indulgentię sunt concessæ, vt honorentur, & frequententur à fidelibus; hæc autem frequentatio prohibetur in Oratorijs priuatis.

DECISIO CCLXVIII.

An Missa dicenda sit pro eius institutore in dubio?

MArchio N. in suo Oratorio fundauit beneficium simplex, cum onere vnius Missæ quotidianæ, celebrandæ à Sacerdote semper nominādo à suis hæredibus, sed quandò expressit huiusmodi onus Missæ, non adiecit, quòd esset celebranda pro anima sua, neque eius defunctorum, dubitat Sacerdos electus, an debeat applicare illi Sacrificium Missæ. Respondendum est affirmatiuè. Tum quia applicatio Sacrificij est necessariò coniuncta cum celebratione, ita vt absurdum sit celebrare cum praua intentione non applicandi fructum Missæ alicui, cum Missa ex sua conditione sit propitiatoria, satisfactoria, & impetratoria, vt omnes docent, nullo discrepante, cum ergò sequatur fructus applicatio celebrationem, sequitur quoque institutorem ex natura rei; & id clarè deducitur ex verbis, quæ sequuntur immediatè Memento viuorum, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum.* Ex quibus colligitur, cum, qui Missam instituit dicendam, seu qui dedit eleemosinam, statim habere ius ad huiusmodi fructum, siuè exprimat, vt celebretur pro se, aut suis, siuè non, quia huiusmodi applicatio subintelligitur, quæ enim ex natura rei insunt, parum refert, siuè exprimantur, siuè non, quia subintelliguntur, l. Aliquan-

dò 106. ff. de cond. & dem. l. Non recté 3. C. de fideiussor. Tum quia initio instrumenti Marchio dicit, se velle fundare vnum beneficium pro salute animæ suæ, & suorum defunctorum, ergò per hæc verba sufficienter declarat, voluntatem suam esse, vt Missa dicatur pro se, & suis. Tum quia nemo præsumitur iactare velle suum, sed quodam modo suum iactaret, si salarium solueret Sacerdoti celebranti pro extraneis ad suum libitum, & non ad mentem suam. Tum quia fundator præsumitur, sibi velle consulere eo meliori modo, quo potest. Ita Bonac. de Sacram. disp. 4. q. fin. p. 7. §. 2. nu. 13. & 14. Fraxinellus sect. 4. de oblig. Sacerd. concl. 4. §. viij. num. 2. Sextæ editionis, alios adducit Diana par. 7. tractat. 6. resol. 13. contra Marchinum. Itaque Missa semper celebranda est pro eius institutore, quandò non se declarauit, relinquere applicationem Sacrificij in potestate celebrantis, sed rari sunt isti, qui ita liberales sint.

DECISIO CCLXIX.

An legatarius recipiat legatum de manu hæredis minoris cum Decreto Iudicis?

Certum est, legatum esse accipiendum de manu hæredis, est enim legatum donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda. Instit. de legatis §. 1. Difficultas est, an hæres, si sit minor, teneatur solemnitèr cum decreto Iudicis tradere, seu cedere legatum legatario, an verò id facere possit, propria, & priuata auctoritate? Respondetur, non requiri decretum Iudicis, nec alterius auctoritas; probatur; Tum quia alterius iudicium, & auctoritas requiritur tantùm in contractibus, vt colligunt Doct. in Rubr. de auctor. tut. & alibi. Tum quia potest adire hæreditatem propria auctoritate, ex tit. de acquir. vel omitt. hæred. ergò, & soluere legatum. Tum quia hæres est eiusdem potestatis cum defuncto, ac cum ipso eadem reputatur persona, l. Hæredem 60. ff. de reg. iur. l. Cum hæredes, ff. de acquir. possess. l. Hæres, ff. de acquir. hæred. Mar. Anton. lib. 2. resol. 59. casu 16. subdens, id procedere in iure tam actiuo, quam passiuo firmato tempore mortis in personam defuncti ex Aretino consil. 123. per l. 1. C. de hæred. act. Tum quia minor potest alienare sine solemnitate, quandò pater in suo testamento dedit illi hanc licentiam, l. 1. §. Præterea, ff. de reb. eor. l. 1. §. Prædium, C. Quandò decreto opus non est. Afflt. decis. 285. Mar. Anton. lib. 1. resol. fin. casu 44. fine, ergò à fortiori per se potest tradere legatum, immò debet, maximè, cùm sit filius, qui tenetur præ cæteris adimplere voluntatem expressam sui patris. Practicatur aliquandò contrarium, quod tamen non est de iure, sed de vitio auaritiæ.

DECISIO CCLXX.

An moriatur proprietarius ille Religiosus, qui se expropriat tantum coram Confessario?

Religiosus in articulo mortis, Superiori petenti expropriationem circa pecuniam respondens, se nihil habere, moritur proprietarius in peccato mortali, non obstante, quòd Confessario in actu confessionis manifestet

festet se in tali loco habere pecuniam, cum eo pacto, vt illam non indicet Superiori, nisi post mortem, non tamen videtur in hoc casu sepeliendus in sterquilinio.

Primum, quod moriatur proprietarius, probatur, quia irrationabilitèr occultat suo Superiori pecuniam, quod est actus proprietatis, cap. Nolo 10. cap. Non dicatis 11.12.q.1. Ioan. Andr. communitèr receptus in cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. Nauar. consil. 14. de statu Mon. num. 6. licèt ab alio Superiore licentiam habuerit eius antecessore, D. Anton. part. 3. tit. 16. cap. 2. §. 2. Sylu. Religio 6. q. 7. ex Grassio par. 1. lib. 3. cap. 5. num. 48. §. Sed, & in hoc omnes conueniunt.

Secundum, quod non satisfaciat per Confessarium eo modo; probatur, quia expropriatio est manifestatio peculij facta à Religioso coram Superiore, vel alio de eius commissione, sed manifestatio hoc modo non fuit facta, quia non dependet à voluntate Superioris, neque ille actus dicitur propriè expropriatio, sed solùm actus Sacramentalis confessionis, pœnitens enim tenebatur in ordine ad integritatem confessionis se accusare de vitio proprietatis, & indicare locum, in quo pecunia erat occultè reposita, vt posset haberi à Superiore Monasterij, itaque cum hæc manifestatio sit potiùs accusatio sui peccati, ac proindè spectet ad actum Sacramentalem, non potest dici vera expropriatio; quę non est actus pertinens ad Sacramentum, sed ad obseruationem voti paupertatis, moriens non excusatur à vitio proprietatis, nec suo muneri peculium manifestandi suo Superiori satisfacit. Nec quicquam illi prodest commissio, & licentia data ab ipso Confessario reuelandi post eius mortem, & non antè peculium, quia huiusmodi reuelatio non est propriè expropriatio, cum actus expropriationis pertineat ad Religiosum existentem actu talem, & sub obedientia sui Superioris; defunctus autem iam non est ampliùs Religiosus, neque subditus Prælato Regulari, ergò illa reuelatio non potest dici habere aliquem effectum expropriationis. Immò ille Confessarius non debebat, neq; poterat illum absoluere, quia erat impœnitens indignus absolutione, negando Superiori se habere peculium, vndè non tantùm proprietarius perseuerabat, sed etiam mendax fuit, & inobediens suo Superiori quærenti patefactionem peculij. Confirmatur ex infrà dicendis.

Tertiũ de sepultura suadetur, quia, licèt mortuus sit proprietarius, tamen in ordine ad pœnam quælibet causa, etiam irrationabilis, excusat, vt docet communitèr Doctores, maximè cum transgressio non est adæquata, & complera in ratione prohibitionis, immò causa etiam bestialis excusat, Rota vol. 2. decis. 42. num. 35. excusatur ergò ab hac pœna propter illam reuelationem post mortem factam, quęcumque tandem ea fuerit.

Sed numquid excusari potest Religiosus à Superiore non requisitus, si taceat, & soli Confessario manifestet peculium cum eo pacto, vt non reuelet, nisi post mortem? Puto, hunc Religiosum mori proprietarium, quia subterfugit actum expropriationis, qui faciendus est à Religioso formali, & non à defuncto. Deindè expropriatio est actus fori externi, ergò non de-

bet initium habere ab actu Sacramentali. Præterea confessio est ad expiandum peccatum, ergò non debet extendi ad alium actum extraneum. Insuper Sacramentum pœnitentiæ tenditur ad remissionem peccatorum, ergò non debet illud extendi ad subterfugium obedientiæ, & ad operandum contrarium effectum, & ad fouendum vitium proprietatis. Demum confessio debet esse libera à quocumque externo; qui non conducit pœnitentem ad verum propositum abstinendi à peccatis; hoc autem pactum potius dat occasionem permanendi in occultatione peculij, ergò nulla ratione adijci potest in Confessione, immò huius pœnitentis intentio videtur in eo consistere, vt si non moriatur, ne superior veniat in cognitionem sui peculij, consequentèr intendit perseuerare in occultatione,& velle peculium tenere contrà voluntatem Superioris.

DECISIO CCLXXI.

An Religiosus restituere possit titulo eleemosinæ conuertendo illam in opus loci?

Religiosus reddita ratione suæ administrationis habet iniustè apud se notabilem quantitatem pecuniæ acquisitę ex iniqua administratione, conscientia remordente quærit modum secretum restituendi, & ne diutius considerata, tandem intendit satisfacere Monasterio hoc modò. Exponit suo Abbati ab amico recepisse tot pecunias, qui cupit, vt ex illis fiat lampas argentea e.g. petendo, vt dignetur concedere sibi expeditionem talis pij operis amici; qui tamen non vult, suum nomen manifestari alicui. An hac fictione satisfacere possit; ratio dubitandi est, quia Religiosus fingendo se benefactorem illum, mendax est suo Superiori; deindè hoc velle lampadem argenteam est actus proprietatis illicitus Religioso, & si enim Superior in hoc complacet benefactori, non tamen acquiescerèt, si sciret, non extraneum,sed Religiosum ipsum esse hunc benefactorem fictum, cum Religiosus grauatus non dicatur benefacere, sed restituere, Superior augeret furem ad restitutionem. Confirmatur id, quia sicut contractus, cui causam dedit dolus, est inualidus etiam in foro conscientiæ ex allatis à Bonac. de contract. in genere q.1.p.2.§.2.nu.3. Ita & ista dispositio habens aliqualem speciem contractus. His tamen non obstantibus.

Dicò, quod ille Monachus sic restituendo satisfacit suæ obligationi, & etiam excusatur à mendacio, & ab actu proprietatis.

Primum,quod satisfaciat,probatur, tum quia reddit alienum domino suo, quod est Monasterium, à quo rem abstulit; tum licet res eadem numero restituenda sit,quando extat Auth. Hoc nisi, de solut. tamen,quia pecunia solet confundi, & misceri, cum propria, in quo casu perdit individuationem obligationis respectu restitutionis, l. Si alieni nummi ff. de solut. ideò tunc satisfit per æquiualens; nec obstat, quod in pecunijs apud Regularem non distinguitur ratio proprietatis in casu præsenti, cum sint omnes pecuniæ à Religioso possessæ, quò ad proprietatem eiusdem

domi-

domini, nimirum Monasterij, & ideò non dicuntur confundi, nec misceri pecuniæ ablatæ cum pecunijs proprijs; siquidem id non eneruat argumentum, quia adhuc supponi potest pecuniæ confusio, nam alia est pecunia sublata, alia est pecunia, quam Religiosus licitè tenet de consensu Superioris, & hoc sufficit ad perdendum indiuiduationem in ordine ad restituendum eandem rem numero, prætérquamquod pecunia solet expendi, & distrahi, & alia acquiri, proindè non videtur habere adnexam hanc obligationem indiuidualem, nisi fuerit deposita in sacculo, de qua modò non est sermo. Deindè quid vlterius laborare, cum pecunia restituatur. Confirmatur, quia Iudices Regulares conuictos fures non cogunt ad restituendum pecuniam, sed eius loco iubent, vt conficiatur aliquid permanens in Ecclesia, seu in Monasterio.

Secundum, quod excusetur à mendacio, probatur, tum quia fictio rationabilitèr exercita non est peccatum, nam Christus illis duobus Discipulis euntibus in Emmaus finxit se longius ire, & ad id referuntur alia à Becan. de lege Mosayca q.10. num.3. licet dicat esse peccatum, quia est mendacium saltem officiosum, licet ordinetur ad bonum finem, & Christus non finxit animo decipiendi, sed significandi Mysterium, ita Religiosus finxit non animo decipiendi, sed restituendi sine læsione suæ famæ. Tum quia, esto esset mendacium, quod non concedo, tamen si accipiamus huiusmodi inuentionem sub æquiuocatione, secundum quam iste Religiosus intendit æquiuocare iure, & rationabiliter, nimirum, vt sibi præseruet hoc modo loquendi propriam famam, nam si diceret, ego volo impendere hoc beneficium ex pecunijs mihi concessis ad vsum, facile veniret in suspicionem, id non esse merè beneficium, sed potius restitutionem de malè ablatis, & sic non æquiuocando suam famam, & reputationem poneret in probabile discrimen, ideò rationabilitèr æquiuocat in benefactore extraneo, occultè enim, & in corde suo dicit se esse illum benefactorem, dum enim restituit, benefacit, dum vocat se extraneum, non mentitur, sed veritatem dicit, quia furari extraneum est à perfectione Religiosi, ad quam tendere debet, siue ergò æquiuocet, siue fingat modis prædictis, non peccat.

Tertium, quod non sit proprietarius, probatur, quia non disponit contrà voluntatem Superioris, qui annuit petitioni. Nec obstat, quod non annuisset, si palam locutus fuisset veritatem, sed coegisset subditum ad restitutionem pecuniæ; nam prætérquamquod iste Religiosus non tenetur se prodere, l. Nimis graue ff. de testibus c. Quis aliquandò 87. dist. 1. §. His auctoritatibus dist. 1. de pœnit. & ideò id non enacuat difficultatem, nam propositum in mente retentum nihil operatur, l. cum in plures 62. §. Locutor, ff. locat. maximè cum in casu nostro debeat retinèri, ne fama irrationabilitèr proijciatur, consequentèr illa Superioris annuitio, quæcumque illa sit, excludit sufficientèr actum proprietatis, sufficit enim, quod Superior actum sciat, & non contradicat, licet ignoret latens Mysterium, quod non pertinet ad eius

iurisdictionem, Ecclesia enim non habet iudicare occulta. Nec obstat, quod dolus, & deceptio annullent cõtractus, quibus causam dant, quia id verum est, vbi verè dolus, & deceptio reperitur; in casu autem nostro æquiuocatio, seu fictio, aut mendacium officiosum, dolus, nec deceptio est, sed propriæ famæ conseruatio, & modus exquisitus restituendi ad occurrendum suspicionibus prauis de propria persona. Deindè ex dolo, & mendacio sequitur iniustitia parti ex contractu; in casu autem nostro non quæritur iniustitia, sed destruitur per restitutionem.

Ex his patet ad rationes in contrarium, nam ad primam dicitur per illam expositionem benefactoris, Monachum non esse mendacem suo Superiori, cum vtatur fictione, & æquiuocatione rationabilitèr in sensu dicto, quod excludit omne mendacium, & deceptionem. Ad secundam, non facit actum proprietatis volẽdo lampadem, quia vult dependentèr à voluntate Superioris consentientis. Ad tertiam, nullus est hic dolus, aut deceptio, ex probatis, neque ista dispositio habet rationem contractus, nec continet iniustitiam, esto alias esset cum deceptione, quia agitur de restitutione, quæ tantùm abest, vt ponat iniustitiam, quin potiùs illam destruit, ponendo iustitiam.

(∴)

DECISIO CCLXXII.

An restitutio fieri possit Conuentui, à quo res ablata non fuit?

NOn potest, & res clara est, quia restitutio rei fit domino suo, cui damnum illatum fuit, restituere enim est rem ablatam statuere, & ponere in loco, à quo ablata fuit. Sed dubitari potest, quandò idem est Superior plurium Conuentuum, vti Generalis, aut Prouincialis, paritèr idem Abbas, vel Prælatus immediatus Conuentus, & Grangiæ, seu Vicariatus vniti, in quo habet iurisdictionem, an tunc restitutio rei ablatę vni Conuentui, possit fieri alteri, à quo non fuit ablata, nam etiam tunc fit eidem domino, nam est Superior vtriusque Monasterij, sicut enim transfert Religiosos, ita & res eorumdem Conuentuum transferre potest. Sed tenendum est, non posse id fieri sine consensu Superioris, & familiæ alterius Conuentus distincti, & nõ vniti; Ratio est, tum quia id est species alienationis, quę sine requisitis solemnitatibus fieri non potest; tum quia vnum Monasterium non est locupletandum cum iactura alterius; tum quia iste actus cum sit restitutionis nõ excedit conditionem suam, quæ in eo consistit, vt damnum resarciatur læso, quod non fieret, si restitueretur Conuentui non læso. Nec obstant in contrarium allata, quia Superior maior, esto sit Pręlatus plurium Conuentuum, non ideò tamen est immediatus, & absolutus, sed subordinationem habet quò ad res cum Superiore immediato, ad quem spectat alere suos subditos, & ideò sine illius consensu nihil transferri potest. Nec par ratio

tio de personis,& rebus,quia Superiores maiores instituuntur potiùs in ordine ad personas, quàm ad res, nam remouere possunt personas sine præiudicio inferioris Superioris,non verò res, quia præiudicatur victui, & vestitui subditorum. Quandò verò Conuentus est vnitus quò ad res, & personas,tunc tenet restitutio,quia fit restitutio domino proprio, tàm personali, quàm reali, neq; propriè alienatio dicitur,cum non fiat translatio in extraneum alterius dominij.

DECISIO CCLXXIII.

An donatio facta à nondùm ingresso in Religionem intuitu Religionis valeat?

DOnatio facta à quodam puero solemnitèr suo patri antè receptionem habitus, intuitu ingrediendi Religionem,tenet,& valida est, quia si aliqua ratio est in contrarium, maximè, quia facta fuit contrà Decretum Tridentini sess.25.cap.16. requirentis, vt fiat infrà bimestre antè professionem,ea ratione,ne Nouitius suis bonis destitutus cogatur profiteri contrà suam voluntatem, & contrà iura, quæ ad profitendum postulant liberam voluntatem; sed non obstat decretum hoc,neq; libertas; non illud,quia in eo Tridentinum disponit tantùm de Nouitijs actu iam indutis habitu probationis,non autem de volentibus ingredi, cum non sint Nouitij; neque libertas, quia, si non vult manere, & profiteri,recedere potest, recuperando ius ad donata,cùm intelligatur facta præcisè in ordine ad professionem, & secuta professione. Hanc responsionem tenent quadraginta duo Doctores, & quatuor Decisiones Rotæ Romanæ, adiuncta vltima Decisione coràm D. Royas anno 1640. exposita apud Dianam part.6. decis.11. in calce. Quibus adde Lezanam par.1. cap.24. num.34.& Meipsum cap.3.de profess. q.59. itaque sunt 44. Contrariæ partis sunt Doctores vltrà viginti, non quatuor.

DECISIO CCLXXIV.

An Prior peccet mortalitèr, non faciens obseruare Regulam non obligantem sub culpa?

CErtum est, Guardianum Franciscanum non procurantem,vt obseruetur Regula, e.g. ieiunium Veneris, aut Aduentus, quibus Religiosi tenentur sub mortali, peccare mortalitèr, quia particeps est, & cooperatur peccato illorum, cuius grauis vocatur negligentia super hoc, quæ est peccatum mortale in Prælato, gl. v. Reatu, cap. Ea,quæ 3. de off. Archid. & taciturnitas,gl. capit.Sancta 55.2. q.7. gl. taciturnitas, cap. Si Papa 6. dist. 40. Debet enim corrigere excessus suorum subditorum, cap. Vt famæ 35. de sent.excom. vndè non excusatur ignorantia in peccatis subditorum, cap. Quamvis 10. de regul.iur. vndè D.August.ser.16.de Verbis Domini inquit: *Si negligis corrigere, peior eo, qui peccauit,factus es*. Plura Peyrinus de Prælato q.1.cap.7. num.13. & seq. nam delicta subditorum imputantur Superioribus, cap. In tantum 36. de simon. quandò possunt ea impedire, & non impediunt. Difficultas est, quandò non procurat,vt obseruentur ea, quorum

rum obseruatio non præcipitur sub culpa, nam non videtur plus obligari Superior, quàm subditus, qui transgressor existens non peccat. Nihilominus dicendum est, peccare mortalitèr; tum quia ex officio suo tenetur procurare, vt Regula obseruetur in totum iuxta Decr. 1. Trident. sess. 25. vbi id præcipit Superioribus; & D. Aug. relatus cap. Antè omnia dist. 4. ait: *Nihil apud Deum miserabilius, & damnabilius esse, quàm officium mali pastoris in Ecclesia*; Superior enim ex officio suo de iure diuino habet corrigere suos subditos, reducendo illos ad obseruationem illorum, quæ Deo promiserunt, siuè obligent ad culpam, siuè non; & ideò alia est obligatio Superioris, alia subditorum, vt notum est.

DECISIO CCLXXV.

An absolutio data per verbum, Abluo *teneat?*

SI quis absoluat hoc modo, *Abluo te à peccatis*, nulla est absolutio, quia per hoc Sacramentũ remittuntur peccata per modum iudicij, & non alitèr, ex Trident. sess. 14. cap. 2. & 7. quod non indicat illud verbum diuersum habens sensum à verbo, *Absoluo*, indicante iudicium, sine quo originale cum alijs adnexis remittitur per baptismum tantùm.

(∴)

DECISIO CCLXXVI.

An Superior dispensans sine causa in obseruantijs Regularibus ad culpam non obligantibus peccet?

PEccat mortalitèr, si dispensatio fiat super lege Superioris, & prætereà dispensatio est nulla; primum constat, quia non dispensat, sed dissipat, & subditum ponit in discrimen propriæ salutis, intellige si dispensatio cadat super ea, quæ obligant ad mortale; non verò circa alia iuxtà quæsitum; Ratio differentiæ est, quia licèt sit aliqualis dissipatio, non tamen præiudicialis dispensato, vndè remanebit tantum veniale peccatum. Dixi, si dispensatio fiat super lege Superioris, nam super propria lege est solum veniale, quia ei non deest potestas, sed tantùm causa, ideò solùm veniale erit, vt de communiori docent Laymann. lib. 1. tract. 4. cap. 22. §. Quod autem, Sanch. lib. 1. cap. 20. Tambur. tom. 3. disp. 4. q. 9. num. 10. Secundum, dispensatio est nulla à Superiore facta super lege maioris, quia in tantum habet potestatem dispensandi, in quantum subest iusta causa; non enim est verisimile, quod legislator concedat inferiori facultatem dispensandi cum peccato, ergò, quandò dispensat sine causa, ac proindè cum peccato, tunc caret potestate, ergò nihil facit, ad valorem enim cuiuslibet actus requiritur potestas, cap. Cum super, de off. deleg. l. Cum te, C. de donat. ante nupt. Decius consil. 198. nu. 3. Peyrin. de subd. q. 1. §. v. concl. 2. Super propria lege valet, quia illicita actio dispensandi non aufert potestatem legislatori.

DE-

DECISIO CCLXXVII.

Quid sit Actus, & Habitus in Peccato?

Peccatum diuiditur in Actuale, & Habituale. Actuale consistit in illa actione transeunte, & non permanente, atque vocatur transgressio, per quam homo dicitur peccans, seu committere peccatum, de quo intelligitur illud Iob. *Peccantem me quotidie, & non pœnitentem timor mortis conturbat me.* Habituale verò est illa macula, seu culpa, quæ in homine relinquitur post commissum peccatum, quem denominat non peccantem, sed peccatorem, Lucæ 5. 8. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* & de Magdalena ibidem cap. 7. 37. dicitur, *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* De hac macula fit mentio pluries in Sacra Scriptura, pono exemplum ex Iosue 22. 17. *Vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Macula est turpitudo, & deformitas animæ auersæ à Deo per peccatum. Dicit autem duplicem respectum, vnum ad actuale peccatum, cuius est effectus, in quo sensu tam mortale, quam veniale macula est, cum sit effectus actus vtriusque, atque dici potest propria cuiuslibet peccati actualis, à qua denominatur blasphemus, fur, concubinarius &c. iuxtà conditionem actus, & obiecti circumstantiam; Respectus verò alter est ad gratiam, cuius est priuatio huiusmodi macula, ratione cuius respectus macula habet locum tantummodò in eo, qui de iusto fit peccator, perdendo gratiam, quam habebat. Macula autem non est offensa, nec iniuria, sed ex peccato hæ sequuntur; nam offensa dicit inimicitiam, & defectionem à Deo. Iniuria consistit in eo, quod homo liberè se auertendo à Deo violat iustitiam, qua tenetur Deum diligere, & illum non offendere.

Peccatum actuale ratione suæ malitiæ, non solum causat culpam, seu maculam, offensam, & iniuriam contra Deum, sed etiam producit alios duos effectus Reatum pœnæ, & Pœnam ipsam. Reatus pœnæ est obligatio subeundi pœnam orta ex peccato, ita Schol. cum Magistro in 2. dist. 42. & in 4. dist. 14. Pœna autem vltimum proueniens à peccato est duplex; Damni, quod est carentia diuinæ visionis; & sensus, quod est pati ab igne in Inferno. Peccatum actuale in ratione actus transit, ideò non dicitur tolli per pœnitentiam, sed tantum eius effectus remanentes post ipsum, nimirum culpa, seu macula, item & reatus ad pœnam æternam, quæ commutatur in temporalem soluendam in hac vita, & in Purgatorio; destruitur pœna damni per pœnitentiam, sicut macula, & reatus quò ad obligationem perpetuam; solum igitur remanet obligatio ad pœnam sensus, quæ & ipsa tolli potest etiam in totum, si vehementissima sit contritio, & dilectio erga Deum, immò per actum contritionis, seu absolutionis semper aliquid pœnæ aufertur. In prædictis omnes conueniunt.

(∴)

DECISIO CCLXXVIII.

An Baptismum inscio collatum teneat?

ILle minister inualidè baptizat, qui confert Baptismum cuidam adulto, ignoranti pœnitus, quid sit hoc remedium, licet non ignoret hanc actionem fieri circà se; ratio est, quia ad valorem Baptismi requiritur intentio ex parte baptizandi, vt docent omnes cum Bonac. de Bapt. q.2. p.6. num.15. Quæ est triplex; habitualis, virtualis, & actualis, quæ in hoc conueniunt, quod dicunt cognitionem huius Sacramenti petiti ab eo, qui est baptizandus, habitualis censetur esse in eo, qui post petitum Baptisma cadit in amentiam, vel dormiens, seu ebrius baptizatur. Virtualis in eo dicitur esse, qui iuit ad Ecclesiam, vt baptizaretur, sed in actu mentem habet distractam, & non aduertit ad ablutionem Sacramentalem; ille vero dicitur habere actualem, qui aduertit ad Mysterium, quod circà ipsum fit. Intentio igitur necessaria est ad valorem Baptismi saltem virtualis, aut interpretatiua, ex Concil. Cartag.3. can.34. Arauxican. primo can.12. Scholast. in 4. dist.4. & 6. cap.3. de Bapt. sed iste nullam ex dictis intentionibus habuit, vt notum est, ergò Baptismum non habet.

DECISIO CCLXXIX.

An viricidium, sicut vxoricidium inducat impedimentum dirimens Matrimonium?

CRimen homicidij inducit impedimentum dirimens Matrimonium inter illos, qui machinati sunt mortem secutam alterius coniugis eo fine, vt eo mortuo contrahant ad inuicem, quod verum est, siue homicidium sit viricidium, quod negant Victoria, & Ledesma contrà communem, quam sequitur Sanch. libro 7. disp.78. nu.8. Bonac. q.3. de matrim. p.6. num.5. siue vxoricidium, quod posterius omnes concedunt decisum cap.1. cap. Super hoc 3. cap. Significasti 6. de eo, qui duxit, & cap. Si quis viuente 5.31. q.1. cap.1. de conuers. infidel. in quibus duobus locis postremis, fit mentio exprèsse etiam de vxore, cuius causa secutum fuit viricidium. Quarè assertum illorum improbabile omninò est, & falsum, cum lex extet in contrarium. De alio crimine, quod est adulterium dixi decis.94.

DECISIO CCLXXX.

An Regulares vendere possint vicino iure Satuti Ducalis sine licentia Apostolica?

OCtauius Farnesius Dux Parmæ, &c. edidit Statutum super vnione Terrenorum Parmensium, quo vicinus vicinum prouocare potest, & cogere ad vendendum prædium, vel quid aliud existens in medio suorum prædiorum, & hoc statutum approbauit Episcopus Ferdinandus pro Ecclesiasticis, vt videre est in eo subscripto ab Episcopo, & Alexandro Principe die 28. Ianuar. 1575.

Regulares Parmenses in dicto statuto comprehenduntur. Tum quia Episcopus sua subscriptione approbauit illud pro omnibus Ecclesiasticis, ac

ac proindè pro Regularibus, qui licet non dicuntur subditi Episcopi, intellige, quò ad odiosa, possunt tamen dici subditi, quò ad fauorabilia, inter quæ computatur hoc statutum, est enim illud fauorabile Regularibus, quatenus prouocare possunt, & cogere auxilio Iudicis Laicum ad sibi vendendum prædium, &c. afficit igitur statutum Regulares, non solum actiuè, quatenus suam conditionem meliorare possunt, sed etiam passiuè, id suadente ratione, & quia relatiua non iudicantur ad imparia, l. fin. de acceptib. l. Si quis seruo ff. de furtis; & quia iustitia dictat, vt si ego possum per hoc statutum cogere vicinum ad mihi vendendum, ipse etiam possit me cogere ad similem venditionem propter idem ius commune vtrique; nec ex hoc, quod cogor, propriè id habet rationem odiosi, quia mihi onerosum est habere prædiolum in medio prædiorum vicini, vndè vnum pro altero compensatur, & prætereà mihi vendenti est maximæ vtilitatis, quia vltrà pretium, recipio decem pro quolibet centenario, si pretium ortum est mille, si excedit, tenetur pars ad quindecim pro centenario. Sufficiens ergò est Episcopi approbatio etiam pro Regularibus; ex quo prudentèr in extremis verbis statuti habentur hæc verba. *Delle persone Ecclesiastiche*, quò ad approbationem. Tum quia per Regulares practicatur, ergò illos afficit. Tum quia illud videtur confirmatum per indultum Gregorij XIII. incip. *Vniuersorum*, quod extendi Resolut. 62. qu. 19. quo Papa confirmat omnes alienationes, & contractus iustos inter Ecclesiasticos, & Laicos, & deinceps celebrandos de licentia Episcopi, vel eius Vicarij Generalis, modò prædium alienandum, quò ad fructus non excedat pretium scutorum quinquaginta aureorum de camera annuorum, illud autem datum fuit anno 1581.

Difficultas autem, prout proponitur, in eo consistit, an quandò Regulares coguntur virtute huius statuti vendere, illis necessaria sit licentia S. Congreg. iuxtà illius Decretum prohibens Regularibus alienationes quascumque extensum à me tomo 1. resolut. 27. & difficultatem videtur augere clausula posita in cap. 1. dicti statuti ducalis his verbis. *Approuando però il presente Decreto, nei casi, che concernono l'interesse delle Chiese, persone Ecclesiastiche, & altri luochi pij narrati di sopra, l' Illustrissimo, & Reuerendissimo Vescouo, ò suo Vicario Generale, ouer confermandolo sua Santità, se sarà bisogno, & non altrimenti.* Confirmatum fuit ab Episcopo Ferdinando, non autem à Papa pro Regularibus, cui immediatè sunt subiecti, ergò Regularibus non suffragatur, consequenter sine licentia Sedis Apostolicæ non possunt alienare.

Respondetur, iste casus non comprehenditur sub Decreto S. Congreg. quia leges prohibentes alienationes loquuntur tantum de alienationibus voluntarijs secundum Doct. in l. 1. ff. de fundo dotali, l. Alienationes ff. famil. erciscundæ; in casu autem præsenti alienatio non est voluntaria, sed necessaria necessitate huius statuti ducalis, quo se subiecerunt Ecclesiastici. Neque obstat clausula eiusdem statuti Ducalis, quia approbatio Episcopalis, aut Papæ refertur ad editionem

nem illius statuti, in quantum ad dandum illi esse, & quatenus debet esse commune Laicis, & Ecclesiasticis, & approbatio Episcopi interfuit pro omnibus Ecclesiasticis, per quam comprehensi fuerunt omnes sub illo; Dux enim benè sciebat, se non posse statuere respectiuè ad Ecclesiasticos, & quia statutum non poterat sortiri debitum effectum, ideò Episcopus pro Clero vtroq; concurrit ad editionem illius statuti. Illa igitur approbatio non extenditur ad executionem, idest ad alienationem, sed restringitur ad statuti editionem. Nec refert, quod non constet de approbatione Papæ pro Regularibus, quia suprà patet, sufficere approbationem Episcopi pro omnibus Ecclesiasticis; & si esset necessaria Papæ approbatio, videtur intercessisse interpretatiuè ex sequenti indulto Gregorij XIII. de quo suprà. Immò ex eo quòd non constat expresè, illud approbatum fuisse à Papa, præsumendum est, non fuisse necessariam, vt videtur insinuari ex illis verbis: *Se farà bisogno, & non altrimenti*, idest, petatur approbatio à Summo Pontifice, si erit necessaria, *& non altrimenti*, idest non petatur, si non erit necessaria. Quarè cum non constet de petitione, inferendum est, eam non fuisse necessariam, sed suffecisse Episcopi consensum pro omnibus.

(∴)

DECISIO CCLXXXI.

An indultum Parmensibus à Papa concessum contrahendi cum Clericis sit vniuersale?

GRegorius XIII. in sua Bulla incip. *Vniuersorum*, indulsit Laicis Parmensibus contrahendi cum Ecclesiasticis super bonis, quorum fructus annui non excedunt summam quinquaginta aureorum de camera, coram Vicario Generali; quam extensam habes in meo 2. tomo, resolut. 62. q. 19. Dubitatum fuit, an illud locum habeat respectu cuiuslibet speciei alienationis, quibusdam illud restringentibus solum ad contractus liuellarios. Sed gratis dubitant, quia expresè ex eius tenore colligitur, indultum loqui de omnibus speciebus alienationis, nam in eo ita disponitur. *Nunc, & pro tempore existenti Episcopo Parmæ, seu eius Vicario Generali in Spiritualibus, vt quascumque alienationes, permutationes, liuellos, emphyteutes, ad longum tempus locationes, affrancationes, cæterosque contractus, cuiuscumque generis, etiam cum pacto refrancandi, & clausula: Cui, vel quibus, & alijs promissionibus quibuscumque, dummodò bonorum, quæ in futurum alienabuntur redditus annuum valorem quinquaginta ducatorum auri de camera prædicti non excedant.* Res est clara, & id confirmatur, quia in extra. *Ambitiosæ*, certum est prohiberi quascumque alienationes, & in specie venditiones, quæ proprijssimè alienationes sunt, & tamen de hoc termino nulla fit mentio, ergò è contrà, vbi conceditur alienatio ijsdem verbis concepta, ibi comprehenditur etiam venditio, cum venditio sit potissima species alie-

alienationis, cap. Nulli 5. de reb. Eccl. non alien. In Bulla autem Gregorij conceditur alienatio ijsdem terminis, quibus prohibetur in extrauaganti.

DECISIO CCLXXXII.

An in processionibus Regularium possit interuenire Parochus cum Pluuiali?

DIxi resolut. 7. num. 135. quod Regulares non possunt ducere processiones extrà suos Conuentus, quia territorium non habent. Deindè resolut. 52. tom. 2. num. 176. tenui, Regulares posse funus ducere extrà suum Conuentum de suo Religioso mortuo. Processiones sunt in duplici differentia, aliæ voluntariæ, & hæ non possunt fieri per Parochiam, iuxtà diuersas responsiones. Aliæ sunt necessariæ, vt quæ fiunt ex instituto Societatum, seu Confraternitatum Rosarij, Centuræ, Cordæ, &c. & de his licentia à nullo est petenda, si fiant circà Ecclesiam propriam. Et intèr has singulis annis fit vna alijs celebrior, & ideò extensior etiam per Parochiam, de qua non est petenda licentia, quia Papa concedendo erectionem Confraternitatis, & eam approbando Episcopus, simul etiam concedunt primò licentiam faciendi huiusmodi processiones ordinarias, & necessarias, dans enim esse dat consequentia ad esse, ex vulgatis iuribus.

Respondeo ad principale, Curatus dando licentiam Regularibus ducendi processionem per suam Parochiam, non ideò acquirit ius incedendi in ea cum pluuiali; tum quia ex diuersis non fit illatio, aliud enim est dare licentiã faciendi processiones, aliud in ea incedere cum quadam præeminentia, & solemnitate. Tum quia delatio stolæ est actus auctoritatis, & iurisdictionis; Parochus autem nihil iurisdictionis, & auctoritatis habet respectu Regularium, vt notum est, ergò neque in hoc casu; Tum quia Parochus cum stola associando cadauer suæ Parochiæ ad Ecclesiam Regularem, in qua illud sepeliendum est, non potest absoluere funus intrà Ecclesiam Regularem, vt certi iuris est, ex allegatis resolut. 51. num. 63. ergò multò minùs id facere potest in processionibus, quæ extraneæ sunt ab officio Parochi magis, quàm prosequi funus sui defuncti. Demùm nullo iure conceditur id Parochis, cum non sit ius Parochiale processio ad eum non pertinens.

DECISIO CCLXXXIII.

In quo consistat Sodomia non consumata?

CAsus reseruatur sub his verbis: *Sodomia cum masculo, vel fœmina tàm actiua, quàm passiua etiam non consumata.* Illa autem est Sodomia perfecta, & consumata, quæ causatur per intromissionem membri virilis intrà vas stercorarium, ibidem semine emisso; itaque duo sunt necessaria ad consummationem sodomiæ, vnũ est, quod masculus suo membro virili, non digitis, penetret intrà dictum vas; alterum est, quod intrà illud vas emittat semen, non vrinam. Ex his colligitur, sodomiam non consumatam dici illam, quæ caret seminatione intrà dictum vas, licèt masculus cum mẽbro virili penetrauerit, sola igitur penetratio

tio dicitur sodomia non consumata inducens casum reseruatum, siuè deindè seminet, siuè non, siuè intrà, siuè extrà, parum refert, quò ad reseruationem, nam seminis emissio non inducit reseruationem, sed sola penetratio. Non afficitur hoc casu, qui se polluit manibus alterius, vel etiam tangendo, amplexando, vel perfricando membrum extrà, vel circà vas prædictum, quia isti actus accidunt sine penetratione, quamvis ea perfricatio circà vas innaturale dici possit actus sodomiticus, non sodomia. Est communis doctrina cum D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 8. Mazuchell. disp. 2. de casib. reser. Mediol. cap. 22. dum dicit, definiri, sodomiam esse coitum intèr personas eiusdem sexus in vase indebito, noster Cottonus v. eodem in summa Dianæ dicit, quòd est actus libidinosus consumatus intèr masculos in vase nō naturali; ego resol. 48. num. 10. Sodomia est seminatio intrà vas personarum eiusdem sexus. Communitèr dicunt, mixtionē masculi cum fœmina in vase præpostero non esse propriè sodomiam, sed mulieris abusum. Itaq; nè peccatores reseruationem eluderent, facta fuit reseruatio sub dictis verbis, alitèr, vbi non exprimitur ea limitatio, reseruatio non habet locum in eo, qui penetrauit, & tempore emissionis seminis, retraxit membrum; ne incurrat reseruationem; neq; dicitur fieri fraus legi, quia lex non vlterius loquitur, sed contenta est afficere actum consumatum.

DECISIO CCLXXXIV.

An licentia absoluendi à reseruatis cesset morte Episcopi?

QVidam Confessarius obtinuit à Vicario Generali licentiam absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, sine vlla temporis limitatione, Vicarius amotus fuit ab officio, & posteà obijt Episcopus. Capitulum sede vacante eosdem confirmauit tàm Episcopales, quàm editos, & additos per Vicarios Apostolicos, declarando, quinam sint. Dubitatur an adhuc vigeat huiusmodi licentia? Videtur, quòd non; tum quià huiusmodi confirmatio videtur noua editio casuum, per quam omnibus Confessarijs de nouo aufertur facultas, si quam anteà habebant. Tum quia iste Confessarius prætendens, se adhuc habere hanc licentiam, nunquam habuit cognitionem de certis casib. additis, vtebatur enim tabella antiqua typis expressa ex ordine Episcopi, ergò neq; illorum respectu vmquam habuit licentiam, nam licentia, cum sit quid odiosum, restringenda est ad expressa tantùm, & ad casus petitos, intèr quos non comprehenduntur additi. His tamen non obstantibus.

Dico, talem Confessarium adhuc sua licentia vti posse, non solùm respectu casuum primo reseruatorum, sed etiam respectū additorum; Probatur, quia licentia sine temporis limitatione simplicitèr concessa perpetuò durat, donec expressè reuocetur, cap. Si delegatus §. 1. ff. de off. deleg. in 6. vndè Bart. l. More maiorum, ff. de iurisd. om. iud. cum alijs, Graff. tom. 2. consil. 1, diff. 1. de pœnit. num. 6. dicit in proposito,

posito, reuocationem non contingere per mortem, sed per actum contrarium priori voluntati, de quo hactenus non constat. Ad rationes dubitandi; ad primam, non esse nouam editionem, sed veterum casuum confirmationem, & declarationem, vt expressè patet in tabella, in qua fit mentio de confirmatione casuum tàm Episcopalium, quàm Vicariorum Generalium Apostolicorum, exprimendo vtrosq; ad tollendam equiuocationem, & dubitationem, quinam sint casus reseruati Antecessorum. Ad secundam, parum refert, quod is Confessarius antea ignorauit casus additos, quia Vicarius antecessor præsentis Confessario huic concessit omnes casus reseruatos, ergò & hos additos, nam petijt in genere absoluendi facultatem à casibus sibi reseruatis, illi autem Vicario Generali, qui gratiam fecit, reseruati erant non solùm editi ab Episcopo, sed etiam additi per Vicarium Apostolicum, ergò obtinuit omnes prædictos. Sicut enim possum obtinere facultatem absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, quos nondum legi, ita possum petere licentiam super omnes indifferentèr, quamvis aliquorum cognitionem non habeam.

DECISIO CCLXXXV.

An Superior Regularis ingrediatur in omnes Congregationes Confraternitatum suæ Ecclesiæ?

SVperior Regularis potest, immò debet, ingredi in omnes Congregationes Confraternitatum erectarum in sua Ecclesia, & in eis habere votum, quod suadetur. Tum quia Superior Regularis est earum institutor, & erector, vt colligitur ex Bullis Pontificijs concedentibus huiusmodi facultatem Regularibus, & habetur ex Bulla Clem. VIII. incip. *Quæcumq; à Sede*, de anno 1604. ergò tamquam caput interesse habet in omnibus negotijs Confratriæ. Tum quia in Congregationibus huiusmodi agitur de spectantibus ad Confratres in ordine ad Ecclesiam, in qua Societas est erecta, ergò interesse debet, ne quid contra propriam Ecclesiam statuatur. Tum quia ad Superiorem Regularem spectat confirmare eorum officiales, cum in illis sit caput, ergò illis interesse, vt benè peragantur.

DECISIO CCLXXXVI.

An consuetudo retinendi Banchum cum Bacili, aut Capsula ad excipiendas eleemosinas teneat?

IN Bulla citata præcedenti decisione habentur ea verba. *Remotis tamen mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt*. In ea datur licentia excipiendi eleemosinas oblatas, prædictis remotis, tamen hic Bulla quò ad hanc remotionem non fuit recepta, cum Confratres semper prosecuti fuerint exponere mensam in suis festis principalibus, & recipere eleemosinas pro expensis Societatis, Episcopis, & alijs non contradicentibus. In Synodo Parmensi sub Pompeio Cornazano felicis memoriæ prædicta conceduntur de speciali licentia Episcopi, vel eius Vicarij, vt videre est

tit. 11. Quarè cum in omnibus Confraternitatibus huiusmodi mensa sternatur assistentibus officialibus, censetur legitima consuetudo, nec ab vllo vituperatur, sed laudatur. Et hæc consuetudo in dicta Bulla non reprobata facilè comprobatur, cum luce clarius appareant huiusmodi mensæ, & capsæ, & non deijciantur, nec prohibeantur.

DECISIO CCLXXXVII.

An homicidium sequens sit voluntarium?

DVo rixantur ad inuicem, & vnus habens formalem intentionem non occidendi, pugione inuerso percutit alterum, & indè sequitur mors. Non dicitur homicidium voluntarium, sed tantum casuale, & ita iudicandum est in vtroque foro. Probatur ex differentia vtriusq; homicidij, nam voluntarium dicitur illud, quod sequitur ex intentione occidendi, casuale verò, quod sequitur ex facto sine intentione occidendi. Hanc differentiam ponunt omnes, cum D. Th. 2.2. q.64. art. fin. vbi Sanctus ex Aristotele probat illud dici casuale, quod præter intentionem accidit, & ideò ea, quæ casualia sunt, simpliciter loquendo, non sunt intenta, nec voluntaria. Explicat Nauar. cap. 27. n. 240. Illud dici homicidium voluntarium, quod est volitum in se, saltem æquipollenter, quod dicit ad includendum illud, quod non est quidem intentum, seu volitum in se, sed in causa adeò propinqua morti, vt moraliter vix sint patibilia, velle illam causam, & nolle occidere, cuiusmodi sunt nolle occidere, & tamen propinare venenum; quod scit esse mortiferum, vel ferire ense punctim circa præcordia, vel circa caput etiam cæsim. Itaque homicidium voluntarium duplex est; voluntarium in se, & ex proposito formali, quod intenditur directè ab interfectore; & voluntarium in causa, quod sequitur ex facto per se, & immediatè ordinato ad occisionem; licet agens non dirigat suam voluntatem ad homicidium. Ex quo sequitur ad homicidium casuale non sufficere, vt agens careat intentione formali occidendi, sed præterea requiritur, ne quid agat, ex quo immediatè, & directè potest sequi homicidium. Et in hoc puto omnes Doctores conuenisse, quos citat Diana part. 4. tract. 2. resolut. 72. part. 5. tract. 4. resolut. 46. Riccius part. 2. resolut. 407. Portellus in summa v. Homicidium. Item p. 1. Respon. casu 7. n. 3. & tom. 2. Responsi. casu 89. Ego resol. 13. nu. 9. in ordine ad irregularitatem, & resol. 49. de casu reseruando in Religione, & resol. 56. num. 112. Obseruo autem, quod sub nomine homicidij voluntarij sine alio addito propriè venit homicidium factum ex industria, & ex proposito, in pœnalibus; secundariò venit homicidium voluntarium ex causa, vt colligitur ex Doctoribus citatis à Barbosa super cap. 7. sess. 14. Vndè hic Patriæ non est reseruatum, nisi homicidium voluntarium ex proposito, quale non est commissum in rixa.

Ad nostrum propositum. Homicidium voluntarium, & non casuale est illud, quod intenditur in se, & ex proposito, vel in causa, cum scilicet, quis facit aliquid, ex quo proximè sequitur homicidium, tamquam ex aliquo

aliquo ordinato ex se ad homicidium, vt patet ex dictis, sed in casu nostro percussio facta illo modo, pugione inuerso, non ordinatur proximè, & per se ad homicidium, vt patet, quia pugio non per partem manualem, sed per cuspidem, est instrumentum, quod potest ferire ad mortem, ad quam ordinatur, ergò homicidium sequens non est voluntarium in se, vt patet, nec id controuertitur; neque in causa, quia talis modus percutiendi non est causa proxima, sed tantum remota respectu homicidij, ergò remanet, quod sit tantum casuale. Confirmatur id ex ijs, quæ habet Portellus tom. 1. Respons. p. 1. casu 7. per totum, vbi dicit pugione percutientem, etiam cuspide, non commisisse homicidium voluntarium iuxtà ab eo dicta.

Prædicta locum habent, vt dixi, in vtroque foro, & quidem in foro conscientiæ res clara est ex testimonio conscientiæ eius, cui casus accidit, homo enim apud Deum non inculpatur de aliquo peccato, nisi præuiderit illud futurum, & à fortiori in casu nostro, in quo formaliter mors non intenditur in se, neque in causa, quæ de se non ordinatur ad mortem. Pro foro externo suadetur, quia ex modò percutiendi inuerso pugione benè colligitur, eius intentionem fuisse non occidendi, sed tantum deterrendi illum, & compescendi altercantis superbiam, & tumorem. Nec obstet, quod dicitur, protestationem contrariam facto non releuare protestantem, quia id intelligitur de facto efficaci, & per se ordinato ad destructionem antecedentis protestationis.

DECISIO CCLXXXVIII.

An Sacerdos Regularis teneatur celebrare Missas sibi designatas, quandò moratur extrà?

Abbas singulis Sacerdotibus suis distribuit onera Missarum relinquendo eisdem bis in hebdomada libertatem applicandi ad libitum. Modò Sacerdos, qui recreationis gratia manet extrà per mensem apud consanguineos, aut amicos tenetur adhuc celebrare, & satisfacere oneri sibi imposito, quia hoc onus est personale, ideò sequitur eius personam, quocumque eat, dum Abbati huic est subditus, ita quod illis diebus non potest recipere eleemosinam manualem, & aduentitiam celebrando pro alijs diebus designatis, sed adhuc tenetur celebrare iuxta præscriptum sui Abbatis. Nec illi fauet, quod Abbas non videatur posse obligare suum subditum extrà conuentum morantem, ea ratione quod obligationes sint annexæ intrà propriam Ecclesiam ac proindè Abbas non possit mutare mentem Testatoris, qui in suo testamento expressit, Missam esse celebrandas in tali Ecclesia, immò designando tale Altare. Quia respondetur primò designationem Ecclesiæ referri ad Monasterium, quod specificatur ab Ecclesia, non autem ad ipsam obligationem celebrandi in tali Ecclesia, quia notum est apud omnes, celebrationem Missarum Regulariter fieri tantum in Ecclesijs. Secundo siue sit designata Ecclesia, seu eius aliquod Altare, tunc Sacerdos extrà celebrans satis-

facit suæ obligationi, & menti testatoris; nam interrogatus respondisset, se esse contentum, vt in eo casu satisfiat extrà Altare assignatum, ita colligitur ex Decio consil. 227. num. 11. ex Signorolo consil. 183. num. 10. quos refert Bariola consil. 14. fine, vbi dicunt, quòd testatoris dispositio extenditur ad eum casum, de quo verisimilitèr disposuisset, si cogitasset, quod Praxis Neapol. Genuens. cap. 57. num. 16. deducit ex l. In testamentis, ff. de cond. & dem. l. Cum in testamento, ff. de reb. dub.

DECISIO CCLXXXIX.

An secularis indui possit habitu Religionis sine approbatione Capituli Prouincialis?

IN meo ordine recipere informationes volentium ingredi spectat ad Superiorem localem cum suo Conuentu, ex cap. 8. Regulæ, quibus receptis Nouitius interim de licentia Prouincialis potest transmitti ad Nouitiatum, dummodò antè professionem receptæ informationes approbentur in Capitulo, vel Congregatione eiusdem Prouinciæ, cuius est Conuentus Nouitij recepti. Hæc probaui tom. 1. resol. 29. q. 2. num. 6. ad 10. Immò si iuuenis non excesserit sexdecim annos, receptis informationibus sine vlla approbatione Capituli, vel Congregationis, non solùm potest vestiri habitu, sed etiam finito probationis anno recipi ad professionem, quia Sixtus V. requirens huiusmodi informationes in Capitulis loquitur de maiorib. sexdecim annis, vt docui ibidem num. 9. & iterùm tom. 2. resolut. 54. num. 8.

DECISIO CCXC.

An à militibus emi possint spolia in bello rapta?

SPolia capta in bello iusto, per militem formalitèr talem, emi possunt à quovis, etiam vili pretio, modò non sint bona Ecclesiarum; Ratio licitæ emptionis est, quia in bello facta sunt propria occupantium militum, ergò, cum miles sit eorum dominus, cuilibet vendere potest, ex communi Doct. apud Bonac. de Bello num. 14. etiam vili pretio emi possunt, quia merces vltroneæ vilescunt. De bonis Ecclesiarum dixi suprà decis. 259. Dixi, *per militem formalem*, quia qui non est descriptus miles, sed se cum illis coniungit ad deprædandum, iste miles non est, sed fur, & raptor. In bello iusto, quia, si constat de iniustitia belli, miles non facit suum, quòd aufert; ideò emi iustè non potest.

DECISIO CCXCI.

An quis seipsum eligere possit ad Prælaturam?

ACcidere potest id tribus modis; primò in concursu cum alijs electoribus, dando sibi vocem; secundò in compromisso; quandò compromissarius eligit seipsum; tertiò, quandò omnes de Collegio mortui sunt prætèr vnum, & electio facienda est de vno Collegij, & tunc eligit seipsum. Quæstio ergò est, an his tribus modis possit quis seipsum eligere?

Nemo potest eligere seipsum in quovis casu ex illis tribus, vel alijs excogitabilibus, alitèr electio est nulla.

Pri-

Primum probatur; Tum quia nemo oritur à seipso secundùm ordinem naturæ, cap. Didicimns 31.24. q.1. ergò neque secundùm ordinem moris, moralia enim sicut ars imitatur naturam, §. Minorem, Instit. de Adeption. Nauar.consil. 4. de cognat. spirit. Tum quia, vbi agitur de datione, & receptione, debet esse distinctio personarum intèr dantem, & recipientem, vt patet, tàm in naturalibus generantibus, & genitis, quàm in moralib. quia nemo potest seipsum præsentare, quãtumcumque sit idoneus, cap. Per nostras 26. de iurepatr. cap. Cum ad nostram 7. de institut. ex ratione Philosophica, quia relatio necessariò intercedit intèr extrema. Tum quia nemo debet sibi honorem sumere, sed tantùm vocatus, Paulus ad Hebr. 5. Tum, quia per electionem acquiritur potestas iurisdictionis, quam nemo sibi dare potest. Tum quia in Sacra Scriptura nullus reperitur electus à seipso, nam Christus missus fuit à Patre, Christus elegit Apostolos, Apostoli elegerunt Stephanum cum alijs, &c. ergò nullus potest eligere seipsum.

Secundum, quòd electio sui ipsius attentata sit nulla, videtur efficacitèr colligi ex primis duobus argumentis, quia, vt dixi, nullus oritur à seipso nec licitè, nec validè, ergò neque quis licitè, nec validè eligit seipsum. Et sicut intèr seipsum non datur medians relatio realis, ita neque dari potest electio realis, alitèr attentata nulla est, nisi ens rationis. Ita docet glosa in fine, cap. Cum in iure 33. de elect. quia electio dicitur facta à minore parte, & ideò nulla ex cap. Audistis 29. cap. In Genesi 55. eod. Sed hæc ratio nòn placet, quia aliquandò electio obtinet nõ solum maiorem partem, sed totum Capitulum consentit in electum, ideò eius votum sibi datum non videtur infringere electionem ex hoc capite. Et ibidem, & in cap. Cumana 50. eod. dicit Glos. v. ad maiorem partem, quod persona electa non connumeratur intèr electores, nec eorum numerum auget. Quarè quandò in electione proceditur per globulos, persona proposita non concurrit; vtiq; verò cum proceditur per schedulas, sed tunc prætendens electionem dat votum suum tertio, & sic duo recipiunt vota. Non valere electionem de seipso factam iuribus, & Doctoribus allegatis docet Sigism. dub. 24. §. Dico secundo.

Contrà prædicta obstat electio Ioannis XXIII. qui habita potestate compromissoria ab omnibus Cardinalibus seipsum elegit die 17. Maij 1410. & die 2. Martij 1415. in Concilio Constantiæ spontè renuntiauit sub conditione, si alij duo renuntiarent Benedictus XIII. & Gregorius XII. vt legitur tom. 4. Concil. de qua electione subsistente Azor. par. 2. cap. 2. lib. 4. q. 8. quia non suo nomine, sed alieno elegit, addit Lauorius tit. 4. de elect. cap. 6. num. 17. quod huiusmodi electio tenuit, quia non fuit repugnans iuri diuino, vel naturali, eumdem seipsum posse eligere, cum nihil contrà electionem Pontificiam opponi possit ex iure humano. Sed modò nemo seipsum eligere potest post Bullam Gregorij XV. & Vrbani VIII. de electione Papæ, apud Bonac. q. 5. de elect. Summi Pontif. p. 1. concl. 4. Dicas tu, non valere argumentari à facto ad ius.

DECISIO CCXCII.

An Prælatus Regularis subditum reum damnare possit ad mortem per inediam?

NOn potest subtrahere victum ad vitam necessarium subdito reo, etiamsi mortem ex suo delicto mereatur, & si inedia moritur, fit irregularis Superior. Primum probatur, quia causa sanguinis omnibus Clericis indistinctè prohibetur etiam Episcopis, cap. His, à quibus, 30.23.q.8. cap. Clericis 5. cap. Sententiam 9. Ne Cler. vel. Mon. cap. Ex litteris 10. de excus. Prælator. & si quis Episcopus habet adiunctum dominium Laicale cum iure sanguinis, debet constituere Iudicem Laicum, qui iustitiam faciat ex citatis iuribus, non licet ergò Ecclesiasticis occidere quemquam, nec immediatè sententiare ad mortem. D. Thomas 2.2. q.64. art.4. Sed Religiosum damnare ad mortem per inediam est causa sanguinis, vt notum est, sinens enim alium mori subtractione ciborum, dicitur illum occidere, cap. Pasce 21. dist.86. à fortiori, præcipiendo, ne quis illi subueniat porrigendo panem, ergò Superior Regularis, licet esset Generalis, non potest condemnare suum subditum, reum alias mortis, ad inediam, quia id est exercere iura sanguinis, quibus caret Prælatus Regularis, nullus enim potest exercere causam sanguinis, nisi habeat potestatem gladij temporalis, quo caret Superior Regularis omninò respectu suorum subditorum. Confirmatur ex illo Matth.20.25. *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos.* Prælatus ergò Regularis, nec quiuis alius Ecclesiasticus respectu subditorum debet rigorosè exercere iustitiam, neq; illorum esse necatorem, quia pater est pietatem habens in subditos, quasi filios, crudelitas autem magna est, fratrem necare filium, ergò & Superiorem subditum tradere morti per inediam. Secundum, quod sit irregularis, conuincitur ex probatis, quia inedia inducit homicidium voluntarium iniquum ex parte Superioris.

Hinc colligitur falsam esse Doctrinam cuiusdem dicentis Prælatum, Regularem posse iustè cibis priuare Religiosum subditum, & ex obedientia, ac voto paupertatis præcipere Ministris, ne dent cibos reo. Sed supposito, quod sit vera, an sine periculo irregularitatis Prælatus Iudex possit subditum damnare, vt fame pereat? Affirmant aliqui, quia hæc irregularitas prouenit ex defectu lenitatis respectu mortis violentæ, non verò respectu mortis naturalis per inediam. Sed ego dico, tunc incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, quia mors violenta dicitur, non tantum ex commissione, sed etiam ex omissione, & subtractione necessariorum ad conseruationem vitæ cum violentia naturæ, & personæ, nam vt dicit Panorm. in cap. Nuper de sent. excom. not.3. violentia infertur etiam sine læsione corporali. Silu. v. Homicidium 111. q.5. §. Quintum dicit, dicit ex commissione, & omissione incurrit homicidium, & irregularitatem. Mors autem ex inedia tunc est naturalis, quandò patienti deest cibus simplicitèr, & non ex subtractione humana

hoc

hoc enim casu certum est, hominem subtrahentem efficacitêr influere in mortem proximi. Incurritur irregularitas hæc ob non seruatam lenitatem, & mansuetudinem; sed in isto Superiore, non solum non seruatur lenitas, sed maxima apparet crudelitas, crudelior enim est mors per inediam, quam per suspensionem, vt patet. Prætereà Clericus immediatè per se ipsum dicens causam sanguinis fit irregularis, licet habeat gladium temporale, quo vti tunc debet per officialem, non per seipsum, vt euadat irregularitatem, excitatis iuribus, siue deindè sequatur mors violenta, siue non, modò moriatur reus ex sententia lata per Iudicem Ecclesiasticum, fit irregularis.

DECISIO CCXCIII.

An relictum à patre professo ex bonis inter filios distributis sit Monasterij?

DIxi Resolut. 55. q. 5. nu. 14. Patrem sine dispositione suorum bonorum ingredientem Religionem, post professionem posse testari fauore suorum filiorum in sæculo manentium, distribuendo illis partem suorum bonorum per Authent. Ingressi C. de Sacros. Eccles. approbatam in cap. Si qua mulier q. 19. q. 3. Proposui dubium ibidem, an residuum bonorum, de quibus non disposuit, sint Monasterij capacis? Sed non resolui, consultus ab amico Respondeo, ea bona esse Monasterij, vt expresse determinatur ibidem his verbis. *Si qua mulier, aut vir Monasticam elegerit vitam, & intrauerit Monasterium, liberis non extantibus, Monasterio, quod ingreditur, res eius competere iubemus. Sed si persona liberos habens, antèquam de rebus suis inter eos disponat, Monasterium intret, liceat ei posteà inter eos diuidere, legitima non diminuta, & quod eis non dedit, Monasterio competit. Sed, si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, sua persona filijs connumerata, partem sibi retineat, quæ Monastrio competere debet. Sed si post ingressum moriatur, antèquam inter eos diuidat, filij legitimam percipiant, reliqua substantia Monasterio competente.* Eccè quam fauorabilis sit lex ciuilis Religioni, vt quasi præferatur filijs.

DECISIO CCXCIV.

An peccet mortaliter Sacrista exponens Calicem non consecratum?

NOn damnarem peccato mortali eum Sacristam, qui, vt effugiat incommodum faciendi consecrare Calicem disecratum, exponit illum Sacerdoti inscio, vt ex consecratione vini in eo fiat consecratus, ratio est, quia celebrans inscius non peccat, ergò cum ex eius expositione non sit causa peccati in celebrante, non videtur ita grauiter peccare; nec obstat, quod sit peccatum mortale scienter celebrare in Calice non consecrato, quia in casu nostro abest scientia.

DECISIO CCXCV.

An vsusfructus professi in Ordine capaci transeat cum professo ad Ordinem incapacem?

VSusfructus Religiosi professi in ordine capaci non transit cum professo transeunte ad secundam Religionem incapacem, quia licèt sequatur personam, cum in eius commodum dicatur constitutus, id tamen intelligitur, si eius status illius sit capax, modò in secunda Religione non est capax, neq; ratione personæ, neq; ratione ordinis, qui in communi nihil habere potest, cessat ergò tunc vsusfructus, & finitur, ac si Religiosus esset mortuus naturalitèr, arg. §. Finitur, Instit. de Vsufr. & tunc consolidatur cum propriatate, §. Finitur, cit. l. Antiquitas, §. Tales, C. de vsufr. Quarè prior Religio omne ius circà illum perdidit professione vsufructuarij in secundo ordine incapaci. Confirmatur, quia vsusfructus in tantum debetur priori Conuentui, in quantum Religiosus est illius professus, ergò cessante professione cessat illud ius, & id clarum est; quia vsusfructus continuè fluit, constituitur, & dicitur esse in fieri, l. 1. §. Interdùm, Vers. sed in vsufructu, ff. de vsufr. accresc. & alijs allegatis per Ciarlin. tom. 1. cap. 71. num. 8. ita quòd nunquam dicitur acquisitus pro futuro tempore, Bartol. in l. Re coniuncti, ff. de leg. 1. num. 102. Peregrin. lib. 1. consil. 70. num. 16. & hinc est, quòd nunquam potest præscribi, gl. v. largitate, cap. Sæpè 70. 12. q. 2. quarè dum professus manet in priori ordine capaci, illi acquirit pro præsenti tempore, professionem verò emittens in secundo incapaci, non ampliùs dicitur acquirere, nec primò, quia non ampliùs est illius membrum, nec secundò, quia est incapax acquisitionis, ideò reuertitur vsusfructus ad dominium proprietatis.

DECISIO CCXCVI.

An dos restituatur moriente Nouitia?

QVandò Nouitia moritur infrà annum probationis, seu antè professionem omnia Monasterio tradita, etiam dos, deductis expensis, victu, & vestitu, restituenda sunt hæredibus, vt colligitur ex sess. 25. cap. 16. ibi: *Illis abeuntibus antè professionem omnia restituantur, quæ sua erant.* Qui autem moritur antè professionem dicitur abire à Religione, sicut ille, qui abit ad sæculum, neuter enim illorum est factus professus Religionis. Prætereà dos datur, vt ex eius fructibus releuetur Monasterium, quod tenetur illam alere; sed Monasterium non contrahit hoc onus alendi, cum antè professionem sit mortua Nouitia, ergò dos restituenda est. Ita decisum refert Barbosa ad dictum cap. num. 52. ex Armend. in casu mortis, item Zerola p. 2. v. Monialis dub. 11. Nald. num. 6. Galletas v. Nouitius 5. ex illis Tambur. de iure Abbatis disp. 6. q. 5. num. 5.

DECISIO CCXCVII.

An dos sit restituenda, quandò Nouitia profitetur?

EX Priuilegio Pij V. Nouitia infrà annum probationis infirma potest

test profiteri, si habeat ætatem requisitam ad profitendum, idest, si tetigerit 16. annum, vt dixi cap. 4. q. 49. & 50. item tom. 2. resolut. 54. q. 4. in quibus locis probaui, non esse simplicitèr professionem, sed tantùm ad lucrandum in morte Indulgentias, quas lucrantur simplicitèr professæ, dum moriuntur, quarè de iure non potest Monasterium succedere intuitu professionis, quia non fuit talis simplicitèr, vt erat necessarium; est enim pro foro conscientiæ, & nil prodest pro foro externo; & in casu præsenti de dote Monialis Nouitiæ decedentis cum professione infrà annum probationis, res videtur clarior, quia dos datur ad alendum Monialem professam in futurum, sed moritur antè debitum tempus professionis, ergò cessat causa alendi, ac proindè translatio dotis ad Monasterium, quod hoc onus sustinere non debet. Ita docent Compend. priuileg. Theat. v. Nouitius §. 2. Rodriq. cum suo Compend. resol. 101. nu. 40. Mirand. tom. 1. q. 12. art. 10. Vecch. disp. 13. dub. 11. num. 2. fine. Riccius tom. 2. decis. pen. In contrarium sunt sex Doctores citati à Diana par. 2. resol. 17. de Regular. & par. 5. tract. 3. resol. 139. eosdem sequens, cum quibus est etiam Tambur. de Monial. disp. 4. q. 6. num. 10. Sed standum est cum primis, qui rem ex professo magis tractāt, & in praxi Nouitij conualescentes prosequuntur suum Nouitiatum, & eo finito profitentur, ac si illam nunquam alias emisissent, quod signum est, eam non fuisse veram professionem, sed causalitèr talem, & præcisè in ordine ad Indulgentiam, & consolationem animæ; & non ad inducendum alios effectus.

DECISIO CCXCVIII

An prandium, & iocalia sint danda Monialibus in professione causa mortis?

MOniales iuxtà inueteratam consuetudinem petebant prandium, & honoraria consueta dari tempore professionis Nouitiæ, quæ infrà annum probationis causa mortis postea sequutæ, ex priuilegio, de quo in præcedentibus, professionem emisit. Sed in hoc audiendæ non sunt, quia petita sunt danda tantùm, quandò Nouitia regularitèr profitetur, sicut enim lex ad ea, quæ raro accidunt, & casu, non se extendit, l. Nam ad ea, ff. de legib. ita & consuetudo locum habere dicitur respectu eorum, quæ regularitèr fiunt, consuetudo enim est altera lex, ac proindè obseruanda est, sicut lex obseruatur. Deindè prandium, & huiusmodi tribuuntur à consanguineis Monasterio, vt Moniales simul cum professa honestam capiant recreationem, & intuitu illius letantur, & illi congratulantur; sed id facere non possunt, cum eo tempore sit tempus luctus, non conuiuij, aut letitiæ, ergò illis nihil debetur. Præterea prandium solet præparari antè professionem, vt in die præfixo professioni consanguinei congratulentur Monialibus, quasi gratias re agentes Monasterio, proptèr Nouitiam connumeratam intèr profesas; sed cessat ista congratulatio, & gratiarum actio, cum reuerà non voluntariè, sed ex necessitate processerit ad lucrandum Indulgentiam. Nullum igitur ius habet Monasterium ad prandium, & alia. Prætcrquamquòd illis opponi potest, id

id esse prohibitum per extrau. com. Sane, de sim. vbi sub pœna excommunicationis reseruatæ Papæ non possunt exigi à quibuscumque Regularibus etiam Monialibus pastus, prandia, cœnæ, iocalia, & aliæ res pro ingressu Monasterij. Non est tamen recepta, seu abijt in disuetudinem.

DECISIO CCXCIX.

An absolui possit exprimens materiam dubiam, an sit peccatum?

QVandoque rudes confitentur quasdam actiones, ex quibus Confessarius non potest venire in cognitionem, an sint peccata, necne, in eo casu potest Sacerdos impendere absolutionem sub conditione, si narrata sunt peccata, quod melius est, quam in absolutum dimittere pœnitentem, quia, si ex parte rei illæ actiones sunt peccata, remittuntur per eam absolutionem, & sic prodest; si verò non sunt peccata, non dicitur absolutio impensa, quia ex vulgatis iuribus, conditio nihil ponit in esse, & hac ratione cum Sacramento non fiat iniuria, & forsan possit absolutio esse vtilis pœnitenti melius, & vtilius est absoluere sub conditione, quam non absoluere. Ita Bartol. Medina part. 2. Summæ cap. 13. apud Graff. par. 1. lib. 1. cap. 32. nu. 2. qui subiungit, à pœnitente extorquendum esse aliquod peccatum saltem veniale ex præcedentibus confessionibus. Sed hoc non est necessarium, siquidem per absolutionem conditionatam: *Si hæc sunt peccata absoluo te, &c.* Nulla fit iniuria Sacramento. Non est autem necessè eam exprimere, sed sufficit mente concipere.

DECISIO CCC.

An vsus Sacerdotalium non benedictorum in Missa sit peccatum mortale?

CErtum est, Sacerdotem celebraturum debere vti Calice cum patena consecrato, & reliquis, Corporali nimirum, Palla, Purificatorio, Bursa, & Velo benedictis. Item Mappis, seu Tobaleis Altaris. Pariter Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Planeta. In his omnibus debet antè vsum præcedere benedictio, vt colligitur ex Sacris Canonibus, & Rubricis Missalis. Corporalia autem, & cœtera, quæ pluries lauantur, non perdunt præcedentem benedictionem, ideò in illis vnica sufficit, Calices verò, & vestes, quandò in duas partes scinduntur, ex quo tunc non sunt adhibiles, si reficiantur in vnum egent benedictione, sicut, & Calix cum patena de nouo auratis in parte, vbi Sacramentum tangit. In his non est difficultas.

Ad dubium, dico, vtentem scienter Calice, Patena, Corporali, & Purificatorio non consecratis, seu benedictis, peccare mortaliter, reliquis verò tantum venialiter, ratio vtriusque est, quia grauis est irreuerentia, quod Sacramentum tangatur ab illis nondum aptis per consecrationem, seu benedictionem, quibus carent, leuis verò respectu aliorum, quia non tangunt Sacramentum, sed referuntur ad ornatum Sacerdotis, & decentiam, vt Sacramentum honorificentius tractetur,

tur, quæ decentia, cum appareat in Sacerdote sine benedictione, ideò vsus illarum sine benedictione videtur leuis transgressio. Deindè prioris generis res sunt proximiora ad Sacramentum, secundi verò generis remotiora.

Circa Decis. 300. non videtur benè fuisse dictum, vestes Sacerdotales non benedictas, si quis eis vsatur, non inducere, nisi peccatum veniale, eò quòd referuntur ad ornatum, & decentiam Sacerdotum, quia habetur in benedictionibus illorum. Primò, quod talis benedictio non fiat à quocumque, sed ab Episcopis, & habentibus facultatem. Quod arguit aliquid amplius, quam quod sint ad ornatum solummodò. Deindè habetur in oratione, *vt diuinis cultibus & Sacris Mysterijs apta, & benedicta existant, & vt induti mereantur esse defensi à tentationibus*, malignorũ spirituũ, & vt septiformis spiritus gratia repleantur, &c. Præterea si hęc Doctrina disseminetur, dabitur occasio legẽtibus vt parũ curent de benedictionibus Indumentorum Sacerdotalium.

Præterea dicit Bursam, & velum Calicis, cum Purificatorio benedici, quod non vsitatur.

DECISIO CCCI.

An præcedentia in funeralibus debeatur confratribus.

IN quadam ciuitate, quando defertur cadauer alicuius Confratris ad sepulturam, partim Confratrum procedunt sub sua Cruce in loco sibi debito sine controuersia, qui est antè omnes Ecclesiasticos, vt præscribitur in Cerem. Episcop. lib. 7. cap. 33. partim vero eorum incedit processionaliter circà cadauer, & post cadauer. Modò Clerus tam Regularis, quam sæcularis prætendens, id esse abusum simul cum alijs Confratribus, non vult pati huiusmodi Confratres diuisos post se, & in loco vltimo, & digniori.

Dico, admittendos esse huiusmodi Confratres cum suis cappis, & intortitijs circà feretrum, dum defertur ad sepeliendum, dico, hinc inde à lateribus, quia hoc modo non dicuntur, alicui auferre præcedentiam, sed extrà filum processionis honorificè inseruiunt mortuo, ac proindè non sunt de ordine processionis quò ad præcedentiam, cum eorum munus sit deferre intortitia, sicuti portitores feretri vltimum obtinent locum, non vt partes processionis, sed vt deferentes cadauer, ideò nulli fit præiudicium, cum in eo casu, & seruitio non competant cum procedentibus processionaliter. debent enim aliqui deseruire circa feretrum, quod munus non decet Sacerdotibus, & maioribus præcedentes feretrum. Confirmatur id, quia aliquis ratione officij præcedit alios digniores, licet aliàs non præcederet, vt Hebdomadarius, Thurferarius in processione Sacramenti, &c. Quod si candelis, aut intortitijs, post cadauer bini pares, vt fit formaliter in processionibus, incedere velint, non sunt admittendi, nec compatiendi, quia non debent sibi digniorem locum vsurpare, non obstante quauis consuetudine, quæ non admittitur inter competitores longè inter se dispares, vt sunt Confratres, & Ecclesiastici, nam Ecclesiastici

siastici locum digniorem habere debent suprà quoslibet Confratres, iuxtà citatum Ceremon. & Rituale Pauli V. de Exeq. & Bulla incip. *Exposuit Pastoralis*, in cuius fine derogatur omnibus consuetudinibus; & quamvis consuetudo multum efficax sit, & valeat in materia præcedentiæ, tamen locum non habet, quandò minor contendit præcedere maiorem, vt quampluribus allegatis Doctoribus tradit Ferrus de præced. q. 18. num. 7. constat autem, Collegium Confratrum esse minus Collegio Ecclesiasticorum.

DECISIO CCCII.

An Sacrista Conuersus possit tangere alienos Calices?

EXtant priuilegia tangendi Calices per Laicos, quandò sunt deputati ad Sacristiam, vnum refert Cõfect. fol. 83. Bulla 9. Sixti IV. ad instantiam Augustin. Eremitarum, alterum Leonis X. in Bullario Rodriq. Oraculo 49. etiam primum est Oraculum. Hæc autem non sunt sublata, vt probaui resol. 31. quia nulli tertio præiudicant. Ad dubium igitur respondendo, dico, hunc Sacristam non posse tãgere Calices extraneos, quia est Sacrista suæ Ecclesiæ, & non aliarum; prætereà hoc priuilegium est quædam dispensatio in iure communi, quæ, vt res odiosa, est restringenda ad propriam Sacristiam. Quarè Frater Franciscus hic Parmæ Sacrista eundo Regium, non potest tangere Calices Sacristiæ illius Monasterij sui Ordinis, quia ibi nullo modo est Sacrista.

DECISIO CCCIII.

An Regulares prohibeantur eligi in Confessarios Monialium alterius Ordinis?

NVllam inueni prohibitionẽ, ideò quilibet Sacerdos Regularis aliàs idoneus, ab Episcopo, & alijs Prælatis, ad quos spectat, eligi potest in Confessarium, non solùm Monialium sui Ordinis, sed etiam aliorum Ordinum, nam in Tridentino sess. 25. ca. 10. dicitur, quod prætèr ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus offeratur Monialibus, non limitando oblationem, aut electionem ad tales, vel tales Sacerdotes, ergò omnes, siue Regulares, siue sæculares, idonei sunt, vt eligantur in Confessarios Monialium, siuè eiusdem Ordinis, siuè extranei. Non potest verò Episcopus assignare in Confessarium, siuè ordinarium, siuè extraordinarium, Sacerdotem sæcularem, vel Regularem Monialibus alterius Ordini subiectis, quia Episcopus præsentatum sibi Confessarium à Prælatis Regularibus approbare tenetur, vel reijcere, si non est inuentus idoneus, proponendo alium, aliud enim munus non habet Episcopus super Moniales Regularium, quò ad hoc, quàm examinare, & approbare Sacerdotem sibi præsentatum à Superiore Regulari, stante non solum Tridentino, sed etiam Constitutione Gregorij XV. per quam in nullo alio eximuntur, quò ad hoc, à suis Regularibus Prælatis.

(∴)

DE-

DECISIO CCCIV.

An Superior Monasterij eligibilis sit in Confessorem Monialium?

NOn est eligendus in Confessarium ordinarium, siuè sit localis, siuè Prouincialis; Ratio est, quia sunt duo officia incompatibilia, & neutrum illorum benè impleri non potest; non enim potest domui suę pręesse, qui aliorum curam suscipit, regularitèr enim Confessarius maiorem partem temporis insumit in audiendas Confessiones Monialium, ex quo patet, non posse suum Monasterium gubernare, vt deberet, & dum non manet in Conuentu, disciplina Regularis in subditis relaxatur. Vndè in multis Religionibus Superior non occupatur in confessione Monialium, sed eligitur alius Sacerdos. Confirmatur id, quia S. Congr. declarauit, fungentem officio Confessarij Monialium non posse habere curam animarum, apud Barbosam ad cap. 10. citatæ sessionis 25. nu. 16. Nec obstat, quòd in quadam declaratione ab eodem relata sub nu. 9. dicatur, Superiores Regularium, quibus facultas competit audiendi confessiones, esse examinandos, quasi supponantur posse id munus obire, quia S. Congr. respondet ad dubium sibi propositum, non esse examinandos, qui antè Bullam audiebant Moniales vti earum Superiores, sed tantùm electos post illius publicationem; siuè deindè possint, siuè non fungi hoc officio, in dispendium proprij Monasterij, ad hæc non respondet, ideò à facto ad ius non est inferendum.

DECISIO CCCV.

An maritus, cui vxor irata dixit, non potes possidere hunc censum, quia meus non est, teneatur ad restitutionem?

DVm altercarentur ad inuicem, vxor dixit, tradidi tibi in dotem cum reliquis meis bonis talem censum, quem nomine meo emi ex pecunijs Societatis N. cuius curam egi, illa mortua post multum temporis, maritus cępit dubitare, an teneretur restituere censum illi Societati. Ei responsum fuit, non teneri, quandò mulier non ampliùs locuta fuit, & reddidit rationem suæ administrationis approbatam à Ministris Societatis; constat autem de ratione reddita, & absolutione de bona administratione, & paritèr, vxorem non ampliùs mentionem fecisse de dicto consensu; neque in puncto mortis, quo de alijs rebus disposuit ad exonerandum suam conscientiam, quarè inferendum est, vxorem ea verba protulisse ex indignatione, vt maritum mortificaret, non autem ex veritate. Nec maritus vlterius tenebatur illum interrogare super veritate census, eo ipso, quod sciebat, illam reddidisse rationem, & absolutam fuisse, atque habere nòmen bonum in ciuitate, & ex alijs circumstantijs allatis à consilio petente, Demùm non tenetur credere in sui pręiudicium, quandò sibi narratur aliquid ex ira, seu odio concepto inter ipsos, quia præsumitur loqui, vt confundat maritum, & non ex veritate.

DECISIO CCCVI.

An nondum Diaconus prædicans in Quadragesima fiat irregularis?

RE spondetur negatiuè,quia is non est actus ordinis,sed iurisdictionis, vt docent Toletus lib. 4. cap. 46. num.3. Armilla v.Suspensio,Megal.lib. 5.de cens.cap.2.num.4. Nauar. consil. 2.de temp. ordin. num. 4. Rodriq. in summa tom.2. cap. 22. & alij cum Lezana v. Concionari, asserentes id munus committi posse omnibus Clericis. Idem Lezana initio explicat, quid sit formalitèr prædicari, dicens, esse sermonem publicè habere de Euangelio inuocato Spiritu Sancto, existente Concionatore in gradu distincto quò ad locum. Vndè infert ex Syluestro, exhortationes,& orationes, quæ fiunt clausis ianuis,seu in Refectorijs,immò in Ecclesijs per quartam partem horæ non esse formalitèr prædicationem. Dic tu,illam esse concionem, quæ fit regularitèr per diuisionẽ eius in duas partes in ambone, cum benedictione in fine.

DECISIO CCCVII.

An Canonicus Regularis Lateranensis, factus Clericus secularis, recuperet renuntiata?

CAnonicus Regularis Lateranensis,qui in ingressu Religionis renuntiauit bonis paternis, & maternis ad formam Tridentini, posteà egressus de licentia suorum Superiorum,ad titulum beneficij in sæculo manens in habitu Clerici sæcularis, provt huiusmodi Canonicis ex priuilegio Apostolico,non recuperat bona renuntiata;quod probatur. Tum quia non datur regressus ad renuntiata, l. Quæritur 14.§.Si venditor,ff. de ædil.edicto. 15. enim qui renunriauit, ad id, quod renuntiauit,nam habet regressum, ca. Cum intèr,cap.Ex transmissa, ca.Cum in præsentia,de renunt. Tum quia ius semel extinctum non reuiuiscit, l. Qui res,§.Areum,ff.de solut.gl.fin.ca.Cum cessante 60. de appellat. alijs iuribus citatis,sed per renuntiationem factam antè professionem extincta fuerunt omnia iura, quæ habebat in bonis paternis,& maternis,ergò ea recuperare non potest,cum non reuixerint per illum egressum, vt magis patebit ex mox dicendis. Tum quia, si illud ius, quod antè renuntiationem habebat, reuixit, maximè, vel ex aliqua constitutione, vel ex priuilegio assumendi habitum Clericalem sæcularem; vel ex titulo beneficij,& status Clericalis de nouo assumpti, nihil enim aliud videtur assignabile; sed ex nullo horum ius acquisiuit ad recuperandum renuntiata, ergò ea recuperare non potest; non enim acquisiuit hoc ius ex tenore alicuius Constitutionis, quia non extat; neque ex priuilegio egrediendi, quia priuilegium non tollit ius acquisitum alicui, nisi de hoc iure fiat expresa mentio in priuilegio, ex Reg. 27. Cancell.De non tollendo ius quæsitum;nec Apostolica dispensatio retròtrahitur in præiudicium tertij,Bald. in Auth. Ingressi, C. de Sacros. Eccles. num.64.Feder.de Senis consil.26.n.3. & alij omnes; in priuilegio autem isto egrediendi nulla fit mentio de recuperatione renuntiatorum, ergò bona renuntiata recuperare non potest; neq; ex eo, quod trausfertur ad beneficium,

cium, quia adhuc remanet Religiosus cum voto Paupertatis, esto absoluatur à iugo Regularis obseruantiæ, iuxta cap. Statutum 2.18. qu.1. vbi, licet dicatur, quod Episcopus Regularis, vti legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem iure vindicandi potestatem habeat, quicquid tamen habebat antè egressum è Monasterio, erat eiusdem Monasterij, & ius succedendi tunc non erat penes Monasterium, nisi quò ad spem, quia ius succedendi competit solum post mortem defuncti, vndè viuente patre Religiosus electus in Episcopum, secum transfert spem succedendi in bonis paternis post eius mortem, & tunc non sibi acquirit, sed suæ Ecclesiæ, vt ex textu, & glosa colligitur. Iste autem Religiosus, cum omnibus renuntiauerit, nullum ius, nullam spem secum transferre potest, cum nihil illi competeret, quandò erat in Monasterio. Confirmantur prædicta per decisionem Rotæ de Reintegratione coram Burato 26. Febr. 1621. apud Tambur. decis. 21. in qua sententiatum fuit, quondam Fratrem Capuccinum ex priuilegio Pontificio translatum in Religionem Melitensem in gradu Capellanorum, non fuisse redintegratum ad bona, quæ amiserat per professionem primam in Religione Capuccinorum, iste enim suis bonis non renuntiauerat, & tamen illa non recuperauit pro secunda Religione, ergò neque in casu nostro Canonicus Regularis factus Clericus sæcularis recuperauit renuntiata, & hoc à fortiori sequitur, quia ex illa decisione non constat, Capuccinum renuntiasse, sicut in præsenti casu, in quo fortior ratio est iuris acquisiti à parentibus Canonici ex titulo renuntiationis, quam respectu Capuccini ratione incapacitatis, qui dicitur solum virtualiter renuntiasse per professionem in Religione incapaci.

DECISIO CCCVIII.

An aduena excommunicari possit?

PLacentinus, qui puellam Cremonensem stuprauit cum promissione Matrimonij, compelli potest ad contrahendum cum illa per Ordinarium Cremonensem sub Excommunicatione, si duo concurrant; vnum est, si commisit stuprum in diœcesi Cremonensi, ex quo fit illi Ordinario subditus ratione delicti, ex cap. fin. de foro compet. seu, vt alij dicunt, sortitur forum ratione delicti; alterum est, si præuentus fuit citatione, ex quo ratione contumaciæ contractæ obedire nolens, licet posteà fugam arripiat, excommunicari potest ab Ordinario Cremonensi; & ita docent omnes cum Abbate in dicto cap. fin. de foro compet. Megal. lib. 1. de censur. cap. 3. n. 50. Diana resol. 36. de censur. alijs citatis.

DECISIO CCCIX.

An puerpera teneatur petere benedictionem?

NOn tenetur, vt colligitur ex Rituali Pauli V. in titulo: De benedictione mulieris post partum, his verbis: *Si qua puerpera post partum, iuxta piam, & laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit pro* in-

incolumitate sua Deo gratias actura, petierit à Sacerdote benedictionem. Quia voluntas conditionata experta illis verbis. *Si venire voluerit*, non indicat necessitatem, & obligationem, sed tantum libertatem, & deuotionem in muliere, quæ sine peccato potest desistere à Purificatione.

DECISIO CCCX.

Cuinam ex pluribus obligationibus quis præsumatur satisfecisse?

PEtrus tenetur dare decem triplici titulo, restitutionis, voti, & pœnitentiæ, decem semel dedit non aduertendo, nec determinando quo titulo soluit. Cuinam obligationi satisfecit? Respondeo; censetur satisfecisse titulo restitutionis, quia magis vrget obligatio ex restitutione, quam ex alijs titulis. In alijs, puto, satisfecisse priori obligationi contractæ, quia anterior dicitur habere potiora iura. Aliter respondet Sanch. libr. 1. cap. 14. num. 8. nimirum, intelligi satisfactum obligationi titulo restitutionis, quia magis vrget hoc præceptum. Inter verò alios duos titulos, satisfactum voto, non pœnitentiæ, quia maior est obligatio voti, quippe Religio strictius obligat, quam pœnitentia.

DECISIO CCCXI.

An Notarius peccauerit contra Iustitiam in sequenti Testamento?

QVidam Notarius Testamentum scripsit N. qui instituit hæredem filiam suam, præterita filia filij sui defuncti, dicendo, eam habuisse dotem suam, immò cessisse bonis paternis auitis, ideò nolle quicquam illi relinquere. Nihilominus filia præterita mouit litem hæredi petendo portionem sibi de iure debitam, deuenerunt partes ad compositionem. Modò Notarius agitatur scrupulis, an teneatur ad aliquid, quia in Testamento saltem non expressit, Testatorem ideò eam præterisse, quia suam dotem habuit, & prætereà bonis auitis cessit, hac enim expressione forsan nulla lis mota fuisset? Quicquid sit de præteritione huiusmodi neptis.

Dico, quod Notarius non peccauit, nec ad aliquid tenetur, quia Notarius habet publicum Officium scribendi instrumenta, & testamento pro vt narrantur à partibus, fidem de illis faciens, ita quod nihil scribere potest contra voluntatem expressam Testatoris, aut partium disponentium, ex C. de tabel. script. modò dispositio non contineat expresè rem illicitam, aut contractum iniustum, vsurarium, simoniacum, &c. & modò seruet formam sibi præscriptam in statutis, & legibus; hoc enim modò se gerendo non peccat; sed hoc modò se gessit N. in casu præsenti; vndè persona præterita mouendo litem hæredi nullum præiudicium intulit conscientiæ Notarij, qui non tenebatur ex officio suo scire hunc iuris punctum satis controuersum inter Doctores; præterquamquod, omnes ferè lites nascuntur ex instrumentis, & testamentis aliàs ritè non solum scriptis cum suis clausulis, sed etiam compositis à doctis Testatoribus. Sufficit ergò Notario, vt non pec-

peccet, quod seruet formam in suis statutis præscriptam. Demùm certum est, Notarium non posse aliquid scribere contra expressam voluntatem disponentis, maximè, quandò congruentèr loquitur, quia non Notarius, sed testator dicitur suum condere testamentum.

DECISIO CCCXII.

An incendiarius prætèr combusta teneatur aliquid aliud restituere?

QVidam ignem apposuit domui potiùs intentione deterrendi inimicum, quàm illius domum comburendi, sed ignis, qui metas suæ virtutis ignorat, vltrà intentionem agentis domum destruxit. Vicinis, quibus non nocuit, multum incommodi, prætèr timorem, attulit, ex quo vtensilia sua aliò transtulerunt, & tectum domuum suarum discooperierunt, sed flamma nihil eorum tetigit. Quęrit incendiarius, an teneatur prætèr combusta, restituere aliquid vicinis, quibus aliquid combustum non fuit? Tenetur restituere nòn solùm combusta, sed etiam ablata causa incendij, vt dicitur cap. Si quis domum 6. de iniur. & damna illata ex transportatione, si aliquid deperditum fiat, fractum, aut deterius factum, vel si aliquid insumptum fuit ea occasione, ex cap. Si culpa 9. de iniur. *Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus fortè intulisti, aut hæc imperitia tua, siuè negligentia euenerunt, iure super his te satisfacere oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo iniuriam verisimilitèr posse contingere, vel iacturam.* Quæ verba benè quadrant casui præsenti, in quo iste ex malitia, & dedita opera ignem apposuit, cuius est propriè cõburere, & damnum inferre vicinis. Nec excusat intentio non nocendi, quia hęc intentio nihil prodest, cum factus ignis sit illi incompossibilis, & illam destruat. Non incurrit tamen excommunicationem, quia incendit domum laicalem. Quærit adhuc de modo, quia ignorat damnum vicinorum? Putarem in hoc casu, sufficere, si reficiat damna, illata vicinis domui combustæ tantum contiguis, & sic domibus primis hinc indè duabus combustæ adhærentibus, si illæ ab igne minus tactæ fuerunt, quia reliqui nihil videntur passi. Dico, quandò ignoratur damnum illatum, nam, si incendiarius scit, non solum vicinos contiguarum domorum, sed aliarum etiam damnum fuisse passos, ad omne tenetur, quod non ignorat, quia in causa fuit respectu omnium.

DECISIO CCCXIII.

An Notarius peccet, quandò testes non cognoscunt contrahentes?

NOtarij in omnibus suis instrumẽtis apponunt clausulam testiũ, similibus verbis, *Omnibus asserentibus se habere notitiam contrahentium, & illos cognoscere.* Quandoq; non omnes cognoscunt testatorem, vel contrahentes, & nihilòminus Notarius per illam fatetur clausulam, contrahentes esse notos testibus. An sit mendax, & teneatur ad illata damna, si contrahentes non sunt verè illi, qui se tales vocant in contractu? Si maior pars testium cognoscit disponẽtes, Notarius non est mendax, quia illa dictio, *Omni-*

bus, refertur ad maiorem partem, eo modo, quo electio facta à maiori parte electorum, dicitur facta ab omnibus, & quod maior pars facit, dicitur ab omnibus factum, gl. v. maior, cap. Duobus 14. de rescr. in 6. Alitèr videtur peccare venialitèr, quandò tamen ipse Notarius cognoscit contrahentes esse tales, quales se nominant. Caeterùm, quandò ipse non cognoscit contrahentes, neq; maior pars testium cognoscit illos, si comperiantur non esse verè tales, Notarius, & testes in solidum tenentur ad illata damna, quorum fuerunt causa efficax in illo instrumento, seu testamento.

DECISIO CCCXIV.

An Papa cum decreto irritante possit probibere celebrationem Missæ?

PApa simili decreto interdicere non potest Sacerdoti etiam hęretico præciso; & vitando ne celebret, alitèr irrita sit consecratio; Ratio est, quia ad valorem consecrationis cum intentione celebrandi, iuxtà Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sacerdoti proferre veram formam verborum supèr debitam materiam, habet enim potestatem Ordinis irreuocabilem à quacunque potestate humana, quæ sicut ab eius anima non potest delere caracterem Sacerdotalem, ita neque auferre, aut destruere ab eodem Ordinis potestatem essentialitèr inseparabilem à caractere, qui indelebilitèr imprimitur animæ, immò potestas hæc à multis censetur idem met caracter. Quamvis igitur Ecclesia possit, cum opus est, Sacerdotem impedire per censuras, & alias pœnas à celebratione, & contrafaciendo peccet mortalitèr, nihilòminus adhuc validè consecrat, vt docet glosa 1. cap. 2. de Cler. excom. min. Estque communis Doctorum sententia, quam refert Megal. par. 1. cap. 6. num. 4. in fine.

DECISIO CCCXV.

Quid sit Legatum Conuentionale?

LEgatum diuiditur in Conuentionale, & simplex. Conuentionale dicitur illud, cuius institutio, & salarium simul tempore oritur ex conuentione partium se obligantium, vna quidem ad celebrandum, altera ad soluendum salarium conuentum. Simplex verò est illud, quod instituitur primò sine partis conuentione in institutore, licèt conueniat cum hærede, qui onus acceptauit, modò taxatum salarium à testatore ex conuentione partium, nempè hæredis, & onera Missarum, seu Officiorum acceptantis, non alteretur diminutione. Hæc latiùs explicaui resol. 25. q. fin. Quarè legata relicta in testamento, seu donatione, aut alias, non concurrente conuentione, sed tantùm acceptatione, non obstante taxatione salarij, de quo non disposuerat testator, vocatur simplex, quia non fuit partium conuentione factum. E contra verò Conuentionale est illud, quod intèr partes viuentes primò instituitur, vt contingit, quandò quis aliàs non obligatus, fundat Capellam, iuspatronatus, vel Missam quotidianam pro se, seu suis, super hoc conueniendo cum parte publico instrumento.

DE-

DECISIO CCCXVI.

An Episcopus extraneus assistat Matrimonio Magnatum sine licentia?

EPiscopus N. non potest assistere Matrimonio celebrando inter duos Magnates sine licentia Parochi earum personarum, vbi faciendum est Matrimonium, præter peccatum mortale, irritum, & nullum reddit Matrimonium, etiam si fuisset contractum inter Reges, ex Tridentino cap. 1. sess. 24. ibi: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi licentia, & duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere tentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.* Et in hoc nulla difficultas, cum Tridentinum clarè loquatur, & indifferentèr de omnibus, qui volunt contrahere; nec obstat, quod simpliciter dicatur, *Vel alio Sacerdote*, quasi sub eo nomine non veniat Episcopus in hac materia, si quidem, siue veniat, siue non, cum Matrimonium dicatur absolutè celebratum, seu potius attentatum sine Parocho, neque per se, neque per alium, irritum omninò est. Nec sufficit bona voluntas, & propositum Parochi, quod libentissimè dedisset licentiam, si petita fuisset; quia ex vulgatis iuribus, propositum in mente retentum nihil operatur. Nec prodest eiusdem Parochi ratihabitio de præsenti scientis tali hora celebrari Matrimonium, immò etiamsi in eadem Ecclesia reperiatur, nihil dicendo in ipso contractu Matrimonij, quia ibi dicitur esse tamquam persona priuata, & vt alter curiosus; & ratihabitio non habet locum, vbi requiritur licentia expressa, ratihabitio enim dicitur tacita licentia, non sufficiens in casu præsenti, in quo necessaria est licentia expressa, vt docent omnes cum Sanchez lib. 3. disp. 35. num. 15. Bonac. q. 2. de Matrim. p. 8. num. 11. Pontius de impedim. cap. 26. §. 6. quos cum alijs citat Barbosa ad hoc c. 1. sess. 24. num. 108. Ita autem est necessaria, quod debet præcedere, ex Sanch. lib. 3. disp. 35. num. 18. Cenedus Pract. lib. 1. q. 30. num. 78. & alij apud dictum Barbosam num. 109. In his casibus, vbi agitur de negotijs grauissimis, licentia huiusmodi deberet pati publico instrumento, aliàs respectu valoris Matrimonij sufficit licentia verbalis, ex Nau. consil. 12. de clandest. despons. Sanch. lib. 3. disp. 35. num. 10. Emmanuel par. 1. Summæ cap. 219. nu. 13. & alij omnes.

DECISIO CCCXVII.

An Iudex peccet sententiando processu non lecto?

EST certum, Iudicem peccare mortaliter, si fert sententiam, non legendo, & considerando, quam sententiam ferre debet, tùm quia Iudex de tota causa instructus esse debet, l. Iudices ff. de iud. Tum quia Iudex, cui nihil constat, nihil decernere potest, l. 1. C. de secund. tab. Tum quia Iudex debet cognoscere initium, medium, & finem causæ sibi commissæ, cap. Super 27. de off. delegat. Tum quia Iudex omnia rimari debet vsque ad prolationem senten-

tiæ, cap. Cum Ioannes 10. ad finem, de fide instr. Tum quia Iudex tenetur sententiare secundum allegata, & probata, l. Illicitas, §. Veritas ff. de offic. præsid. cap. Iudicet 4.3. qu.7. cap.2. & 3.6. q.2. & est conforme illud Ioann.5. num.30. *Sicut audio, iudico*. Qui autem processum non legit, nec formauit, nihil prædictorum fecit, vt manifestum est, ergò sententiando grauiter deliquit, & si sententia est iniusta, tenetur ad restitutionem, & id nullus negat. Neque tertio munus hoc committere debet, nisi esset Doctor, vel Assessor deputatus, maximè parti, vti Procuratori, vel Notario, qui funguntur vice partis, quamuis alioquin sententia esset iusta, est enim contra rationem, & iura, quod quis fit simul Iudex, & pars, vndè bene glosa v. Impedimento, cap. Scisicitatus 13. de rescrip. dicit, quod Iudex ab alijs quærere non debet, quod eum loqui oporteat. Quarè Iudices ad causas præsertim ciuiles ignorantes, & quasi solo nomine Doctores, tamdiu sunt in statu peccati mortalis, quamdiu indignè retinent hoc Officium in graue damnum Reipublicæ, præter obligationem restitutionis damnorum illatorum.

DECISIO CCCXVIII.

An Indulgentia acquiratur orando in Sacristia?

PAulus V. sua constitution. incip. *Romanus*, extensa apud Peyrinum constit. 8. concessit diuersas Indulgentias Regularibus, inter alias, quod Religiosi intra claustra viuentes, & suam Ecclesiam visitantes orando lucrentur eas omnes Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extrà eam diebus stationum consequuntur, ac si ipsas personaliter visitarent. Pariter dicentes quinquies Pater noster, & Aue Maria antè Altare eorum Ecclesiæ, quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas de Indulgentia acquirunt. Ex his colligitur manifestè, orantem in Sacristia non lucrari Indulgentias, cum ex præscripto dictæ Bullæ orandum sit in Ecclesia, & non in Sacristia, quæ dicitur esse extrà Ecclesiam. Nihilòminus, quandò Sacristia habet prospectum intrà Ecclesiam, cuius Altaria videri possunt à manentib. in Sacristia, puto Indulgentias acquirere, quia hoc modò dicitur visitare, & orare in Ecclesia, seu antè Altare, sicut dicitur Missam audire manens in Sacristia, seu Choro. In itinere existentes, item Predicatores, & Lectores vbicumque extrà claustra recitando dictas orationes, quinquies lucrantur supradictam Indulgentiam, non verò Indulgentias Vrbis; neque alias, requirentes, quod Religiosus maneat intrà Claustra.

DECISIO CCCXIX.

An confirmatione casuum reseruatorum intelligantur reuocatæ licentiæ absoluendi ab illis?

MOritur Episcopus, proindè cessat casuum reseruatio facta ab eodem, vt ab homine, idest, extrà Synodum, & legem, seu statutum, ideò Vicarius Capitularis easdem, prout iacebant, confirmat, prohiben-

bendo omnibus Confessarijs, ne possint ab illis absoluere, nulla facta mentione de reuocatione licentiarum alias concessarum nonnullis confessarijs per Episcopum, aut antecessores Vicarios. Habentes licentiam super casus reseruatos, aut omnes, aut partem illorum sine vlla temporis definitione, possunt deinceps illa vti, prout antè faciebant, quia ex Edicto huiusmodi non constat reuocatas fuisse, cum nulla mentio fiat de reuocatione similium licentiarum, neq; reuocatio virtualitèr continetur sub illis verbis: *Prohibendo omnibus Confessarijs, ne possint ab illis absoluere*, quia intelliguntur respectu Sacerdotum carentium hac gratia, nam omnes Confessarij antè hanc confirmationem, poterant absoluere, quia morte Episcopi euanuerat reseruatio, restituta per Capitulum Sede vacante; & quòd hæc prohibitio loquatur tantùm de Confessarijs simplicibus; probatur, quia in fine edicti fit mentio de Pœnitentiarijs, tum Ruralibus, tum Vrbanis, quibus per edictum non aufertur eorum licentia, qualiscumq; ea sit, ergò, neque aufertur huic Confessario, qui consilium petit, & si enim is non sit Pœnitentiarius publicus, & deputatus, est tamen talis, quò ad gratiam, & forsan maior, cum ab omnibus reseruatis absoluere valeat, vt asserit. Nec obstat, quòd licentiam de nouo petierit à Vicario Capitulari, qui eidem gratiam fecit limitatam ad certos casus, quasi ab alijs absoluere non possit. Si quidem cum putaret per illud edictum fuisse reuocatas omnes gratias, ideò hoc errore ductus, petijt de nouo gratiam, sed sibi non præiudicauit, quia errans nihil dicitur fateri, l. Non fatetur, ff. de confessis, & error facti nõ nocet, cap. fin. de confessis, neque dicitur, renuntiasse priori licentiæ, quia errans non amittit rem suam, l. Si procurator, ff. de acquir. rer. dom. ad renuntiationem requiritur consensus, errans autem caret consensu, l. Nihil 117. ff. de reg. iur. demùm tantum abest, quod sibi præiudicauerit, vt potiùs procurauit eiusdem confirmationem. Nec obest illa limitatio, quia vtendo priori licentia ampliore, potest ab omnibus absoluere, renuntiando posteriori gratiæ, vt minus vtili. Confirmatur id ex ijs, quæ docui to. 2. resolut. 52. q. 48. nimirùm, quem posse vti priuilegio ampliori, relicto minus amplo sibi concesso ab alio Superiore.

DECISIO CCCXX.

An nutrix possit contrahere matrimonium cum ablactato à se?

NIhil impedit, quin nutrix possit matrimonium inire cum eo, cui ab infantia lac tribuit, quia per hoc nullum contraxit impedimentum, non solùm dirimens verum, neque prohibens, inter illa enim non numeratur. Neque hoc arguit aliquam inhonestatem, quia lactatio non gignit parentelam, nec identitatem sanguinis facit, sicut prima generatio. Et de hac re nulli est dubitandum: Idem dic à fortiori de fratre, & sorore collactaneis nutritis mammis eiusdem fœminæ dictis fratribus secundùm alimentum lactis, non secundùm generationem, quæ sola impedit matrimonium, non adgeneratio extraneæ nutricis.

DECISIO CCCXXI.

An nunquam confessus desideria, quia non putabat peccata, teneatur reficere confessiones?

VIr alioquin prudens & sciens, qui anteà in suis confessionibus nunquam se accusauit de desiderijs carnis, furti, odij, &c. eò præcisè, quia putabat, ea non esse peccata, aut de illis nunquam dubitauit, sintne peccata, non debet esse anxius circà præteritas confessiones respectu integritatis, neque tenetur illas reficere, neque huiusmodi desideria aliàs non confessa modò cõfiteri; Ratio est clara; primò, quia stante eius bona fide, quæ secundùm omnes à peccato excusat, non peccauit, ergò ex hoc capite non tenetur reficere confessiones; secundò, dictæ confessiones non caruerunt sua integritate, quia integritas habet pro obiecto solum peccatum tale cognitum ex parte pœnitentis, qui in casu nostro nunquam habuit cognitionem, vel aduertentiam, illa desideria fuisse peccata, & hæc ignorantia in eo fuit inculpabilis, sicut fuit in D. Paulo, dum dixit ad Rom. 7. 7. *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Ex quo tertiò sequitur hunc virum non teneri ea desideria confiteri, quia solum peccatum est obiectum huius Sacramenti. Nihilòminus pro quiete conscientiæ suæ poterit, si vult, ea desideria fateri talia, qualia sunt in seipsis, simul cum alijs peccatis.

(·.·)

DECISIO CCCXXII.

An Vicarius Capitularis absoluat ab excommunicatione duellantes.

IN Tridentino sess. 25. cap. 19. contrà duellantes publicè, & alios, prætèr alias pœnas, infligitur excommunicatio nulli reseruata, quam postea sibi reseruauit Gregor. XIII. in sua Bulla incip. *Ad tollendum*, extendendo illas ad priuata duella, & prædicta confirmauit Clemens VIII. in sua incip. *Illius vices*, extendendo pœnas ad alias personas, & de nouo eas excommunicando, sed de reseruatione suæ excommunicationis nulla fit mentio. Vide quæ dico suprà Decis. 84. & alibi.

Dico, Vicarium Capitularem posse absoluere ab ea excommunicatione, quandò duellnm fuit occultum; Probatur, quia Capitulum Sede vacante vti potest priuilegio Tridentini sess. 24. cap. 6. concesso Episcopis absoluendi ab omnibus casibus occultis, Sedi Apostolicæ reseruatis, vt docent Marcellus Vulpes in sua Praxi cap. 44. nu. 19. Sanchez lib. 8. disp. 2. num. 10. alios referens Diana part. 7. tract. 2. resol. 3. succedit enim in omnia iura ordinaria Episcopo competentia, siuè de iure communi, siuè de iure speciali, vti Episcopo. Sed Episcopus potest absoluere ab excommunicatione duelli occulti ex vi huius capitis Tridentini, vt docent Bonac. disp. 2. de censur. q. 3. p. 48. num. 39. in Bullario, & de cens. in communi disp. 2. q. 6. p. 2. num. 15. Peregr. de duello q. 33. num. 1. cum eis Diana par. 7. resol. 21. de duello in fine. Nec obstat, quòd Gregorius XIII. fuerit post Tridentinum, quasi eius priui-

priuilegium non comprehendat nouas Bullas. Quia alijs allegatis Diana par.7.resol.20. de duello, benè probat, priuilegium esse commune tàm futuris, quàm præteritis constitutionibus, modo per illas expressè derogetur huic priuilegio.

DECISIO CCCXXIII.

An Benedictio Episcopi comprehendatur in concessione licentiæ ad concionandum?

REgulares prædicaturi in suis Ecclesijs Benedictionem, in alienis etiam licentiam Episcopi petere debent, Trident. sess.5. cap.2. & sess.24. cap.4. Si licentiam habeant à Vicario, tenentur distinctè Benedictionem petere ab Episcopo, non verò si obtineat per seipsum ab Episcopo licentiam, quia sub licentia obtenta ab Episcopo personalitèr continetur virtualitèr Benedictio: ibi; *Cum qua licentia*, scilicèt, obtenta à suis Superioribus Regularibus, *personalitèr se coràm Episcopis præsentare, & ab eis Benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.* Approbando enim Episcopus illam licentiam, siuè sit Superioris Regularis, siuè sui Vicarij, censetur illos benedicere, non contradicendo, quarè tunc solùm Benedictio distinguenda est à licentia, quando per seipsos non comparent coràm Episcopo pro ea causa.

DECISIO CCCXXIV.

An Episcopus Extraneus sine licentia ministret Sacramentum Confirmationis?

EPiscopus Placentinus hic Parmæ non potest licitè hoc Sacramentum ministrare sine licentia Episcopi Parmæ, non solùm non suis subditis, immò neque suis, quia nullus potest suam exercere iurisdictionem extrà proprium territorium, quamvis sit voluntaria, nisi accedat consensus Prælati, in cuius Diœcesi vult ministrare; ordo enim confunditur, si vnicuiq; propria iurisdictio non seruatur, cap. Peruenit 36. 11. q. 1. Quarè neque Parmensem Episcopus Placentinus ad se accedentem Placentinum confirmare potest, quia non est illi subditus, nisi habeat licentiam Episcopi Parmensis, saltem præsumptam, quam censetur habere ille, qui ad ipsum dimissus fuit ad recipiendos ordines, & nondum est confirmatus, in hoc enim casu potest admitti ad hoc Sacramentum, quia concedens finem, concedit consequẽtia ad finem; sed Confirmatio debet præmitti Ordinibus, ergò Parmensis recepturus Ordines de licentia sui Ordinarij ab Episcopo Placentino, præsumitur habere quoque licentiam ad recipiendum Sacramentum Confirmationis. Confirmatur id, quia vno concesso, intelliguntur concessa ea omnia, per quæ peruenitur ad illud, l.pen. de vsufr. cap. Præterea, cap. Prudentiam, §. Sexta, de off. deleg. Ita Zambranus, Layman, & Fagundez apud Dianã resol. 24. de Sacram.

DECISIO CCCXXV.

An Vicarius Capitularis det licentiam alicui Episcopo Confirmandi, & Ordinandi?

QVamuis Capitulum Sede vacante succedat in omnia iura ordinaria Episcopi præmortui, vt docent omnes cum Quar. verbo. Capitulum Sede vacante, ac proindè possit dare licentiam extraneo Episcopo, vt suos subditos confirmet; non tamen potest concedere dimissorias ad Ordines, neque vocare alienum Episcopum, vt Ordines illi conferat durante primo anno à die vacationis, nisi Clericus coarctetur occasione beneficij obtinendi, aut obtenti, vt expresse prohibetur sess. 7. cap. 10. vbi Capitulum contraueniens subiacet interdicto Ecclesiastico; & ordinati in minoribus nullo gaudent priuilegio etiam in criminalibus; in maioribus vero, carent executione ordinum ad beneplacitum futuri Episcopi.

DECISIO CCCXXVI.

An, & quomodò inter Confraternitates detur communicatio Indulgentiarum, & Priuilegiorum?

AD huiusmodi communicationem requiruntur sequentia. *Primò* Confraternitas petens aggregationem debet esse legitimè erecta, iuxta Bullam Clem. VIII. incip. Quæcumque 115. in Bullar. Nouo, & apud Quar. v. Confraternitates. *Secundò*, non potest aggregari, nisi præuio consensu, & litteris testimonialibus sui Ordinarij, qui sit loci, idest Episcopus, vel eius Vicarius Generalis, aut Capitularis Sede vacante, quibus litteris Ordinarius apud Confraternitatem aggregantem commēdet officia pietatis, quæ solet exercere Societas aggreganda. *Tertiò* communicatio Indulgentiarum, & Priuilegiorum, quibus gaudet Aggregans, debet fieri ab Aggregante nominatim, & in specie numerando Indulgentias, & fauores, quas communicat, ita quod non sufficit communicatio in genere, neque ad instar, in quo differunt à Regularibus, qui inter se æqua primò participant priuilegia. *Quartò*, Indulgentiæ, & fauores communicati antèquam publicentur, à proprio loci Ordinario Confratriæ aggregatæ debent recognosci cum duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo, iuxtà Tridentinum sess. 21. cap. finali. *Quintò* aggregatio autem fieri non potest nisi inter Confraternitates eiusdem instituti, ita quod Aggregans potest vnire sibi omnes alias eiusdem professionis, & non alterius instituti, fit autem aggregatio per Archiconfraternitatem, & non per alias inferiores, quæ tantum aggregantur illi, & non è contrà, cum ordo naturæ, & moris sit, vt inferior sequatur Superiorem, & minorem à maiore gratiam recipiat. Hæc colliguntur ex dicta Bulla.

DE-

DECISIO CCCXXVII.

An licentia audiendi Confessiones expiret cum licentia prędicandi?

SAcerdos habens licentiam ab Episcopo prædicandi in tali Ecclesia, nec non & audiendi Confessiones in eadem Ecclesia Parochiali de consensu eiusdem Parochi, vtramque duraturam vsque ad octauam Paschæ certum est, quod vlterius, nec dicta in Ecclesia, nec alibi audire potest, quia constat, limitatam fuisse vtramque facultatem. Nihilòminus dubitari potest, quandò expresse non reperitur facultas limitata? Item an extrà Ecclesiam audire infirmum in Parochia? Immò Parochianum in propria Ecclesia sua Regulari? Et quid, si nolit Parochus.

Primò dico, etiam tunc cum tempore prædicationis cessare licentiam Confessionum, quia licentia hæc accessoria est licentiæ concionandi, sed hæc durat tantum per tempus Quadragesimæ, ergò, & confessionis licentia.

Secundò, potest audire infirmum in Parochia, quia Ecclesia designatur, vt illa, in qua solet hoc Sacramentum ministrari, non, vt hæc facultas loco coarctetur. Deindè concionator censetur Parochi coadiutor pro tempore Quadragesimæ, ergò potest audire, vbicumque ille potest ministrare suis Parochianis Sacramenta.

Tertiò respondetur, posse ob adductam rationem, quia institutus fuit fauore Parochianorum, & designatio Ecclesiæ fuit, non ad restringendum facultatem, sed ad indicandum locum, vbi Sacramenta solent ministrari, & faciunt mox dicta.

Quartò, contradicente Parocho in hoc casu, non potest validè ministrare, quia facultas intelligitur accessoria, & concessa conditionatè, cum sit tantum fauore Parochi, ad illum exonerandum, si velit, præsertim cum sit data pro illo paruo tempore, videtur expressa voluntas Ordinarij, vt nullo modò velit concedere facultatem, repugnante Parocho. Quod, si aliundè habet facultatem, vel alio modò, alia est ratio, de qua Resol. 56. q. 33.

DECISIO CCCXXVIII.

An priuilegium reducendi Missas omninò sublatum fuerit?

IN Tridentino sess. 25. cap. 4. datur facultas Episcopis in Synodo, & Generalibus in Capitulis reducendi, & moderandi onera Missarum; id autem reuocatum fuit per Decreta de celebr. Missar. Dubitatur, an reuocatio comprehendat omnia onera, non solum suscipienda post promulgationem huius Decreti, sed etiam ea, quæ erant recepta antè emanationem huiusmodi reuocationis?

Dico, quod reuocat simplicitèr priuilegium Tridentini, ac proindè respectu quorumcumque onerum receptorum, siue antè, siue post huiusmodi reuocationem, clarè habetur in Decr. illis verbis. *Ac primo distinctè prohibet, ac interdicit, ne Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs, quoquomodò reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium*

lium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur. Ex quibus resoluitur aliud dubium, posse Episcopum, & Generales reducere onera Missarum recepta antè editionem, seu publicationem Concilij, propter eam clausulam: *Aut post idem Concilium imposita.* Et ita tenendum est.

DECISIO CCCXXIX.

An in Confraternitate sit verum priuilegium absoluendi à reseruatis?

QVidam Confraternitati de anno præterito 1647. communicata fuerunt priuilegia alterius Confraternitatis, cui de anno 1595. intèr alia concessum fuit sequens communicatum, vt dixit prædictæ. Est autem priuilegium sequentis tenoris. *Vt Confratres, & Consorores huiusmodi possint facilius consequi omnes supradictas Indulgentias; singulis eorum, & cuilibet Sāctitas sua concedit, vt valeant sibi in Cōfessarium eligere Sacerdotem approbatum ab Ordinario, qui audita eorum confessione, absoluere illos valeat à quocumq; peccato, delicto, & excessu quantumvis enormi, etiam in casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, exceptis ijs, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini, duabus vicibus in vita, & in articulo mortis, & in alijs casibus non reseruatis dictæ Sedi, toties, quoties voluerint.* Quamvis verba sint clara, & de hac re non esset dubitandum, nihilòminus à nonnullis dubitatum prudentèr fuit, quibus Ego.

Respondeo, præfatos Confratres nullatenus posse vti dicto priuilegio ea vnica ratione, quia sublatum fuit à Clem. VIII. in sua sua Bulla incip. *Quæcumque à Sede Apostolica*, in Bull. Nouo 115. in qua dat certam formam fundandi Confraternitates, & erectas aggregandi alijs cum suis priuilegijs, iuxtà quod dixi Decis. 326. vbi specialitèr illud priuilegium absoluendi à reseruatis, præsertim Episcopis reuocatur his verbis: *Decernimus insupèr, vt ijdem Confessarij prædictos Confratres cuiuscumq; gradus, status, conditionis, & preeminentiæ, etiamsi speciali nota digna fuerint, à casibus contentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi consueuerunt; nec non violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, videlicèt si sine necessaria, & vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint; nec non violentæ manus iniectionis in Clericum; & singularis certaminis, seu duelli; ac ab alijs etiam casibus tàm à nobis, quàm à prędicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis; & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata absoluere, & supèr irregularitatibus, tàm ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint.* Hæc Bulla emanauit die 24. Decembris 1604. Ex quibus patet, eam Archiconfraternitatem huic nostræ non potuisse communicare hoc speciale priuilegium absoluendi à quibuscumque reseruatis, quia ipsa non ampliùs eo gaudebat, cum fuerit reuocatum; nemo enim dat, quod non habet; neq; quis communicare potest priuilegia reuocata, & non ampliùs extantia, nō

entis

entis enim nullæ ſunt paſſiones; & ex Reg.79.in 6.Nemo plus iuris in alium transferre poteſt,quam ſibi competere dignoſcatur. Neque dicas, Vicarij Generalis licentia huiuſmodi publicationem ſubſiſtere; quia reſpondetur, Vicarium Generalem non eſſe ſuprà ius Pontificium, ſed dando licentiam, vt Summarium Indulgentiarum, & Priuilegiorum typis publicaretur, ſolùm conceſſit, & approbauit ea, quæ de iure approbare poterat: de iure autem non potuit approbare illud priuilegium contrà expreſſas prohibitiones Pontificias, ergò illud non approbauit. Demùm id clariſſimum eſt, quia aliàs ſequeretur,quòd Confraternitates eſſent melioris conditionis Religionibus,& potioribus fouerentur beneficijs, & priuilegijs, quod non eſt rationabile; conſtat autem,Regulares carere huiuſmodi priuilegio abſoluendi à reſeruatis, ergò eodem carent Confraternitates.

DECISIO CCCXXX.

An Prouincialis non citatus priuari poſſit, ſi ex eius litteris probetur delictum?

GEneralis Ordinis N. non potuit priuare ſuis officijs quoſdam Patres officiales, illis non citatis, nec auditis,ſed ex ſola occaſione quarumdam litterarum ductus declarauit,eos incidiſſe in priuationem ſuorum officiorum,quia tranſgreſſos fuiſſe Decretum 35.Clem.VIII. putauit continens pœnas contrà ambientes officia in Religione inflictas. Litteræ autem, quæ mouerunt Generalem ad ſententiandum illos Patres,ſunt ſequentis tenoris: *La riuerenza douuta à S. P. R. in raccommandatione del Padre N.mi sforza darlene parte, come non potendo hora riuſcire Prouinciale, per trouarmi in parola col Padre N. habbiamo dato parola al detto Padre N. di portarlo alla detta carica del Prouincialato con tutte le noſtre forze il triennio auuenire.* Conſtat ex his,P.Generalem commendaſſe Vocalibus, vt proponerent in Prouincialem Patrem N. reſponderunt Patres, pro tunc non poſſe illum proponere, quia de alio iam in tractatū fuerunt,& ideò in futuro Capitulo procuraſſent illius promotionem. Cum igitur præfatus Generalis nullum præmiſerit proceſſum,neq;illos Patres prætenſos reos ſimoniæ, & ſubornationis, ſeu procurationis ſuffragiorum, citauerit ad ſe defendendos, ſed tantùm illis litteris perſpectis cum ſuis Collegijs tulerit ſententiam priuationis officiorum cōtrà illos, facilè probatur iniquitas, & inualiditas ſententiæ ex multis capitibus.

Primò,quia communis doctrina eſt in omni iure fundata,naturali,diuino, & humano,quod ſententia lata,reo nō citato, & parte inaudita, eſt ipſo iure nulla, naturali quidem, quia omnibus à natura inditum eſt ſe defendere, vndè citatio vocatur ſpecies defenſionis, Doct.in l. final. C.de legib.Vantius de nullit.in Rubr.Ex defectu citat. diuino quoque, ex quo,licèt Deus certiſſimè ſciret Adam, Cain, & Sodomitas eſſe reos, nihilòminus antèquam in illos animaduerteret,vocauit, & citauit, ſi quam cauſam producerent, proptèr quam non eſſent mulctandi;cap.Deus 20. 2. q. 2. de iure humano dicitur per Gregorium Papam,cap.1.de cauſa poſſeſs.*Nec nos contrà inauditam partem ali-*

quid

quid possumus definire. Quarè si Papa, de quo dicitur cap. Cuncta per mundum q.93. neminem potest condemnare, nisi prius illum citauerit, & audiuerit, atque attentans inualidè agit, à fortiori dicendum est in casu nostro, Generalem inualidè sententiam tulisse contra hos Patres, nullo modò citatos. Quod autem sententia sit nulla parte non citata habetur cap. Caueant 2. cap. omnia 4.3. q.9. gl.v. Non obstantibus extr. comm. de dolo. Et in causa electionis cap. fin. de elect. in 6. Portell. part.2. casu 4. nu.3. ex Rodr. Viuian. lib.9. de iurepatr. cap.1. nu. 24. Caualer. decis. 376. Et quod citatio etiam respectu Religiosorum sit necessaria ad valorem sententiæ docent Mirand. q.14. de ord. iudic. Aretinus in substant.3. cap.2. §. Stante ergò, Ghisiler.c.10. num.15. Peyrin. in suo Formul. lit.S. cap.3. num.2. vbi ex communi Doctorum etiam in notorijs citati necessaria est, & de substantia Iudicis, ita quod illa omissa, nulla sit sententia lata.

Secundò, ea sententia fuit nulla defectu recognitionis dictarum litterarum, super quibus fundatur sententia, illæ enim, vt probent, debent recognosci per illarum scriptores, vt Doctores tradunt in l.Si ita scripserit, ff. de condit.& dem. Mascard. de probat. concl. 978. Ratio est, quia litteræ possunt confingi à maleuolis imitantibus manum Auctoris, immò, & negari ab Auctore, ex quo cum res reddatur dubia, Iudex statim non potest deuenire ad sententiam, sed cogere reum ad dicendam veritatem.

Tertio, litteræ secundùm se spectatæ æquipollent confessioni extraiudiciali, quæ semiplenam tantùm facit probationem, quod non sufficit ad ferendam sententiam, Clarus q. 55. num. 3. Mascard. lib.1. concl.350. Farin. q.82. reg.1. ergò cum dictæ litteræ non fuerint recognitæ minus sunt, quàm confessio extraiudicialis, ac proindè non potuerunt P. Generalem inducere ad sententiam ferendam.

Demum illi Patres non fuerunt transgressi illud Decretum, vt patet ex eius tenore, qui talis est: *Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro seipsis, quam pro alijs*. Dicti autem Patres, nec pro se, nec pro alijs, suffragia procurauerunt, sed tantum per dictas litteras, se declarauerunt non posse tunc eligere in Prouincialem illum Patrem à Generali commendatum, & ideò promiserunt ad implere voluntatem Generalis in sequenti triennio, id autem non est procurare suffragia, neque in electionibus subornare, sed tantum proponere electoribus personam dignam electione, quod est quid diuersum à procuratione, & subornatione suffragiorum, vt docet Rodr. tomo 2. q.56. art.1. nam Petrus Apostolus, vt legitur Act.1. num.23. Apostolis proposuit Iosephum, & Matthiam eligendos, in locum Iudæ proditoris, & sors cecidit super Matthiam; & in tit. de elect. leguntur huiusmodi propositiones de personis dignis, & semper præcedit tractatus circà personas eligendas, quod nullam dicit subornationem, vt omnes docent cum Sigism. dub.56. Lauor. tit.4. c.6. nu.50. Præterquamquod, oppositum dici non potest, nisi inculpando etiam

Gene-

Generalem, qui sicut non est dicendus procurator, neque subornator suffragiorum, ita neque illi Patres dicendi sunt transgressores illius Decreti, cum ex dictis litteris tantum appareat, petitionem Generalis dilatam fuisse in aliud triennium.

Neque, quod supponitur in sententia, ex illis litteris colligi vitium simoniæ in dictis Patribus, verum est, quia ex illis non colligitur aliqua permutatio rei spiritualis fundata in prætio, quod necessarium est ad incurrendam simoniam secundum D. Thomam 2.2. q.100. art.1. communiter ab omnibus receptum; & esto esset simonia permutatio vnius officij cum alio, vel promissio, vt tenent nonnulli, quos pro se citat Dianã part.4. tract.4. resolut.150. quamuis oppositum probabilius sustineatur ab Arrag. Soto, Victoria, & Sanchez tom.2. opusc. lib.2. cap.3. dub.44. nu.3. asserentes non committere simoniam promittentes hoc modò. *Si me eliges in Priorem, ego eligam te in Prouincialem*. Quorum opinionem sequutus sum tom.2. resol.61. qu.8. & probaui respondendo obiectis; nihilominus in casu nostro non apparet huiusmodi promissio, cum præcisè illi Patres profiteantur, se in futuro capitulo velle complacere Generali, quod nullam dicit simoniam.

DECISIO CCCXXXI.

An Anniuersarium importet tantum Missam cantatam?

OBligat celebrare sub his verbis; *Grauando eosdem Fratres ad celebrandum sex anniuersaria à mortuis in Ecclesia eorumdem Fratrum in Ciuitate Parmæ singulo anno in perpetuum*. Satisfaciunt cantando vnicam Missam; præmisso Officio defunctorum, aut in totum, aut in partem iuxtà consuetudinem propriæ Ecclesiæ, prout fit in alijs Anniuersarijs, in quibus non exprimitur certus numerus Missarum. Probatur; Tum quia Anniuersaria interdum exprimuntur cum numero Missarum, interdum sine illis, ergò signum est, quod Anniuersarium consistere potest in vnica Missa citata. Tum quia in dubio interpretatur minor obligatio, vndè habens votum dandi mensuram, sufficit dare minorem ex cap. Ex parte 18. de censibus; sic promittens Deo Calicem, satisfacit, dando Calicem argenteum, vel inferioris materiæ. Tum quia facit Reg.30. in 6. In obscuris minimum est sequendum, obscurum autem, & dubium est, an testator velit plures Missas, præsumitur minimum voluisse, & sic Missam cantatam sine alijs. Tum quia obligatio strictè interpretanda est, vbi de ea controuertitur, l. Quicquid, de verb. oblig. gl. v. Non inuenitur cap.2. de translat. Episcop. Confirmatur, quia Testator in dubio censetur se voluisse conformare cum iuris dispositione, l. Hæredes mei §. cum ita ff. ad sen. cons. Trebell. ibi Doctores. Sed ex dictis iuribus colligitur, in dubio minorem obligationem esse sumendam, ergò ita interpretanda est mens Testatoris in casu nostro. Adde, quod sicut Testator præsumitur minus velle suos hæredes grauare, l. Vnum ex familia, §. Si rem, ff. de legat.2. ita hæc eadem præsumptio trahi potest ad legatarios, qui aliqualem hæredis speciem præseferunt.

DE-

DECISIO CCCXXXII.

An citandus promotus, quem Superior non vult confirmare stante aliquo defectu?

CItandus est electus, alitèr negata confirmatio nullius est momenti; probatur, tum quia ad confirmandam, vel infirmandam electionem, diligentèr examinanda est persona electi, & eiusdem electio, cap. Nihil 44. de elect. cap. Indemnitatibus 43. §. Sanè, ibi; *Diligenti examinatione præmissa*, eod. in 6. Clem. Exiui, §. Demum, de verb. signif. illis verbis: *Diligenti examinatione præmissa, confirmetur, vel etiam infirmetur*. Sed sine citatione promoti examen non dicitur diligentèr factum, cũ citatio sit de iure naturali, & de genere defensionis naturalis ex allatis præced. Decis. 330. Tum quia electus ex sua electione ius ad illam acquirit, gl. v. Relatio, cap. Quanto 10. dist. 63. item v. Resilire, cap. Cum intèr 25. de elect. ergò hoc iure non est priuandus ipso irrequisito; esto enim nõ sit adhibenda ea diligentia in formando processu, quæ adhibenda esset in deijciendo iam confirmato, quia is ius habet in re, adæquatum, & pacificum, & nondùm confirmatus solùm in re, nihilòminus non sunt omittenda ea, quæ spectant ad substantiam iudicij, intèr quæ connumeratur citatio rei, potest enim esse, quod iniustè Iudex informetur. Quarè benè Portellus ait par. 2. casu 4. num. 3. quod electus priùs debet audiri, quàm excludatur ab officio, ad quod fuit electus, id enim est grauissima pœna, ideò non est priuandus sine eius citatione. Nec dictis obstant Doctores, quos pro se citat Peyrin. in suo Formul. lib. 6. cap. 18. num. 7. dum dicit ex communi Doctorum, confirmatori sufficere probare extraiudicialitèr absque examinatione iuridica causam, proptèr quam non est confirmandus, quia ex hoc solum infertur, non esse seruandos apices iuris.

DECISIO CCCXXXIII.

An legatus à latere absoluat ab Excommunicatione duellantium?

NOn potest, quandò prouenit ex duello publico, vtique si prouenit ex priuato, & casus sit occultus, iuxtà dicta superiùs de Episcopo, & Vicario Capitulari Sede vacante sub Decis. 322. Raro tamen accidit, quòd delictum duelli sit occultum, ideò non solent absolui, sed mitti ad Romanum Pontificem, cui ea excommunicatio est reseruata.

DECISIO CCCXXXIV.

An ad simoniam debeat interuenire aliquid pretio æstimabile?

REspondetur affirmatiuè; probatur, tum quia simonia dicitur à Simone mago, Act. 8. 19. qui Apostolis obtulit pecuniam, vt sibi venderent spiritualem potestatem dandi Spiritum Sanctum; & in hoc sensu terminus simonia accipiendus est, qui est propria eius significatio; neque enim rationabile est, delicta extendere vltrà propriam eorum naturam, neq; vnum cum alio confundendum est. Tum quia à D. Thoma ab omnibus recepto 2. 2. q. 100. art. 1. definitur studiosa

sa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, quod pretio, & pecunia perficitur. Ita communiter Doct. quos pro se citat Bonac. de simon. q. 1. num. 6. est enim permutatio rei spiritualis cum re temporali, & pretio æstimabili. Quarè non erit simonia permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, seu officij, cum officio inter Regulares, quorum officia nihil pretij, seu rei temporalis coniunctum habent. Vide suprà Decis. 330.

DECISIO CCCXXXV.

An sit simonia remissio pœnæ danti suffragium?

SI tuum votum mihi dubium, ego tibi pœnam condonabo. Non est hic simonia inter Religiosos, quia pœnæ condonatio apud Regulares nõ est pretio æstimabilis, condonatio enim pœnæ de se prouenit à potestate Superioris, qui illam condonare potest, si vult, ex quo ex parte rei nulla resultat obligatio, nisi gratitudinis, quę simoniam non inducit. Quod, si pœna redimi possit, id non habet ex se, sed ex parte ipsius rei, qui potest contrahere non exclusus à proprietate, sicuti est Religiosus, qui proprietatis incapax, ideò sicut non potest pœnam pecunia redimere, ita neq; remissio pœnæ illi facta alio titulo, dicitur pretio æstimabilis. Quarè cum per accidens sit, quod pœna sit redimibilis, non est in casu nostro dicenda talis; sed simpliciter pœna irredimibilis est, tantum condonabilis ex clementia Superioris. Oppositum sentiunt Suar. tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 37. num. 16. & 19. & ex eo Portell. par. 2. casu 16. num. 6. Confirmantur prædicta, quia pœna dependet à culpa, & hæc à lege; culpa autem, & lex non sunt pretio æstimabilia, ergò neque pœna ab illis originem trahens.

DECISIO CCCXXXVI.

An ficta simonia probari possit iuramento?

QVi fictè promittit aliquid temporale pro spirituali, in foro conscientiæ non est reus simoniæ, vt docent Sotus lib. 9. de Iust. q. 8. art. 1. Graff. par. 1. Decis. lib. 2. cap. 97. nu. 81. cum alijs Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 31. §. 9. in fine. In foro tamen externo reus habetur, & cogitur subire pœnas, vndè non potest se tueri, dicendo fictè promisisse, quia exterius fictionem, quæ in animo latet, non potest probare, nisi medio iuramẽto, gl. v. Si est ita, cap. Significasti 16. de homic. Couar. lib. 2. Var. cap. 10. Non expedit autem dare iuramentum reo exterius conuicto de simonia, tum quia iam delictum est probatum; tum quia in causa propria nemo idoneus testis, cap. Si testes 2. §. Nullus 4. q. 2. & 3. esset autem sibi testis, cum iuramentum habeat rationem probationis, gl. v. Iuramento. cap. Præsentium 31. de testib. Tum quia adhibetur solum in defectũ probationis, gl. v. Saltem, ca. Statutum 11. §. Cum vero, de rescr. in 6. Sed simonia est probata pro foro externo, ergò demum non expedit pro salute animæ in his casib. deferre iuramentum, quia facilè aperiretur via ad periuria, quisque enim iuraret se finxisse, ne officio priuaretur.

DECISIO CCCXXXVII.

An Sacerdos coniungens in Matrimonium omissis verbis peccet mortalitèr, & nullum faciat Sacramentum?

IN Tridentino sess.24.cap.1.dicitur: *Ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesię procedatur, vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxtà receptum vniuscuiusque Prouinciæ ritum.* Paulus V. in suo Rituali apposuit formam interrogandi illos vulgari sermone his verbis. *N. Vis accipere N. hic præsentem in tuam legitimam vxorem, iuxtà ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ?* Respondeat sponsus: *Volo.* Mox sponsam interroget: *N. vis accipere N. hic præsentem in tuum legitimum sponsum, iuxtà ritum S. Matris Ecclesiæ?* Respondeat: *Volo.*

Sacerdos omittens priorem formã in Tridentino expressam non peccat mortalitèr, sed tantum venialitèr, quia computatur intèr formas accidentales, quarum omissio, sicut non vitiat matrimonium, cum forma huius Sacramenti consistat in expressione mutui census; ita neq; inducit peccatum mortale, ita docent Gutier.cap.69. de matr.num.16.Sanch.lib.8.disp.38.num.7.Coninch.de Sacram. disp.27. dub.4. num.45. Villal. apud Dianam resolut. 256.contrà Rebellum, & alios, Zanardum, & Cenedum. Similitèr dicendum est, Sacerdotem non peccare mortalitèr omittendo interrogationes, quia est forma accidentalis magis remotior, quàm superior, prętèrquam quod forma interrogationis est prævia dispositio indicans futurum de præsenti matrimonium; forma verò coniunctionis demonstrat completũ matrimonium per mutuum consensum intèr contrahentes præstitum, quarè cum sint extrà substantiam matrimonij, earum omissio non potest arguere, nisi peccatum veniale. Ita præcitati Coninch.disp.27.dub.8.concl.4. n.74. Sanch.lib.8.q.38. num.9. Gutier. cap. 69.num.17.cum illis Diana resol.294. de Matrim.

DECISIO CCCXXXVIII.

Episcopus, quomodò benedicit populum, quandò adest Prælatus, vel Princeps?

NOn transgreditur ritum sibi traditum in Cæremoniali lib.1. cap. 25. Sed primò vertit se ad latus Epistolæ, & ibi primò benedicit, secundò benedicit versum Ecclesiæ medium, demum tertio ex parte Euangelij, itaque nullius personam debet respicere, tum quia motus fieri debet semper naturalitèr à sua dextera versus Epistolam, & non à sinistra ad dexteram, quia tunc motus est irregularis; tum quia benedicens est maior quolibet benedicto, ergò tunc nullius respicit personam. Tum quia non decet Episcopum violare ritum, quem Ecclesia ordinauit, vt obsequatur Principem. Hinc collige, Principem debere se ponere ex parte Epistolæ, vt prima benedictio descendat super caput eius, prętèrquamquod illa dicitur manus dextera, sicut respectu celebrantis faciem suam vertentis ad populum, pars Euãgelij dicitur manus eius dextera. Ad

de

de differentiam inter celebrantem, & audientem, quod celebranti necessarium est vertere faciem ad populum, quo motu partem Euangelij facit sibi dexteram, populo verò, qui edocetur, & benedicitur inconuenieniens est; vertere terga ad Altare, versus quod semper faciem habere debet, ideò ex natura rei seruat locum sibi digniorem ex parte Epistolæ. Quarè reprehendendi sunt Magistri cœremoniarum Principum sæcularium irrationabilitèr docentes, illos habere locum digniorem ex parte Euangelij, illos enim decipiunt siquidem dum non possunt vertere terga ad Altare, versus quód faciem semper habere debent, manifestum est, illos persistere in loco minori, dum ducuntur ad partem Euangelij. Confirmatur id, quia in Thurificatione populi, ducitur Thuribulum prius ad medium Ecclesiæ, deindè versum partem Epistolæ, demum thurificatio tertiò ductu finitur ex parte Euangelij, ratio huius alia assignari non potest, nisi quod pars Epistolæ respectu Laicorum quorumcumque est locus dignior loco Euangelij, cum ille sit ad manum dexteram populi, iste verò ad sinistram; hinc Mediolani diuiduntur homines, masculi vti digniores genuflectunt ad partem Epistolę, fęminę vero ad partem Euangelij.

DECISIO CCCXXXIX.

An Baptismus collatus subiecta forma valeat?

Baptismus à Mammana collatus sub his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & S. Catharinæ. Amen.* Validus est, quia ad sunt necessaria ad eius valorem, materia, qui est Baptizandus; intentio, vt supponitur, & forma tota, vt constat. Neq; enim expressio S. Catharinæ, in qua est difficultas præsens, vitiat hoc Sacramentum, siquidem finitis verbis formæ Ecclesiasticæ, statim Baptismus fit, cum ei nihil tunc desit de substantialibus; neque enim additio ad formam, quæcumque ea sit, alicuius est efficaciæ, vt valeát euacuare Baptismum, sed potius ipsa euacuatur, & pro non adiecta habetur, si spectetur, vt præiudicialis, ad quod facit etiam illud axioma, quod vtile per inutile non vitiatur Reg. 37. in 6. Hæc est Doctrina D. Augustini relata cap. Si non Sanctificatur 72. dist. 4. de consecr. & ibi gl. fin. dicit apertè, quod additio ad formam non vitiat Sacramentum, & dat exemplum, si addatur, & exprimatur nomen Diaboli, à fortiori si addatur nomen alicuius Sancti. Bonacina de Baptismo p. 4. nu. 19. exemplificat in additione B. V. aut Sanctorum, & subdit valere Baptismum, si minister intendat conferre Baptismum per illorum intercessionem; non vero, si intendat Baptizare in virtute illorum, quia adest mutatio substantialis in verbis formæ cum errore contrario significationi verborum. Sed non placet

ista distinctio, & dico Baptismum simpliciter valere, quia hic nulla est mutatio substantialis in vera forma, sed tantum additio ad illam, in qua additione præcisè consistit error contrarius non significationi verborum veræ formæ, sed sensui verborum additorum; & præterea error, & ignorantia non habent destruere proprium significatum formæ, cum super illam non cadant, sed super additionem tantum redundantem aliquo modò, etiam in forma, quæ tamen per hoc non vitiatur, cum non mutetur in seipsa, sed tantum extrinsece per prauam cognitionem Baptizantis, quod non vitiat Sacramentum, sicut non vitiatur per hæresim, & errorem, quem habet hæreticus, quandò baptizat iuxtà formam Ecclesiæ, intendendo facere, quod facit Ecclesia, quamquam alioquin habeat diuersos errores in intellectu, immò non credat remittere peccata, &c. huiusmodi enim errores sunt extrà naturam, & valorem Sacramenti, quod tribus conficitur, materia, forma, & intentione, quæ hic non desunt. Demum illi errores aliud sunt ab intentione, nam illi spectant ad intellectum, hæc vero est actus voluntatis, qua quis se deliberat, & vult conficere Sacramentum iuxtà ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, idest adhibendo formam, qua vtitur Ecclesia, & quam illa præcipit adhibendam.

DECISIO CCCXL.

An deiectio Bireti ex capite Clerici inducat Excommunicationem?

QVidam Laicus, qui pro consanguineo instabat, vt Clericus genuflexus veniam peteret, & mentiretur de quibusdam verbis iniuriosis dictis suo consanguineo item Clerico eiusdem Ordinis, & Societatis; quia prædicta noluit præstare, ense stricto, verbis minacibus tandem è capite deiecit Biretum Clericalem. Iste sæcularis cum suo consanguineo sine dubio incidit in Canonem, sæcularis quidem propter iniectionem manuum violentarum suadente Diabolo, Regularis vero propter mandatum datum sæculari de prædictis. Primum probatur, quia ad incurrendam hanc excommunicationem sufficit, quod tangatur aliquid adhærens Clerico violenter, & suadente diabolo, vt docent omnes cum gl. verb. manus cap. Si quis 29.17.q.4. Nauar. cap.27.num.76. §.Quinta, Sayr.lib.3. cap.26. nu.14. Layman.lib.1. tract.5. par.2. cap.5. §. Manus, qui cum multis alijs dicunt, incurri excommunicationem hanc ab eo, qui eripit aliquid è manibus, vel corpore Clerici, puta librum, pileum, vestem, &c. Sylu. Excomm.6.nu.11.& in hoc non est difficultas, maximè, cum Laicus iste eo modò narrato Biretum Clericale è capite insolenter deiecerit, quod reputatur non leuis iniuria. Secundum de mandante tale quid suo consanguineo probatur per cap. Mulieres §. Illi vero, de sentent. excom. *Illi vero, qui non per seipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato alijs violenter*

manus

manus inijciunt in Clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi, cum is committat verè, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. Itaq; dubitandum non est, hunc Clericum, cui dictum fuit in correctionem, quod esset insolens, & temerarius à suo Superiore, cui nescio quid debitum denegauit, incurrisse excommunicationem, à qua se tueri non potest, titulo defensionis, quia non fuit offensus, sed à suo Superiore iustè increpatus, vti inobediens, cum ter requisitus fuerit, & semper recusauerit restituere petitum, quod tenebatur tradere; prçterquámquod, esto increpatio illis verbis facta, esset illi iniuriosa, non ideò poterat eo modo vindictam sumere, recurrendo ad consanguineum, sed opus erat recurrere ad Superiorem increpantis, & procurare satisfactionem, si qua erat necessaria.

DECISIO CCCXLI.

An publicatio Iubilæi differri possit extrà Vrbem?

RAtio dubitandi est, quia in Bullis Iubilæorum solet apponi hæc clausula: *Mandamus venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs quibuscumque Ecclesiarum Prçlatis, & locorum Ordinarijs, in virtute S. Obedientiæ, vt cùm harum litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas Prouincias, Ecclesias, & Diœceses publicari faciant.* Ergò eius publicatio differri non potest, sed statim publicandum est. Nihilòminus, si Episcopus distulerit ex legitima causa eius publicationem per vnam, vel alteram hebdomadam, prorogatio tenebit; Ratio est, quia illa particula: *Statim publicari faciant*, intelligenda est moralitèr, ita quod illud censetur factum statim, quod differtur per quindecim, aut viginti dies, immò per mensem, Surd. consil. 550. num. 6. Alex. in l. Diuortio, ff. de solut. matr. nu. 10. Confirmatur; tum quia illa particula, *Statim*, apponitur ad sollicitandum, non ad determinandum rigorosum tempus, ita vt debeat sine interuallo, & incontinenti publicari; tum quia hunc casum iterùm decidi suprà sub Decis. 29. Ratio autem prorogationis legitima est, siquidem, si publicaretur hodiè quarta Dominica Quadragesimæ, finiret in Dominica Palmarum, ac proindè multi Christi fideles non satisfacerent prçcepto Confessionis, & Communionis Paschalis, accepto Iubilæo in præcedentibus hebdomadibus, Reuerendissimus Vicarius id præuidens prudentèr distulit illius publicationem, vt simul Christi fideles vtrique satisfacerent, maximè illi, qui tepidi sunt, & Sacramenta raro suscipiunt. Addo prçdictis, quòd tempus non est coarctatum, vt fuit in quodam alio Iubilæo per Vrbanum VIII. felicis recordationis transmisso incip. *Publicis Christi fidelium*; illis verbis. *Illa statim, absq; vlla mora, retardatione, vel impedimento.* Quæ verba cum non exprimantur in præsenti, insinuant, admitti posse retardationem legitimam.

DECISIO CCCXLII.

An quis Iubilæum nondùm publicatum recipere possit?

HOc dubium proposui suprà Decis. 22. tractatum pro vtraque parte. Modò dico, neminem posse Iubilæum lucrari, nisi post publicationem in loco, vbi recipiendum est. Probatur; Tum quia nemo vti potest priuilegio nondùm existente, nondùm autem hic Parmæ Iublæum existit, ergò nemo illud potest lucrari antè publicationem. Minor suadetur; quia Romana punlicatio coarctatur Romæ, cum in Bulla mentio fiat de duabus publicationibus agendis, vna Romæ, altera extrà Vrbem, ergò sicut hęc posterior agenda est in omnibus locis, ad quæ extenditur, ita illa restringitur ad Vrbem, ergò per illam Iubilæum nondum dicitur existere extrà Vrbem; Tum quia aliquæ leges solum Romæ publicantur, & statim omnes afficiunt, aliæ verò ex tenore suo præcipiuntnr publicam etiam extrà, ita quod antè publicationem in singulis locis, nullam vim habent, nullos possunt producere effectus, vt notum est, ergò idem dicendum in casu nostro, cum Bulla Iubilæi sit quædam lex; tum quia antè publicationem nullæ Ecclesiæ dicuntur designatæ, ergò non potest quis lucrari Iubilæum; nec quicquam prodest notitia Ecclesiarum designandarum, quia adhuc non sunt designatæ; Tum quia sicut notitiam habens legis promulgandæ de valore monetæ augendo non potest expendere illam iuxtà valorem augendum, nisi post publicationem, ita neque vti Iubilæo, nisi post illius publicationem.

DECISIO CCCXLIII.

An Episcopus solus sit sepeliendus?

DIgnitas Episcopalis exigit, vt solus sepeliatur separatus non solum à Laicis, sed etiam ab alijs Ecclesiasticis, & Prælatis, admittens solum consortium aliorum Episcoporum, & id colligitur ex Rituali Pauli V. qui in tit. de exequijs ita statuit. *Sepulcra Sacerdotum, & Clericorum cuiuscumque Ordinis, vbi fieri potest, à sepulcris Laicorum separata sint, ac decentiori loco sita sint.* Si simplex Clericus cum Laicis sepeliendus non est, à fortiori Episcopus solus ab illis tumulandus est, proptèr eminentiam suæ dignitatis. Dicitur. *Vbi fieri potest*, quia in casu necessitatis & ipse sepelitur, vbi potest; neque enim hoc est præceptum, sed tantum decentia, & transgressor nullas incurrit pœnas, cum in iure nihil de hac rè disponatur.

DECISIO CCCXLIV.

De Sedilibus, seu Scamnis Laicorum in Ecclesijs.

DE hac materia tractant Genuensis in praxi Archiepiscopali Neapol. cap. 34. num. 22. & in additione, Gratian. discept. 210. num. 47. cum alijs Ciarlin. par. 2. cap. 119. Circa illam sequentia statuo.

Primò, nullus potest habere ius sedilis in Ecclesia, quicumque ille sit, etiam Imperator, nisi dependentèr ab auctoritate, & voluntate Patroni Ecclesiastici, nempè Episcopi, Parochi, seu Rectoris respectu Ecclesiarum sæcularium, & Superioris Regularis re-

spe-

ſpectu Eccleſiarum Regularium; Ratio eſt, qui iſti ſunt Domini ſuarum Eccleſiarum, ideò nullus ſine illis poteſt intrà eas ius acquirere, collocatio igitur ſedilis Laicalis in Eccleſia eſt ſub diſpoſitione Prælatorum, & Superiorum Eccleſiarum, vt docent præcitati.

Secundò, ius ſedilis iam acquiſitum reuocari non poteſt, ſed in eo Laicus manutenendus eſt, vt docent omnes cum Gratiano Diſceptat. 110. nu. 16. ad 19. Poſtius de manutent. obſeruat. 10. num. 19. Ciarlin. par. 2. cap. 119. num. 9. Quod procedit, licet non frequenter Eccleſiam, quam alias frequentaret, ſi illi locus ſcamni concederetur ibidem, ratio eſt, quia nullis auferendum eſt ius acquiſitum, ſed in eo poſſidens manutenendus eſt; præterquamquod ſedile non conceditur præcisè intuitu frequentationis, ſed cauſa commoditatis ad genuflectendum, vel ſedendum, quandò ingreditur Eccleſiam ad intereſſendum diuinis, ſeu concioni; & facit regula 61. in 6. Quod eſt conceſſum ob gratiam, non debet retorqueri in diſpendium.

Tertiò, licet Eccleſiæ Patronus mutaretur, aut de ſæculari fieret Regularis, ſeu è contrà; remanet ius ſedilis immutabile, Tum quia Eccleſia nullatenus mutatur, ſed tantum eius Patronus, ergò debet retinere iura ſua, & illa conſeruare illibata cuicumque. Tum quia in ea fundatur ius ſedilis, non in Superiore, & Prælato Eccleſiæ.

Quartò Eccleſia deſtructa, & redificata in eodem ſitu non perdit iura quæ habebat, vt docet Tiraq. in Reg. Ceſsante cauſa, apud Naldum v. priuilegium num. 8. ergò neque perdit ius ſedilis. Immò eadem iura retinet & conſeruat, ſi alio loco diſtanti de nouo ædificetur, quia omnia eius iura, & priuilegia tranſeunt ad ſecundum locum, vt colligitur ex gl. in cap. Priuilegium, de reg. iur. in 6. Innoc. in cap. Cum ex iniuncto, de noui oper. nunt. quos, & alios refert Tambur. tom. 3. diſp. 5. q. 6. conſequenter transfertur etiam ius ſedilis, eo modò, quo extabat in priori Eccleſia. Si Eccleſia amplietur, adhuc à fortiori cõſeruatur ius ſedilis iuxtà Ordinem, & ſitum reſpectiuè ad alia ſcamna, & partem adiunctam Eccleſiæ.

Quintò, ſi quandò mutanda ſunt ſedilia, vel propter Eccleſiæ ampliationem, ſeu reſtrictionem, aut Pulpiti mutationem, tunc mutatio ſedilium, ſi eſt neceſsaria, fit Regulariter, & proportionalitèr de omnibus, hoc ſuadente iure relatiuo ſedilium, mutatis enim extremis, mutatur & relatio illorum, vt collocatio ſedilium in nouo ſitu legitimè fiat, ſine alterius præiudicio, conſequentèr non videtur rationabilis mutatio vnius, vel alterius in præiudicium aliorum.

Sextò, ſicut ius ſepulturæ non tranſit ad fidecommiſſarium ex l. Quia perindè ff. ad Trebell. vt refert Lauor. de more funer. tit. 2. cap. 9. num. 53. ita neque ius ſedilis, ſed remanet apud hæredem.

Septimò, cùm ius ſedilis dependeat à voluntate Epiſcopi, & Prælati, ſi aliquandò in loco ſedilis, aliquid agendum ſit beneficio Eccleſiæ præcisè, tunc licet Epiſcopo, ſeu Superiori Eccleſiæ remouere ſedile, & illud collocare in alio loco, ſine tamen aliorum præiudicio; ratio eſt, quia com-

modum Ecclesiæ, vti publicum præferendum est particulari personæ sedilis, & consequentèr, neque in hoc casu alijs præiudicandum est, qui iam possident suum sedile.

Octauò, hic Parmæ Laicus suum sedile, seu stallum transfert de Parochia ad Parochiam, vt illo vti possit, quandò mutat Parochiam, ac proindè perdit ius, quod habebat in priori Ecclesia; si verò vsus sit collocandi illud in Ecclesia solum tempore Quadragesimæ, & posteà remouere illud, nullum ius perditur, quia non deserit patronus locum suum illi in Ecclesia designatum, sed tantum remouet sedile, quia eo anno amplius illo non vtitur.

DECISIO CCCXLV.

An Vsura sit mutuatarium obligare ad contractum ineundum?

CIuis, qui non vult mutuare centum suo Rustico, nisi secum ineat contractum societatis, non est vsurarius; ratio est, Tum quia huiusmodi obligatio contrahendi societatem non oritur principaliter ex mutuo, sed ex mera voluntate Rustici spontaneæ promittentis societatem sibi oblatam à Ciue patrono suo. Tum quia ambo se obligant ex præueniente promissione, non ex conditione contractuum mutui, & societatis, ex quo non potest sequi vsura, cum non ex promissione, sed ex mutuo sequatur, ergò in ea non consistit vsura. Tum quia obligatio constringens Rusticum de se non est pretio æstimabilis, cum nihil acquiratur, nec sit acquisibile mutuanti, aliter sequeretur absurdum, quod mutans cum pacto, quod mutuatarius sibi venderet, vel locaret domum, posset exigere aliquid supra pretium iustum domus, quod hactenus à nullo factum legitur, neque fieri potest, quia promissio vendendi prædium, domum, &c. non recipit pretium, sed obiectum ipsum tantum est capax pretij. Demum ciuis iste nihil acquisiuit, ergò nihil restituere tenetur contrà Confessarium, qui illi indicit, vt peteret remissionem ab illis personis, cum quibus contractum societatis iniuit. Ita sentiunt P. Nauarr. lib.3. cap.2. num.235. num.241. Regin. lib.25. cap.11. nu.198. Layman. lib.3. sect.5. tract.4. cap.16. num.3. quos citat Diana part.1. tract.8. resolut.60. contrà plures alios, sed non video apud istos sufficientem rationem, siquidem nullum apparet lucrum immediatè prouveniens ex his obligationibus, & ex natura earumdem obligationum, ergò non potest esse vsura, quæ immediatè, & formalitèr lucrum est verum, & materiale, non metaphysicum, neque speculatiuum.

DECISIO CCCXLVI.

An Eleemosina Iubilæi fiat à singulis Religiosis?

FIeri potest duobus modis, primò à singulis proprijs manibus, quod contingit apud illos Regulares, quibus ex vsu licet tangere pecuniam, & habere vsum aliquarum rerum; secundò à Superiore nomine omnium, hoc enim modò benè satisfit, quia, qui per alium facit, per seipsum facere videtur, & in his nullam puto esse diffi-

difficultatem; neque necessaria est Superioris licentia, quia in hoc casu Papa indulget Regularibus facultatem faciendi eleemosynam.

DECISIO CCCXLVII.

Eleemosina Iubilæi cui facienda sit?

DVbitatur supèr hac re, quia in Ecclesijs deputatis præparantur capsulæ, in quibus reponuntur à singulis visitantibus pecuniæ; sed hoc non arguit, eleemosinam necessariò faciendam esse in illis capsulis, siquidem in Bullis habētur huiusmodi verba: *Eleemosinas similitèr pro suo arbitrio fecerint*. Quæ non determinant, cui faciendæ sint, sed reliuquitur arbitrio volentis accipere Iubilæum, ergò possunt fieri etiam pauperibus. Illud enim verbum. *Pro arbitrio suo*, refertur ad duo, nimirùm ad quantitatem eleemosinæ faciendę, & ad personam, cui facienda est, nempè, cui voluerit ipse fidelis. In eleemosinam autem dari potest quælibet res, siuè pecunia, siuè panis, siuè quid aliud.

DECISIO CCCXLVIII.

An Iubilæum lucrari possit laborans in extremis?

RAtio dubitandi est, quia detentis aliqua corporis infirmitate, qui opera præcepta in Bulla præstare nequeunt, prorogatur tempus. Sed reuera tunc potest lucrari Iubilæum, Confessario à se electo commutante præscripta in alia pia opera, ita quod non tenetur differre in aliud tempus, idest enim disiunctiua, *vel*, indicans, fideles impeditos posse differre, vel tunc sumere Iubilæum; esset autem contrà charitatem, si tunc laborans in extremis non posset illud lucrari per alia pia opera, maximè enim eo articulo indiget hoc spirituali beneficio. Sed quæ opera pia faciet ægrotans in extremis? Confiteatur, & Communionem recipiat, eius parentes eleemosinam faciant, loco visitationis, & ieiuniorum dicat aliquas orationes, vel eleemosinam aliam porrigat pauperibus; si non potest orare ore, saltem corde precetur Deum.

DECISIO CCCXLIX.

An tempus determinatum pro celebratione Capituli prorogari possit?

REuerendissimus Pater Prior Generalis Ordinis N. non potest prorogare, & retardare Capitulum Prouinciale, de iure constitut. par. 3. cap. 7. celebrandum tertia Dominica Resurrectionis, alitèr attentans nihil facit, quod multis probatur.

Primò, id deducitur ex ponderatione verborum, quibus loco citato id tempus celebrationis Capituli præfigitur his verbis: *Quod sempèr celebrari volumus Dominica tertia post Pascha Resurrectionis*. Exprimitur ergò certum tempus, quod prætermittendum non est, & cum simul in claris non est locus coniecturis, l. continuus, §. Cum quid, ff. de verb. obligat. id manifestè indicantibus prædictis duabus dictionibus, *Sempèr*, & *Volumus*, nam, *Sempèr*, importat continuationem, per l. 1. §. Pereune, ff. de flumin. Corneus vol. 2. consil. 171. num. 6. 7. 13. Cenedus sin-

gul, 44. num.2. & perpetuitatem, ita quod tempus assignatum alterari non potest, l. Semper in ciuitate, ff. de iure immun. Socin. vol. 1. consil. 11. num. 5. Gozad. consil. 102. num. 7. ita quod continuatio, & perpetuitas significata per verbum, *Semper*, indicat, quod singulo biennio ea præcisè Dominica celebrandum est Capitulum, quod tempus alterari non potest. Paritèr verbum, *Volumus*, prætèr necessitatem, quam importat, faciendi Capitulum, est enim verbum præceptiuum, secundùm Doctores sequentes Imolam apud Sanchez lib. 6. cap. 4. num. 40. attenta etiam materia electionis, quæ est de præcepto celebranda, inducit formam substantialem, ita quod, si illud tempus non fuerit seruatum, corruunt omnia attentata, vt notant Doct. in l. Hoc ius porrectum, C. de sacrosf. Eccl. nimirùm dictionem, *Volumus*, importare formam substantialem, ideò Generalis ab ea recedere non potest mutando tempus præfixũ, arg. l. Si quis mihi, §. Si coram, ff. de acquir. hæredit. vndè, cum tempus in ea constitutione expressum, vt infrà magis patebit, sit de substantia electionis, non potest suppleri à Generali prorogatione illius, non enim Superior potest supplere ea, quæ spectant ad substantiam electionis, gl. v. remaneat, ca. fin. 30. q. vlt.

Secundò, quia in prologo constitutionum prohibetur quælibet mutatio additio, & minutio facta contrà illas, ibi: *In eo aliquid mutare, addere, & minuere nulli propria auctoritate licebit.* Quæ prohibitio afficit etiam Generalem, nam dictio *Nullus* neminem excludit, sed comprehendit omne genus personarum, cuiuscumque sint conditionis, & gradus, & generalitèr tenet, Panorm. in cap. Ad nostram, de elect. num. 5. nam dictio *Nullus* de homine quolibet dici, ergò etiam de Generali, qui non desinit esse homo per assumptionem ad hanc Prælaturam. Quod verissimum est in casu præsenti, cum in eodem Prologo immediatè dictæ prohibitioni subijciatur hæc clausula; *Definire tamen aliquo pro maiori vitæ Regularis obseruantia, poterit Capitulum Generale;* Ergò excluditur Generalis; tum quia est inferior Capitulo, & huic subditur, Corduba q. 3. in cap. 8. Regulæ primæ S. Francisci, Tamb. tom. 3. disp. 3. q. 1. num. 3. Tum quia cõcessum vni, censetur alijs prohibitum, l. Qui accusare, ff. de accusat. l. Cum Prætor 12. ff. de iudic. gl. v. Vt duo, cap. Ad audientiam 15. de Cler. non resid. non poterit ergò Generalis dispensare, & alterare tempus ad celebrandum Capitulum Prouinciale.

Tertiò, nam quæ sunt de substantia alicuius actus, à nullo, quicumque ille sit, nisi sit legislatot, mutari, & alterari possunt, neque per æquipollens suppleri, gl. v. transponentes, cap. Cum dilecta, de rescr. Osasch. Pedem. decis. 163. num. 4. Mascard. concl. 9. de Generali statuto interpret. ita quod attentata quæcumq; sunt ipso iure nullius momenti, vt docent omnes Doctores, quos refert Barbosa axiom. 101. num. 15. & in terminis de elect. Sigism. dub. 22. num. 9. Sed tempus prefixum à lege, seu statuto, est de substantia eius, cui præfigitur, Auth. Quę supplicatio, C. de pręcibus imper. porrig. in terminis electionis Alban. q. 14. est igitur tẽpus de forma actus, Bald. cum alijs in citata Authentica,

Rimin.

Rimin.iun. vol.3. consil. 271. & facit, quod notant Doctores in l.Si quis mihi,§. Iustum,ff.de acquir.hære d. dum dicunt,tempore certo faciendum non sufficere postea facere,id enim est expressè contra mentem legis, seu statuti præscribentis certum tempus.

Quartò, reprobatur retardatio, & mora in electiouibus, & negligentes puniuntur, cap.Cupientes, de elect. in 6. quia electionis mora longior suspecta est,immò sæpè damnosa, cap.Cum intèr 18. §. Quia verò, de elect. ideò Generalis nulla ratione prorogare potest hoc Capitulum, ne electiones fiant suspectæ, & damnosæ sint toti Capitulo.

Quintò, huiusmodi prorogatio præiudicialis est,non solum vocalibus, sed etiam ipsi constitutioni;vocalibus quidem,tum quia illis aufertur ius certum,& quæsitum celebrandi suum Capitulum statuto die, & ideò non tenētur iu hoc obedire suo Generali, nam in ijs,quæ spectant ad electionem,certis, & claris, Vocales sunt sui iuris independentes à Generali,& si enim careant velle, & nolle, ex vulgatis iuribus,tamen vtrumque habent in materia electionis, vt docui resol.85. q.11. cum Sigism. dub.10. num.6. & 7. ergò illos cogere non potest ad differendū Capitulum. Tum quia ex hac mora non tribuitur vnicuique, quod suum est, cum priores officiales diutius maneant in officijs, quam posteriores, quibus tempus diminuitur,si prorogetur tempus fauore priorum. Eidem quoq; constitutioni fit præiudicium, quia datur occasio similis moræ respectu aliorum Capitulorum, maximè, quandò Vocales vellent in suis officijs manere æquali tempore cum alijs præcedentis Capituli, non enim est maior ratio de vno, quàm alio, in omnibus enim ordo seruandus est.

Demùm, Generalis nullam potest habere rationabilem causam differendi Capitulum, quia si impeditur eo tempore, debet mittere Commissarium,vt disponitur in ijsdem constitutionibus par. 3. cap. 4. §. Vicarios, & hoc est manifestum, quia in ordine omnia Capitula fiunt tertia Dominica Resurrectionis, cum ergò non possit de iure,neq; de facto eodem præesse omnibus,mittere habet Commissarium.

DECISIO CCCL.

An Confessarius Quadragesimalis eligi possit tempore Iubilæi?

IN patentibus litteris Concionatorum sub Episcopatu Parmensi conceditur Concionatoribus facultas excipiendi confessiones fidelium his verbis; *Nec non in prędicta Ecclesia de consensu illius Rectoris quoscumq; Christi fideles vtriusque sexus ad te in Sanctissimo Pænitentiæ Sacramento recurrentes audire,& eos à peccatis suis absoluere, exceptis tamen casibus reseruatis, pręsentibus per totam octauam Paschatis proximè venturi duraturis.* Dubitatur an is Confessarius eligi possit à quolibet fideli volente lucrari Iubilæum hac Quadragesima publicatum;Ratio autem dubitandi est, quia Concionator iste non dicitur simplicitèr Confessarius, sed tantum pro hoc tempore Quadragesimæ, & prætereà in sola Ecclesia Parochiali, vbi prædicatur; potest exercere hoc sacrum munus, & præcisè de consensu Rectoris, vndè stan-

ſtantibus tot circumſtantijs, & limitationibus, non videtur eſſe de numero eorum Confeſsariorum, qui poſſunt eligi vigore Iubilæi. His non obſtantibus.

Pro certo teneo, hunc Concionatorem eligi poſſe tempore Iubilæi in Quadrageſima publicati, quia in Bulla Iubilæi conceditur fidelibus facultas eligendi ſibi Confeſſarium, his verbis: *Vt ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumq; Præsbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quam cuiuſuis Ordinis Regularem ex approbatis à locorum Ordinarijs*. Prædictus autem eſt approbatus ab Ordinario loci, ideſt huius Epiſcopatus, vt patet, ergò poteſt audire volentem lucrari Iubilæum, ſi ab eo eligatur. Nec allata dubitandi ratio eſt alicuius momenti, ſiquidem omnes ferè Confeſſarij approbantur cum illis limitationibus loci, temporis, & perſonarum, quæ non obſtant huic electioni, quia Papa in Iubilæi Bulla præcisè requirit Confeſsarium approbbatum ab Ordinario loci, ſiue deindè approbatio ſit amplè, & ſine limitatione, ſiue cum limitatione, Papa de hoc non curat, ſed omnes approbatos putat per idoneos, & ſufficientes pro Iubilæis; neque enim ſupradictæ limitationes arguunt de inſufficientia, aut inhabilitate Confeſſarios, aliter non fuiſſent approbati, ſed illæ limitationes adduntur ex alijs motiuis, & quidem tempus limitatur, vt Confeſsarij dicantur continuè ſubiecti, & ſit in arbitrio Epiſcopi eoſdem reuocare ad examen; limitatur locus, ne perturbentur iura in alienis Eccleſijs; petitur quoque conſenſus Rectoris, quia non eſt rationabile, neq; decens, & honeſtum, quod extraneus in domo mea agat tamquam dominus, & patronus. Limitatur etiam quò ad perſonas, vt e. g. Confeſsarij iuuenes audiant minimè fęminas propter periculum ſollicitationis, cum in iuuenibus ſpiritus fornicationis magis ferueat, quam in ſenibus. Igitur Concionator iſte electus non ſolum in Eccleſia, vbi concionatur, ſed etiam alibi exercere poteſt hoc munus, & id confirmatur, quia, ſi à fœmina poteſt eligi Confeſſarius approbatus tantum pro maſculis, vt nonnulli probabilitèr tenent, quos citaui Reſol. 9. q. 9. Sed non fui illos ſequutus, ergò à fortiori eligibilis eſt iſte Confeſsarius, cui nulla fit limitatio reſpectu perſonarum, ſed conceditur facultas audiendi quaſcumque ad ſe recurrentes.

DECISIO CCCLI.

An Regulares finita proceſſione teneantur aſſociare Clerum ad Cathedralem?

INter proceſſiones aliquæ ſunt circulares, hoc eſt, incipiunt à Cathedrali, & ad eamdem redeuntes ibidem deſinunt, quod contingit, quandò continuè ſine mora proceditur. Et de his non eſt difficultas. Aliæ non ſunt Circulares, ſed cæptæ à Cathedrali, vel aliâ Eccleſia, terminantur ad ſecundam, in qua canitur Miſsa, ſeu ponitur vt aiunt, Iubilæum. In his non eſt redeundum ad Cathedralem, ſed Miſſa finita quiſq; recto tramite ad ſuum Conuentum redire poteſt. Ratio eſt, quia in ſecunda Eccleſia propriè terminatur pro-

processio, ergò satisfecerunt suæ obligationi; quod si in aliquibus locis Clerus Cathedralis associatur eodem Ordine ad Cathedralem, id non contingit ex obligatione, sed ex quadam vrbanitate; vndè cogi non possunt, quia, quæ fiunt ex vrbanitate, non inducunt obligationem, l. Qui iure familiaritatis ff. de acquir. possess. Bart. Imola, cum alijs Bariola consil. 29. §. Respondetur primò, quæ procedunt, licet Episcopus interesset.

DECISIO CCCLII.

An Prælati Regulares suis possint publicare Iubilæum?

HAnc quæstionem propositam sub Decis. 23. resolui negatiuam, sed quoniam nonnulli contrarium tenent, & practicantur in hoc Iubilæo præsentis anni 1648. quod hic Parmæ publicatum fuit ab Ordinario pro duabus postremis Dominicis Quadragesimæ, Palmarum S. & Paschatis, ideò eorum obiectis respondendum est. Id posse fieri, probant primò ex tenore Bullæ, illis verbis: *Mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus Fratrib. nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinarijs locorum, eorumq; Vicarijs, & Officialibus, vel ijs deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, &c. publicent, & publicari faciant.* Committitur publicatio quibuscumque Prælatis Ecclesiarum, & Ordinarijs locorum, sed Superiores Regulares dicuntur Prælati, & Ordinarij, vt docent omnes, quos refert Barbosa Appell. 215. v. Prælatus num. 1. & 2. Item Appell. 176. v. Ordinarius, ergò possunt suis Religiosis publicare Iubilæum etiam diuerso tempore à publicatione, quam facit Episcopus. Secundò Bulla Iubilæi à Procuratoribus transmittitur ad effectum, vt illam publicent. Tertiò, Regulares exempti sunt ab Episcopis, ergò non tenentur publicationi Episcopali, id enim est illi se subijcere, quod facere non debent in præiudicium suorum priuilegiorum. Hæc & similia dicunt. Sed non est recedendum à decisis in prælibata.

Quarè respondetur ad obiecta, primò quidem, quia sub nomine Prælatorum Ecclesiarum, & Ordinariorum locorum, non venire Superiores Regulares, nisi quandò ea nomina simpliciter exprimuntur, & materia est illis applicabilis, si enim sic dicatur: *Prælati Ecclesiarum*, id intelligitur de sæcularibus, ex cap. Si quandò 8. de off. deleg. cap. Cum ab Ecclesiarum 3. de off. ord. Cum enim iura volunt comprehendere Prælatos, vel Ecclesias Regulares exprimunt, vt videre est cap. Nullus 28. cap. Si postquam 33. cap. Quia sæpæ 40. de elect. in 6. cap. Ordinarij 3. cap. Quamuis 8. cap. fin. de off. ordin. in 6. sub eo nomine igitur *Ecclesiarum Prælatis*, veniunt tantum Abbates, Præpositi, & alij Prælati sæculares nullius habentes propria territoria, & subditos etiam Laicos. Nomine verò: *Quibuscumque Ordinarijs locorum*, in eadem Bulla Iubilæi, veniunt tantum Ordinarij Ecclesiarum sæcularium, nam illud verbum *Locorum* restringit nomen, *Ordinarij*, tantum ad sæculares, cum exclusione Regularium, vt docent plures cum gl. verb. Ordinario

extr.

extr. Vn. de præbend. Ioann. XXII. quos pro se citat Floron. cap. 5. de casibus reseru. §. 4. §. In contrarium. Ad secundam, ex eo, quod Bulla Iubilæi transmittitur à Procuratore Ordinis, non infertur, Superiorem acquirere ius illud publicandi, quia id in Bulla non exprimitur. Ad tertium, propter hoc, quod Regulares accipiunt Iubilæum ab Ordinario publicatum non dicuntur subijci Episcopo, à quo sunt exempti, sed tantum dicuntur lucrari Iubilæum ab eo publicatum, subiectio enim dicit coactionem, & quid odiosum; Regulares autem recipientes Iubilæum ab Episcopo publicatum non dicuntur cogi, neque facere aliquid sibi odiosum, ideò lucrantur illud sine læsione suæ exemptionis. Præterquamquod dici potest, Papam Religiosos volentes acquirere Iubilæum subijcere Ordinario, cum Summus Pontifex Prælatis tantum sæcularibus præcipiat publicationem Iubilæi, vndè in fine Bullæ derogatur Apostolicis Constitutionibus, & priuilegijs Regularium, in quantum possunt obstare tenori Bullæ Iubilæi.

DECISIO CCCLIII.

An in Iubilæo sufficiat vnicam visitare Ecclesiam?

RESpondetur affirmatiuè, nam Bulla loquitur disiunctiuè: *Vel Ecclesiam, seu Ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitauerint*. Ad quod facit illa Regula, quod in alternatiuis est electio debitoris. Nec obstat obiectio, qua nonnulli dicunt disiunctiuam referri ad designantem tantum, in cuius sit potestate designare vnam, vel plures Ecclesias, aut vnam tantum, vbi non sunt plures; non etiam ad visitantem, quasi is teneatur visitare omnes designatas siue vnam, siue plures, quia respondetur æque benè referri ad vtrumque immò rectius ad visitantes, quia verbum *Visitauerint*, quod supponit pro fidelibus visitantibus, propriè, principalitèr, & primariò explicatur de visitantibus in ordine ad alternatiuam Ecclesiarum. Confirmatur à contrario sensu, ideò enim tribus diebus designatis ieiunandum est, quia id exprimitur per dictionem *Et*, *Ac*, copulatiuam, quæ ad sui verificationem vtriusque exequutionem requirit, vt notum est ex vulgatis iuribus; sic pari ratione; ideò sufficit vnam Ecclesiam visitare, quia legislator loquitur per disiunctiuam, in qua sufficit alterius executio, vt tradunt omnes Doctores de alternatiuæ natura loquentes. Nec vrget, quod in eadem Bulla Iubilæi præsentis anni 1648. respectu degentium Romæ dicatur: *Dictas Basilicas, siue Ecclesias semel saltem visitauerint*. Quasi Romani teneantur visitare omnes Ecclesias ibi expressas pro terminis processionum. Nam id verum non est, siquidem pluralis locutio refertur quidem ad omnes illas Ecclesias, in quantum vnaquæque illarum sufficit pro lucrando Iubilæo distributiuè accepta, non quod omnes visitandæ sint, vndè in alia Bulla alterius Iubilæi ab eodem Pontifice Innocentio felicitèr regnante incip. *Immensa Omnipotentis*, quod hic obscurum est, declaratur sufficere visitationem vnius Ecclesiæ his verbis: *Vel vnam ex eis,*

quam maluerint. Loquendo de Romanis. Subiungit verò pro alijs fidelibus extra Vrbem. *Qui vero alibi extrà Vrbem erunt Ecclesiam, seu Ecclesias*, &c. Non est autem rationabile, quod exteri magis grauentur, quam vrbani, ergò sufficit vnius Ecclesiæ visitatio per extraneos, sicut satis est pro Romanis, & si hoc sustinendum est pro illo præcedenti Iubilæo emanato de anno 1644. eadem ratione verificatur de præsenti, cum eadem clausula in vtraque Bulla sit ipsissima, ac proindè eumdem omninò sensum vtrobique habere debet.

DECISIO CCCLIV.

An in Iubilæo interessendum sit processionibus?

NOn est necessarium interesse processionibus, cum satisfieri possit per solam visitationem factam extrà processionem, nam Bulla loquitur alternatiuè per dictionem, *Vel*, hoc modò. *Qui processionibus huiusmodi interfuerint, vel qui in eadem, siue immediatè sequenti hebdomada, dictas Ecclesias saltem semel visitauerint*. Quæ disiunctiua importat executionem alterius tantum ex præscriptis. Satisfacit ergò, qui interest etiam vni ex processionibus, sine alia Ecclesiarum visitatione; vndè non est necesse interesse vtrique processionibus, non vrgente copulatiua Et, siquidem non refertur ad interessentes, sed ad præscribentem processiones; prætérquamquod id clarè dicitur in Bulla illis verbis. *Aut alteri ex processionibus interfuerint*. Lucratur ergò Iubilæum ille, aut qui interest vni tantum ex processionibus, aut qui sine illis visitat semel ad minus vnam Ecclesiã.

DECISIO CCCLV.

An pro Iubilæo ingrediendum sit intrà Ecclesiam?

INtelligi potest respectu processionis, & visitationis. Loquendo respectu primi interessentes processioni non tenentur in rigore ingredi Ecclesias, sed satisfaciunt associando deuotè processionem, quia Bulla dicit: *Huiusmodi processionibus interfuerint*. Dicuntur autem interesse, qui illam commitantur. Confirmatur, quia sicut dies termini non computatur in termino, ita neque Ecclesia processionis, quæ illius terminus est, computatur in processione. Quarè qui non potest ingredi Ecclesiam, seu qui tardè venit satisfacit prosequendo processionem, quò ad maiorem partem. Similitèr, qui per multitudine non potest penetrare Ecclesiam, orationem faciat antè illius valuas, quia moralitèr censetur orare intrà Ecclesiam; neque enim Bulla expressè dicit, quod orandum sit intrà Ecclesiam, sed solum, quòd Ecclesia visitetur, dicitur autem visitari ab eo, qui antè eius valuas, seu Ianuam orat, nam dictio *intrà* quandòque includit sua extrema, ex allegatis à Barbosa dist. 174. num. 4. cuiusmodi extrema Ecclesiæ sunt valuæ, & cemeterium, seu atrium, & porticus antè Ecclesiam. Et ita docent plures, quos pro se citat Bonac. p. 5. de Indulg. num. 25. dum dicunt, illum, qui non valet intrare Ecclesiam præ multitudine hominum, extrà orando

do in cœmeterio, lucrari Indulgentiam.

DECISIO CCCLVI.

An in Iubilæo sufficiat interesse Processioni sine Oratione?

QVi sine visitatione speciali Ecclesiæ deputatæ cum sola interessentia processioni intendit lucrari Iubilæum, debet procedendo deuotè orare, alitèr illud non acquirit, quia in omnibus Iubilæis præcipitur Oratio, & patet ex illa clausula. *Ibique deuotè, vt supra, Deum orauerint*. Quæ referuntur non solum ad visitationem Ecclesiæ, sed etiam ad processionem, qui enim procedit, licet etiam deuotè, sed sine oratione, nō dicitur interesse processioni, sed ambulare, & qui sic incedit, non excusatur à peccato, quia processiones fiunt ad placandum Deum, ad impetrandum ab eo aliquod bonum, & fugandum malum imminens; institutæ ergò sunt Processiones ad laudandum, & orandum Deum, non autem ad ambulandum recreationis causa.

DECISIO CCCLVII.

De vouente Religionem, & postea ducente vxorem?

QVi hoc votum Deo nuncupauit, tenetur sub mortali illud exequi, iuxtà illud præcepti Domini: *vouete, & reddite*. Neque ab hac obligatione excusatur ducendo vxorem, & si enim teneat Matrimonium contrà votum simplex Religionis, cum tantum impediat, non dirimat, Matrimonium, tamen per hoc præcedens obligatio Religionem ingrediendi non extinguitur, sed tantum remanet suspensa, durante vinculo Matrimonij, quo dissoluto, etiam si millies contraheretur, & dissolueretur, adhuc perpetuò tenetur votum adimplere. In casu vero, quod Religio, ad quam suum votum direxit, nollet eum recipere, absolutè repellendo, tunc deinceps esset absolutus ab ea obligatione, quia in eius potestate non est ingressus, sed tantum petitio, vt admittatur. Demum iste vxorem ducendo peccauit mortalitèr, quia posuit impedimentum adimpletioni voti, cuius executionem retardauit, reddendo se impotentem ad ingressum, durante Matrimonio cōsummato, dico *cōsummato*, quia antè tenebatur relinquere sponsam, & ingredi Religionem. Petendo autem, aut reddendo debitum non peccat, excepta prima vice, antèquam adhuc erat in potestate, & sui iuris ad votum implendum, quia votum Religionis non obligat ad abstinendum à copula carnali, sed tantum ad ingressum. Igitur hunc pœnitentem non potes consolari etiam virtute Iubilæi, quia Papa expressè excipit vota Religionis, & castitatis, quorum commutationem non indulget, sed sibi adhuc reseruata manifestè ostendit. Displicet, quod allegas pro ratione, quia reuera votum hoc remanet absolutum, & tale simplicitèr, non obstante Matrimonio, quod votum de absoluto non potest reddere conditionatum, & materiam non reseruatam, sed tantum eius obligationem suspendit, & executionem multum retardat.

DE-

DECISIO CCCLVIII.

An Iubilæum acquiri possit in pluribus locis?

MErcator Parmensis cœpit exequi opera Iubilæi in patria, nam ieiunauit die Mercurij, eleemosynam fecit; occasione mercaturæ, se transfert Regium, & ibi prosequitur reliqua, & sic lucratur Iubilæum; ratio est; quia Bulla executionem operum loco non restringit, illa enim non dependent à loco; nec obstant, quod visitanda sit Ecclesia deputata, quia vtrobique est deputata pro volentibus lucrari Iubilæum; confirmatur, quia aduena vbique Iubilæum adipisci potest, vt probo in sequenti.

DECISIO CCCLIX.

An aduena Iubilæum lucrari possit?

RAtio dubitandi colligitur ex hac Bullæ clausula: *Nauigantes verò, aut iter agentes, vt cum primum ad sua se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & loco interuentus in processione, visitata Ecclesia Cathedrali, vel Maiore, aut Parochiali loci eiusdem domicilij eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant*. Sed hæc non obstant, cum sit priuilegium, & gratia, quam facit illis prorogandi tempus Iubilæi proprij domicilij; nemo autem tenetur, nec cogitur vti suo priuilegio, cap. Si de terra 6. cap. Accedentibus 15. de priuileg. Quarè nolens eo priuilegio vti, poterit lucrari Iubilæum aduena in quocumque loco voluerit, cum id illi non sit vetitum.

DECISIO CCCLX.

An Iubilæi opera facienda sint ordinatim?

QVinque in Iubilæis solent præscribi, hoc ordine; Visitatio, Ecclesiæ deputatę, cum oratione; Ieiunium Mercurij, Veneris, & Sabbati; Confessio; Communio, & Eleemosina. Ad lucrandum Iubilæum non est necesse prædicta præstare præscripto ordine, sed peruerti potest, ratio est quia talis Ordo non est de substantia ad lucrum Iubilæi, sed tantum accidentalis, eo quod tertio loco repetuntur diuersimodè his verbis, *Ieiunium, Eleemosynam, Visitationem*, &c. Sufficit autem, quod vltimum opus fiat in gratia, quia in eo confertur Indulgentia, cuius non nisi in gratia constituti sunt capaces ex sententia omnium Doctorum.

DECISIO CCCLXI.

An Iubilæi opera præstanda sint diebus præfixis?

QVæstio est circa Ieiunia, & Communionem, quibus præfigitur dies specialis, nam Ieiunium indicitur diebus Mercurij, Veneris, & Sabbati, Communio vero die Dominico. Certum est ieiunium exequendum esse illis diebus, quia austeriores reputantur, & magis dedicati ad ieiunium ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine. Circa Communionem, licet dicatur: *Sequenti saltem die Dominico* &c. tamen, quia particula, *Saltem*, de sui natura non excludit ex Decis. 434. nu. 7. Gregorij XV. vndè

est

est implicatiua, & non limitatiua, secundum Seraph. Decis. 787. num.8. Ideò alijs diebus antecedentibus fideles Sacram Communionem recipere possunt. Confirmatur, quia valdè incommodum est, & quasi impossibile, quod omnes in maximo numero, solent enim omnes fideles etiam peruersi ad Deum conuerti in Iubilæis, Sacramentum hoc augustissimum recipere valeant, ideò omnibus diebus communicari possunt.

DECISIO CCCLXII.

An Confessarius sollicitans denuntiari possit Vicario Episcopi?

SAtisfacit suæ obligationi sollicitatus denuntiando Confessarium soli Vicario vt, colligitur ex Bulla Greg. XV. illis verbis: *Moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs.* Quo postremo nomine venit Vicarius Generalis Episcopi, vt docent omnes, & ex vulgatis iuribus particula Seu importat alternatiuam, in alternatiuis autem est electionis debitoris, potest ergò denuntiare vni illorum, aut Inquisitori, aut Episcopo, seu eius Vicario.

DECISIO CCCLXIII.

An Generalis teneatur ostendere litteras suæ commissionis?

REuerendissimus Pater Vicarius Generalis ex speciali mandato Sedis Apostolicæ obtinuit licentiam transferendi Capitulum Generale à Conuentu Veneto ad Conuentũ Romanum celebrandum Sabbato præcedente Dominicam quartam Paschatis, & de hoc monuit Patres Vocales in suis litteris præceptorijs, non exhibito eis mandato Pontificio, sed solum in eis citato. Iure P. Vocales nolunt obedire, nisi illis ostendat mandatum Papale. *Primò* quidem, quia eis notum est tempus, & locus Capituli designati in præcedenti Capitulo, cui non potest derogare Generalis, cum sit inferior, & non suprà Capitulum, Cord. q. 3. in cap. 8. Regulæ, Peyrin. de Prælato q. 1. cap. 8. num. 15. Tambur. tom. 3. disp. 3. q. 1. num. 3. requiritur ergò ad illius translationem speciale mandatum Pontificis, de quo adhuc non constat, cum exhibitum non fuerit. *Secundò*, nulli credendum asserenti, se habẽre commissionem, licentiam, aut delegationem faciendi aliquid, nisi mandatum ostendat, textus expressus in cap. Cum in iure 31. de off. deleg. ibi: *Super quo tibi damus responsum, quod nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris; quod mandatur.* Expressius id determinatur Extr. commun. 1. de elect. his verbis: *Asserenti, cum mandatis Principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probauerit: nec similitèr creditur se asserenti legatum, &c. Sed nec dicenti, se delegatum Sedis Apostolicæ creditur, vel intenditur, nisi de mandato Apostolico fide doceat oculata.* Fides autem oculata est ostensio litterarum delegationem continentium, quas nondùm Generalis exhibuit oculis Vocalium, quod facere tenetur ex citatis iuribus. Ad quid enim litteræ delegationis expediuntur delegatis, & commissarijs, nisi vt illas ostendant eis, quorum interest? *Tertiò*, nullus præsumitur habere officium, vel

vel munus agendi aliquid, vt docet Bald. in l. 1. C. de rebus Eccles. non alien. & in l. 1. C. de testib. ordin. q. 6. quia id est quid facti, & in facto consistit, quod proindè non creditur, nisi probetur, l. Eos, §. fin. ff. de curat. Decius lib. 3. consil. 437. propterea dicit ibidem Bald. in l. Prohibitum, C. de iure fisci, col. 3. Vers. tertio, quod iurisdictio etiam ordinaria nunquam præsumitur, nisi appareat publicis documentis, quem sequitur Iason in l. More maiorum, ff. de iurisd. om. iud. col. 8. §. Item adverte. Ratio verò, cur sit probanda delegatio, seu officij collatio in eo consistit, quia huiusmodi sunt certæ qualitates, & accidentia, quæ proindè adesse, & abesse possunt à subiecto, ideò ostendendum est, & probandum, an suo subiecto, prout asseritur, inhæreant, exhibitione litterarum, vt tradunt Doctores cum gl. v. Scientiæ cap. Si fortè de elect. *Quartò* si Legato Papæ non est credendum, nisi per ostensionem litterarum suæ delegationis ex citata extrau. multò minus huic Patri Vicario Generali C. C. M. cum sit inferioris dignitatis; vndè Molina tract. 5. de Iust. disp. 9. num. 4. §. Quamuis dicit, quod si Legatus à latere dicat, sibi aliqua Papæ reseruata concessa fuisse, credendum illi non est, nisi exhibeat litteras suæ delegationis id exprimentes, subdens, in Regnis Hispaniarum quempiam non admitti in Legatum, nisi prius ostendat litteras suæ delegationis, ideò & suas Generalis ostendere tenetur. *Quintò* Portellus tom. 1. Responsi. par. 3. casu 34. in fine, probat ex cit. c. Cum in iure, & cap. Cum à nobis, de testib. Religiosum non teneri credere suo Prælato asserenti se habere commissionem annullandi certam licentiam, nisi prius ostendat commissionem, ergò neque Generali credendum est, habere mandatum transferendi capitulum, nisi illud ostendat. *Sextò*, Litteræ Protectoris vsque modò nullæ sunt censendæ, in quibus asseritur exprimi mandatum Papæ, nam per solam citationem litterarum Protectoris, & Mandati in illis contenti eisdem nondum exhibitis, non dicuntur existere in rerum natura, quia in iure, litteræ, quæ non apparent, non existunt, nec sunt, gl. v. Præcipimus cap. Cum contingat 24. de rescr. per l. In lege ff. de contr. empt. cap. Solemnitates, fine, dist. 1. de consecrat. ergò litteræ Protectoris, & Mandatum Papæ, à quibus vires recipit præceptum P. Generalis ad conuocandum Capitulum, cum nondum visa fuerint, pro nihilo habentur, ac proindè illis parendum non est. Demum, non obstat, quod credendum sit personæ dignæ simplicitèr asserenti sine probatione, qualis certè reputatur Generalis, quia id intelligitur in ijs, quæ dependent à sua voluntate, & arbitrio, Menoch. de recuper. possess. remed. 12. num. 14. M. Anton. lib. 3. resol. 48. num. 18. Conuocatio autem Capituli, & eiusdem translatio non pendet à voluntate Generalis, cum sit de mandato, vt dicitur, Pontificio, ergò illi credendum non est. Et ita Generalis acquiescere debet ostendendo mandatum, alitèr impunè Vocales resistere possunt, non parendo, quia vtuntur iure suo. Vide infrà iterum decis. 375.

V DE-

DECISIO CCCLXIV.

An denuntiandus sit Confessarius sollicitator Monialium?

RAtio dubitandi in hoc speciali casu est, quia ob alia delicta perpetuò priuatus fuit munere audiendi confessiones, vndè cum non amplius sit periculum, quod cadat in tàm graue scelus sollicitationis in cõfessione, nulla videtur esse obligatio denuntiandi. Sed reuera denuntiandus est, quia hoc sacrum Tribunal non tantùm intendit emendationem, quam etiam punitionem delinquentium, maximè respectu huius criminis, vt apertè colligitur ex Bulla, præterquàmquod licet, vt Confessarius nõ possit sollicitare, inducere tamen potest easdem Moniales ad peccatum alia ratione, vt igitur se retrahat à simili vitio, & resipiscat, timore pœnæ denuntiandus est, etiam nulla præmissa correctione fraterna, vt alibi multò probabilius probaui, alitèr nullus esset denuntiandus, quia moniti omnes fingunt se correcti, vt fugiant pœnas Iudicis.

DECISIO CCCLXV.

An pactum in matrimonio sit illicitum, & simoniacum?

SI mihi procurabis in matrimoniũ puellam N. promitto tibi centum, danda statim secuto matrimonio. Pactum hoc est licitum, & alienum à vitio simoniæ, & inducit obligationem; probatur, tum quia nullibi id prohibetur; tum quia est circà obiectum licitum, & intèr personas, quæ contrahere possunt; tum quia, si esset illicitum, & inualidè maximè proptèr labem simoniæ, sed hic locum non habet simonia, nam hæc est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, ex D. Thoma 2.2. q. 100. ar. 1. ab omnibus recepto, sed iste nihil emit, vel vendit spirituale, sed tantùm procurat, vt ineatur matrimonium, vndè obiectum illius pecuniæ promissæ est illa obligatio, seu labor, diligentia, & procuratio, vt sequatur matrimonium. Demum; in matrimonio duo spectantur, Sacramentum, & contractus, illud non spectatur, sed contractus tantùm consideratur, & ratione hujus, in quem redundat illa promissio, non potest committi simonia, alitèr committeretur etiam respectu dotis, quæ, vt plurimũ, mouet ad executionem matrimonium, vel illud tractatum relinquit imperfectum.

DECISIO CCCLXVI.

Quomodò simulata confessio excludatur, vt Confessor sollicitans effugiat pœnas?

IN Bulla Gregoriana reus est sollicitationis ille Confessarius, qui in confessionali ordinario, vel alio loco in confessionale electo simul confessiones audit. Modò difficultas est, quid sit simulare confessionem? pro qua re relatus mihi fuit sequens casus; Confessarius, & Monialis ex condicto eligunt confessionale Monasterij ordinarium ad confabulandum inhonestè, ad quod sub prætextu certi negotij honesti pertractandi licentiam obtinet ab Abbatissa Monialis. An Confessarius hic sic sollicitans ad turpia, reus sit Bullæ Gregorianæ? Videtur, quod

quod non, quia nullus illorum intendit Sacramentum, ergò neque illud simulare dicitur.

Ego ita respondeo, si Confessarius finxit illi signum Crucis, aut super caput eius extendit manum, vel Monialis ipsa genuflexit, aut pectus percussit, vel signo Crucis se muniuit, non excusatur Confessarius à simulatione confessionis. Ratio est, quia tunc simulatur Confessio, quandò fingitur aliquis actus spectans ad Confessionem, licet Confessio non intendatur, sed aliud, prætextu illorum signorum, quæ in Confessionem referuntur; in simulatione enim necessarius est aliquis actus eius rei, quæ simulatur, alitèr simulatio non est, si desit relatio ad actum, vnum enim seriò fit, quod est principalitèr intentum, & aliud verè non fit, sed fingitur, vt aliud obtinentur. Quarè, si in casu hoc accidit vnum ex illis actibus, sine dubio Confessarius est reus huius Bullæ, non obstante licentia Abbatissæ, quæ non potest impedire simulationem, quæ sequitur ex conditione illorum actuum. Quod, si nullum fiat singnum ad Confessionem ordinatum, vt quia Monialis stabat, vel sedebat in eo loco, in eo casu, non fuit reus Bullæ, quia hoc modo excluditur simulatio. Ex quo apparet, licentiam nihil prodesse in hoc casu. Non det Abbatissa huiusmodi licētias, ne fiat conscia aliorum peccatorum; est Parlatorium ad colloquia temporalia destinatum. Sic autem videntur sentire Lezana tomo 1. cap. 19. num. 34. Trimarchus disp. 3. q. 2. nu. 21. & 22. in contrarium Diana resol. 38. de Confess. solicit.

Pater Ignatius Lupus in suis comment. nouissimè æditis super Edictum S. Inquisitionis, typis Bergom. præsenti anno 1648. part. 1. lib. 5. dist. 2. diff. 8. fol. 83. distinguit duplicem simulationem, vnam ordinatam ad sollicitationem, de qua loquitur Bulla, aliam ordinatam ad abscondendum peccatum ab oculis circumstantium, de qua non loquitur Bulla, sed fit, ne proximus patiatur scandalum, & subdit exemplum huius secundæ simulationis in eo, qui extra Confessionem, & locum Confessionis tractans cum muliere ad euitandum mali suspicionem, fingit absolutionem, eleuando manum super mulierem. Sed reuera iste cadit, quia certè simulatur Confessio, ita quod prædicta Confessionis simulatæ distinctio nullius est momenti, cum non sit diuersa, sed eadem simulatio ad cooperiendum peccatum; neque quod subdit placet, quia simulatio potius attenditur respectu aliorum, quam simulantium.

DECISIO CCCLXVII.

An Prælati Regulares dispensent in irregularitate homicidij pænitus occulti?

Respondetur affirmatiuè ex diuersis priuilegijs, vt docui Resol. 13. q. 4. cum Corduba ad comp. priuileg. §. Dispensatio Vers. Quo ad §. 24. Rodr. tom. 1. q. 24. art. 12. Mirand. tom. q. 8. art. 10. Vechius disp. 9. dub. 16. Sigism. dub. 71. de elect. Portell. v. Dispensare num. 8. comp. resol. 52. nu. 25. Tambur. tom. 2. disp. 17. q. 6. Ad hæc extat Bulla authentica, quæ est 129. in B. N. incip. *Dum ad Congregationem.* Pij V. in qua

conceditur Prælatis Cassinensibus facultas absoluendi suos ab omnibus Sedi Apostolicæ reseruatis, & dispensandi in homicidio voluntario in foro conscientiæ tantum. Idem ergò poterunt Prouinciales, & Generales Mendicantium communicantes in eorum priuilegijs. Nec obstat Trident. sess.14. cap.7. Nam reuera ibi sermo est respectu Clericorum sæcularium, vt constat ex connectu verborum, sciebant enim Patres Regulares circa id plura habere priuilegia, quibus voluerunt derogare. Nec demum obstat reuocatio Gregor. XIII. quia reuocatio illius intelligenda est, quatenus anteà comprehendebantur Regulares sub dispositione Decretorum Tridentini, cum ergò sub eo capite de non dispensandis homicidis non comprehendantur Regulares, neque reuocatio Gregorij XIII. potest illos afficere, quo ad hoc.

DECISIO CCCLXVIII.

An sollicitans absoluat statim à se sollicitatam?

Confessarius personam à se sollicitatam, quæ renuit, in eodem contextu Confessionis validè absoluit, non verò, si consensit verbo, aut facto, quia propter peccatum consensus quasi adhuc in fieri, vt ita dicam, non videtur pœnitens sufficienter dispositus, neque enim censetur tam citò doluisse de peccato illo consensus in sollicitationem; præterquamquod non dicitur habere propositum cauendi in futurum, si illi promisit copulam, vel quid simile. Ratio prioris est, quia pœnitens non consentiendo, ex hoc capite dicitur esse benè disposita, neque Confessario deest facultas, quia per sollicitationem eam non amisit, nisi in loco adsit statutum prohibens absolutionem complicis.

DECISIO CCCLXIX.

An Generalis prouideat de Præsidente, postposito Vicario Locali?

In constitutionibus Congregationis N. cap.30. habetur §.10. his verbis: *Prælato verò ad Capitulum Generale proficiscente, vel aliter absente, aut etiam mortuo, & huiusmodi, Vicarius illius Conuentus harum auctoritate vices eius in omnibus plenè gerat, nisi per Priorem Generalem, aut Prælatum ipsum Conuentualem in specie, vel in genere aliter fuerit ordinatum.* Quæritur an Generalis, postposito huiusmodi Vicario, possit alium patrem constituere in Præsidentem; & hoc auctoritate propria sine Definitorio, & suis Assistentibus? Dico, quod, si Vicarius est ordinarius, seu de iure constitutionum eligitur, vt eliguntur Prælati in hoc ordine proportionalitèr, Generalis non potest alium promouere, postponendo Vicarium actualem. Tum quia ius alteris quæsitum auferri non potest sine eius consensu, nulla subsistente culpa, aut legitima causa, l. Id quod nostrum, ff. de reg. iur. Reg.23. in 6. cap. Discretionem 6. de eo, qui cogno. alitèr fit illi non leuis iniuria, neque enim vni subueniendum est, & fauendum cum iniuria alterius. ca. Denique 8.14.q.5. cap. Primum 8.22.q.2. & iniuriam mi-

hi facio, si fratrum meorum iura perturbo, cap. Quod vero 10.25.q.2. Vicarius autem actualis ius habet suæ electionis quæsitum, à quo neque à Generali auferri potest, sine causa, vt docent in terminis etiam electionis Doctores omnes, quos citaui resol. 58. q. 22. in officijs enim electiuis Religiosi habent velle, & nolle contrà voluntatem Superiorum, vt dixi Decis. 142. ergò Generalis non potest promouere secundum in præiudicium primi. Tum quia non potest deueniri ad secundam electionem, nisi priore cassata, cap. Constituimus 10. de elect. cap. Inter dilectos, de excess. Prælat. etiam si sit inualida, nam prius declaranda est talis, & posteà deueniendum est ad secundam, ex allegatis à Naldo nu. 21. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. num. 123. ergò Generalis non potest facere secundam electionem, nisi prima cassata; sed non potest cassare Vicarium, vt probatum fuit, ergò neque constituere secundum; ne dentur simul eodem tempore duo officiales eiusdem rationis in eodem Conuentu, quod absurdum est. Quod si officium hoc non computetur inter electiua, sed inter illa, quę ad nutum Superioris sunt mobilia, in hoc casu potest, ex quo intelligitur cessare Vicariatus in primo. Demum dictis non obstat illud §. *Nisi per Priorem alitèr ordinatum fuerit*, quia refertur ad limitationem potestatis, non ad promotionem, vt malè nonnulli fauore Generalis volebant.

* *
*

DECISIO CCCLXX.

An Generalis consuetudine inducere possit promotionem secundi contrà primum?

ID facere non potest, cum consuetudo super tali negotio sit omninò irrationabilis, ac proindè reprobata, qualis est illa, quæ Ecclesijs infert grauamen, cap. 1. de consuet. & quæ se extendit ad damnum tertij, Rochus de Curte, de consuet. num. 316. talis autem esset consuetudo promouendi secundũ officialem, postposito priori actuali sine vlla causa, vt colligitur ex probatis in præcedenti Decisione. Confirmatur, quia consuetudo dicitur irrationabilis, non quia sit contrà legem, sed quia factum virtute illius cõtinet turpitudinem, & deformitatem, vt docent Montesinus, & Granadus apud Dianam resol. 1. de consuetud. Constat autem ex dictis, quod hæc consuetudo, si introduceretur à Generali, foueret turpitudinem, iniustitiam, & iniuriosa esset officiali actuali, qui contrà omne ius, & omnem rationem cogeretur cedere iuri suo.

DECISIO CCCLXXI.

An valens prouidere possit etiam eligere?

IN supradictis Constitutionibus, de quibus sub Decis. 369. subijcitur sequens §. *Si autem Domus, vel Conuentus, quacumque de causa Prælatum, vel Vicarium suum præsentem non habuerit, nec Prior Generalis, aut Prælatus Conuentualis alitèr super hoc ordinauerit, tunc antiquior illius Conuentus in Sacer-*

dotio constitutus, vices Prælati obtineat supradictas, quousq; Conuentus ipse Prælatum, vel Vicarium præsentem habuerit. Quæritur quomodò facienda sit hæc ordinatio, per Generalem, aut Prælatum, prouisione, an electione? Respondeo, vtroq; modo fieri potest, tum quia verbum *ordinare*, est generale, & importat quamcumque promotionem, siue prouisionem propria auctoritate, siue electionem consilio, & consensu assistentium, vt colligitur ex cap.fin. 16. q.7. cap. Super eo 15. de off.deleg. cap.Eam te 22. de iurepatr. Tum quia promotio per electionem est firmior, & prudentius facta, cum pendeat à consilio plurium, nam aliorum consilio gesta firmitate nituntur, l. 3. C. de repud. & quæ omnibus profutura sunt, consensu quòque omnium melius expediuntur, l. Quicumque, C. de omni agro deserto, ergò Generalis potest procedere per electionem, nemo enim prohibetur melius facere. Nota autem, quod hęc promotio non erit propriè electio, nisi quò ad modum procedendi, non autem quò ad effectum, quia sic electus non est durabilis in officio, nisi quòusque præsentes sint Prælatus, vel Vicarius, & deinceps eius cessat potestas.

DECISIO CCCLXXII.

Quis dicatur antiquior in Conuentu Sacerdos?

ANtiquior quis dicitur duobus modis; primò ætate, secundò professione. In supradicta Constitutione antiquior dicitur, non ætate, sed professione, vt colligitur ex gl.v. Antiquiores, cap.fin. de consuet. In terminis nostris apud Regulares, Rodriq. tom.3.q.10. art.2. §.Tertio, Mirand. tom.1.q.21.ar.4. concl.3. ex illis Vecch. disp.6. de Nouitijs dub. 2. num.3. Sigism.dub.9.num.11. Lauor. tit.4. de elect. cap. 15. num.84. Illud statutum est conforme iuri communi, quo antiquiores alijs præferuntur, cap.cum tua 4.de consuet. in 6. quia eorum labor est prolixior; ideò merentur præferri alijs: & omne, quod vetustate præcedit, venerabile est, inquit D. Basilius in oratione de ieiunio.

DECISIO CCCLXXIII.

An censuræ, & irregularitates tollantur per generales absolutiones datas à Superioribus?

SVperiores maiores Generalis, & Prouincialis, dum visitant, ex priuilegijs Apostolicis, absoluunt à censuris, & dispensant in irregularitatibus generalitèr, & in communi omnes suos subditos antè se genuflexos, quāvis ignorent, an illarum sint rei, nec ne. Vndè quæritur, an si quis illorum sciat, vel nesciat, se esse excommunicatum, vel irregularem, neutrum manifestando Superiori, nec priuatim, nec publicè, ita absoluatur, vt ampliùs nō egeat saltem in foro animæ alia absolutione, & dispensatione? Et interrogatus circà irregularitatem contractam ex homicidio voluntario iniusto, respondi, hunc sic esse absolutum, & dispensatum, vt deinceps non egeat alio remedio, sicut neque in alijs casibus; & id probatur; tum quia huiusmodi absolutiones, & dispensationes habent producere suos effectus, ad quos de iure ordinantur, ergò tollunt eas censuras,

&

& irregularitates, quas de iure auferre potest Superior, ergò possunt subditi, itavt vlterius aliam absolutionem, & dispensationem quærere non teneantur; Tum quia pœnitens censuratus, non obstante obliuione adhuc absoluitur à censura, de qua non se accusauit, à Sacerdote virtute formæ absolutionis, vt docet Auersa de Sacr. Pœnit. q. 17. sect. 8. §. Rursus, ergò pari ratione manet absolutus, & dispensatus Religiosus per illam formam omnibus indifferentèr applicatam, in hoc enim æquiparantur, nam in vtroque casu pœnitens non se accusat in indiuiduo, & vterque absoluens intendit absoluere ab omnibus, à quibus potest, & subditi indigent, talis enim præsumitur esse mens absoluentis, qualis de iure debet esse, Bald. in l. Ex facto, ff. de vulgar. & pupill. Felin. consil. 31. num. 7. De iure autem debet habere intentionem absoluendi omnes coràm se genuflexos ab omnibus, super quibus potest, ac proindè censetur ita facere. Sic docet Nauar. cap. 26. num. 13. cum eo Portellus v. Abortus num. 12. Itaque Religiosi sic absoluti, ampliùs alia absolutione, aut dispensatione non egēt, cum præcedens fuerit omninò efficax, & irreuocabilis. Obserua autem, quod prædicta procedunt respectu censurarum extra Bullam Cœnæ, & irregularitatum ex delicto tantum prouenientium. De irregularitate ex homicidio voluntario iniusto dixi sub Decis. 367.

DECISIO CCCLXXIV.

Quomodò habitatio faciat capacem legati?

Relictum fuit legatum singulis annis distribuendum duabus puellis pro dote, quandò maritabuntur, quæ eligantur de illis, quæ habitant actu in Parochia N. Quæritur, an dicantur habitare non solùm, quę ibi habent domicilium cum suis, sed etiam illæ, quæ habitant præcisè ad famulatum, & seruitutem, vel vt scholares, & in donzena, vt aiunt, ac proindè istæ omnes prędictis modis habitantes sint capaces legati?

Omnes sunt capaces legati, quia reuera dicuntur habitare, nam aliud est habitare, aliud habere domicilium; nam licet ambo cōueniant in eo, quòd dicuntur in loco habitato existere, differunt tamen in alio, quod ad domicilium requiritur cum actuali habitatione animus perpetuò manendi saltem virtualitèr, idest, quod non habeat voluntatem contrariam, gl. v. Larem, l. Ciues, C. de incolis, Ioan. Andr. in cap. Is, qui, de sepult. in 6. Menoch. lib. 6. præsumpt. 42. num. 2. distinguens de habitatione permanenti, qua domicilium contrahitur, & de temporali, quæ ad simplicem habitationē refertur. Prædictis autem seruis, famulis, & dozinantibus (vt loquar clarius) competit propriè ea habitatio temporalis, de qua l. Quæritur 78. ff. de leg. 3. l. Cum seruus, ff. de his, qui effud. l. Lex Cornelia 5. §. Domum, de iniuris ibi; *Siuè hospitio receptus*, prædicti enim videntur quodam modo recipi hospitio, cum in aliena domo sint sine conductione. Suffragatur dictis opinio

Doctorum, qui tenent, citationem referendam esse ad eam domum, seu locum, vbi citandus actu reperitur tempore citationis, licet in alio loco multo tempore maneat, & illic breuius, de qua re Tiraq. de Retr. lign. §.9. glos.2. num.27. Demum, puto, ad habitationem pro consequendo legato non sufficere vnum, aut alterum actum existentiæ, quasi inductum non pro habitatione, sed pro lucro legati, ita quod legatum non debet esse causa breuis habitationis, sed habitatio realis debet puellam facere capacem legati, ad quod facit Grammat.decis.87.num.5.& Menoch. lib.6. præsumpt. 76. num. 39. dum dicunt, non sufficere ad habitationem vnum actum, vel alterum, sed requiri frequẽtiam in eo, qui tenetur habitare. Vide dicta pro alio simili casu Decis. 197. Vbi habes, aliud est esse de Parochia, aliud habitare in Parochia, potest enim quis habitare breui tempore, & non esse de Parochia, sed tantùm in Parochia. Demùm allegatæ leges, & Doctores loquuntur de vera habitatione ad habitandum, non de simulata, & ficta ad lucrandum legatum, & sic cessant aduersariorum motiua parui momenti.

DECISIO CCCCXXV.

An Generalis ostendat Rescriptum Apostolicum tangens subditos?

Dictum fuit P. Generalem teneri ostendere litteras suæ commissionis transferendi Capitulum Generale de loco ad locum, suprà Decis. 363. nunc prædictis addo, esse necessarium, non solum, vt constet de eius existentia, sed etiam valore, nam dubitari potest, an legitimè obtentum fuerit. Et pro instructione Patrum Vocalium, sciendum est, quod illud rescriptum, siuè speciale mandatum, (vt aiunt ipsi) transferendi Capitulum Generale de Cõuentu Veneto ad Romanum, potest simpliciter esse nullum; primò quidem, quia in supplicatione forsan causa narrata ad mouendum Papam ad dandum rescriptum non est legitima, ex quo sequitur, illud non subsistere, sed esse inualidum ex illo communi axiomate: Non valet rescriptum, quandò preces veritate non nituntur, cap.2. de rescr. Azor. C. de diuer. rescr. num. 4. Osasch. decis. 169. num.22. Modit. lib.2. §. Principum placita, dub.11. num.2. & alij omnes super dictum cap. Secundò potest esse nullum, si in eo non fuit facta mentio de ordinatione facta in præcedenti Capitulo celebrandi Capitulum Venetijs, quia subticetur aliquid necessariò exprimendum, nempè illa ordinatio, cui possit derogare Summus Pontifex, quod facere non intendit, si illius cognitionem non habeat ex narratiua in supplicatione, Papa enim præsumitur ignorare consuetudines, & statuta particularia, ex cap.1. de const. in 6. ac proindè non censetur illam ordinationem reuocare, quia nullius voluntas fertur in incognitum, quare si de illa ordinatione non fuit facta mentio, rescriptum est nullum; tum quia censetur subrepititium taciturnitate eius, quod erat exprimendum, sed rescriptum subrepticium nullum est, cap. fin. de filijs Præsbyt. in 6. Tertiò potest esse nullum, si in supplicatione non fuit facta mentio de promissione facta Reipublicæ Venetæ,

quæ Capitulum iam acceptauerat: probatur autem nullitas ex hoc capite; tum quia Papa non intendit derogare iuri alteri quæsito, nisi de eo fiat mentio, ex allatis Decis. 369. ergò si non fit mentio de hac promissione, nullum est rescriptum. Tum quia ius alterius rescriptum tollens, nullum, & falsum præsumitur, Abbas in cap. Ex parte, de off. deleg. Curt. iun. consf. 170. num. 40. Cephal. consil. 342. num. 72. Surd. consil. 203. num. 30. Gonzal. ad Reg. gl. 26. num. 10. Tum quia standum est promissis, à quibus promittens non potest recedere, sine consensu promissarij, maximè si fiat tam magnæ, & potenti Reipublicæ, vt est Veneta, quæ non leuem perturbationem excitare potest, acquiescere tamen debet rescripto Pontificio, in cuius potestate est transferre Capitula de loco ad locum, sine alicuius consensu. Iterum in sequenti.

DECISIO CCCLXXVI.

An citatio facta per delegatum sine delegationis insertione valeat?

DVbitant vltimò, quòd primo loco proponendum erat, Patres Vocales, an citatio facta à suo P. Generali, de quo actum est Decis. 363. & 375. sine insertione suæ delegationis, & Rescripti Apostolici, fuerit valida; & ad hoc respondi, fuisse inualidam, & nullam, per ea, quæ adduco in sequentibus; Tum quia ex citatis iuribus cap. Cum in iure 31. de offic. deleg. Extrauag. 1. de elect. delegatus tenetur ostẽdere litteras suæ delegationis, alitèr illi parendum non est, ergò signum est, tales citationes esse inualidas, si carent tenore litterarum, vt etiam docet Peyrin. in suo Formul. lit. D. cap. 3. n. 2. ex citato cap. 32. sed eas non ostendit in sua citatione, ergò hæc nullius est roboris, cum valorem recipiat à litteris Rescripti. Tum quia Barbosa supèr dictum cap. Cum in iure, quem citat, & sequitur præcitatus Peyrin. nu. 3. dicit, quod delegatus in citatione debet inserere formam suæ delegationis, alioquin citatio non valet, idem expressè docuit gl. v. conuocare, cap. Si Episcopus. 8. 3. q. 2. per cap. præcitatum, & cap. 2. de dilation. ergò neque citatio, de qua sermo est, cùm in ea vix citetur Rescriptum. Tum quia processus fabricatus sine insertione litterarum delegationis nullus est, vt docent omnes, vndè Aretinus Minorum de Obseru. in sua praxi in 3. parte princip. ca. 1. de modo proced. dicit, quod delegatus in principio processus debet sempèr describere formam suæ commissionis; considera benè illud verbum *Sempèr*, quod importat formam esse de necessitate exprimẽdam, alitèr actus corruit. Tum quia Mar. Socinus, quem citat, & sequitur Maranta par. 4. tit. An sit iudicium ordin. vel deleg. num. 59. & 60. dicit, quod Iudex delegatus debet citare cum inserto tenore suæ delegationis, aliàs sibi non creditur, nisi doceat de commissione, ergò huiusmodi citatio non valet, hoc ipso, quod non cogit citatum ad parendum; Ratio autem, cur delegatio inserenda est in citatione assignatur ab Abb. in dicto cap. Cum in iure, & ex illo à Maranta ibidem, quia non præsumitur pro potestate delegata; sicut præsumitur pro ordinaria. Adde specialem rationem, quare Rescriptum Apostolicum erat ad verbum inse-

inserendum in ea citatione, nimirum, quia certissimam cognitionem habent, Capitulum Generale esse celebrandum in aliquo ex Conuentibus Venetis, quam notitiam euidentem sufficientèr non potuit elidere illa rudis, & simplex citatio, in qua vix nominatur Rescriptum potius dependentèr à Protectore, quàm à Papa emanatum, cum ergò hæc simplex, & debilis citatio non destruat eam cognitionem de Capitulo faciendo in statu Veneto, censetur adhuc durare, ac proindè nullam vim faciendam esse in hac citatione, & ideò inculpabiles sunt, si non accedunt ad Capitulum. Nec conturbetur mens alicuius, si præcitati Doctores videantur loqui in causis criminalibus, quia præterquamquòd loquuntur indifferenter, parum refert id, siquidem conditio materiæ, & causæ siue ciuilis, siue criminalis id non postulat, sed diuersitas modi procedendi; nempè iure Ordinario, aut delegato, pro quo non præsumitur, sed tantum pro Ordinario, de cuius potestate constat, non autem de potestate delegati, ideò necessariò eam ostendere debet exhibitione litterarum insertarum in citatione, & cum delegatus detur in vtroque genere causarum, tàm ciuilium, quàm criminalium, ideò in vtrisque tenor litterarum inserendus est, ita exigente natura delegationis, non verò negotio, de quo agitur.

DECISIO CCCLXXVII.

An fideiussio peti possit in legatis Missarum?

Quidam in vltimo suo testamento legauit mille, cum onere vnius Missæ quotidianæ celebrandæ in Ecclesia N. adiecto pacto, & grauamine, quod Ecclesia illa mille receptura det fideiussorem de pecunia inuestienda, & de Missa celebranda. Quæritur, an huiusmodi fideiussio potuerit peti à Testatore in suo testamento, aut ab hærede, si de illa non fuerit Testator locutus?

Tenet punctum hoc fideiussionis expressum in testamento; hæres verò illud apponere non potest grauando legatarium. Quod si Ecclesia huiusmodi fideiussionem non inuenerit, adhuc debetur legatum.

Primùm respectu Testatoris; probatur, Tum quia fideiussio in omnibus obligationibus locum habere potest, Instit. de fideiussor. §. 1. ergò & hìc, vbi Ecclesia obligatur ad celebrationem Missæ annuæ. Tum quia in re sua quisque moderator, & arbiter est, l. Sed & si, §. Consuluit, ff. de pet. hæred. l. In re mandata C. Mand. nisi arbitratum sit turpe, aut impossibile; fideiussio autem non est quid turpe, neque impossibile, cum leges illam permittant, & quandòque iubeant, si enim Ecclesia fideiussione potest se alijs obligare, ex cap. penul. de fideiuss. à fortiori potest sibi alios obligare quærendo fideiussorem. Tum quia Ecclesia tenetur pecuniam inuestire in proprietatem idoneam, vt ex illius fructibus possit ali Sacerdos celebraturus, vt statutum fuit in Decre-

cretis de celebr. Missar. vt ergò Testator post suam mortem cautus reddatur licitè potuit petere fideiussionem, non solum, vt implicatio sortiatur debitum effectum, sed etiam vt celebretur securius Missa quotidiana pro eius anima, si enim ommittatur celebratio, hæredes, seu executores testamentarij ius habent procedendi contrà vtrosque, vt Missæ omissæ repetantur, vel fructus omissarum restituant, prout tenentur, si nolunt remittere Missas omissas. Et si fideiussor patiatur damnum, releuari debet ab Ecclesia, pro qua fideiussit, cap. 2. de fideiuss.

Secundum respectu hæredis probatur. Tum quia legatum recta via ipso iure acquiritur legatario ad quem transit, l. Legatum 82. ff. de legat. & fidecom. l. A Titio ff. de fur. gl. in cap. Raynutius, de testament. non transiret autem recta via, si inflecteretur cum nouo onere, quod Testator non apposuit. Tum quia hæres non potest mutare conditionem obligationis, l. 2. §. Ex his ff. de verb. obligat. ergò nec addere grauamen, quod est quædam mutatio valdè præiudicialis. Tum quia, vt inquit Carena resol. 67. num. 18. non est in potestate hæredis introducere in Scriptura testamenti, quod non est in eo expressum, id autem præstaretur ab hærede, si posset apponere onus fideiussionis legatario, repræsentat enim personam Testatoris, ergò non potest plus grauare legatarium, quam quod grauauit eumdem Testator, qui nulla ratione illius fideiussionis onus expressit in suo testamento. Tum quia sicut hæres non censetur magis grauatus, quam defunctus, sed vterque est grauatus eodem modò l. Sempronio 33. §. Codicilles ff. de vsu, & vsufr. ita legatarius non potest plus grauari, quam illum grauauerit Testator, & hæres, cui non imposuit hoc onus, vt quæreret fideiussorem in traditione legati.

Tertium, de legato tradendo licet non inueniatur fideiussor, probatur; Tum quia quoties per eum, cuius interest, non stat, vt conditio impleatur, perindè est, ac si esset impleta, ff. de reg. iur. 122. & ibi Vulpianus exemplificat etiam in legatis, igitur Ecclesiæ debetur legatum, etiam quandò diligenter quæsiuit fideiussorem, & illum non inuenit. Tum quia, quæ non sunt plenè in nostra potestate, vt effectus fideiussionis, in iure reputantur impossibilia, arg. l. Apud Iulianum §. constat, ff. de legat. 1. ac proindè habentur non adiecta. Quarè in casu nostro legatum hoc debetur Ecclesiæ, non obstante fideiussore non inuento, quia Ecclesia facit, quod debuit, & quod potuit adhibendo diligentiam, ergò legem Testatoris impleuit.

DECISIO CCCLXXVIII.

An præstandum sit iuramentum à quolibet delatum?

IVramentum deferri potest, vel à persona publica, & Iudice, atque in causa contractus, siue instrumenti exigentis iuramentum; vel à persona priuata, quæ alium cogere non potest de iure ad iurandum. In priori casu præstandum est iuramentum ab exigente illud, quia tunc officialis

habet

habet ius illud exigendi, vndè resistens peccat mortalitèr propter illam inobedientiam; præstando autem iuramentum non potest tergiuersari æquiuocando, & eludendo mentem Iudicis petentis iuramentum, supposito, quòd iuridicè, & legitimè interroget, vt docent omnes. In posteriori verò casu, petens iuramentum cogendo alium, quodammodò peccat venialitèr contra iustitiam, quia cogit quem nō potest cogere, deferre enim iuramentum est imponere alicui necessitatem ad iurandum, quod nullus priuatus facere potest, cum sit actus iurisdictionis, vt dicit Abbas in cap. Si qui testium 8. de testibus. Nihilòminus, si petitus iuret, tenetur dicere veritatem, aliàs peccat mortalitèr, quia maximam iniuriam facit Deo vocando illum in testem falsitatis, qui est prima veritas, quæ non potest fallere quemquam, proptèr summam sui bonitatem, neq; falli proptèr suam infinitam scientiā. Potest verò, si cogitur æquiuocare, eludendo intentionem petentis sine iustitia iuramentum, & sic euitare periurium.

DECISIO CCCLXXIX.

Cuinam ex duabus Monialibus debeatur præcedentia?

ALtercantur duæ Moniales intèr se circa præcedentiam, quarum vna post duos menses ab altera induta recepit habitum probationis, sed posterior prius professionem emisit, quia erat in legitima ætate profitendi, non autem prior induta, cui deerant duo menses ætatis, ideò vltimò profecit, & hæc prætendit maioritatem, licèt posterior profecerit, quia primò induta fuit.

Præcedentia est danda illi, quæ primò professionem fecit, quia ius præcedentiæ acquiritur tantū à puncto professionis, & ex causa professionis, vt respectu Monialium decisum fuit à S. Congreg. teste Aldano apud Barbosam in Collect. Decis. Apostol. v. Præcedentia num. 29. Ratio horum est; Tum quia non receptio habitus probationis, sed professio dat ius præcedendi, ergò quæ prius profecit, præferenda est alteri, quæ posterius professionem emisit, attēditur enim ius præcedendi intèr professos tantùm; & non intèr professos, & Nouitios, cum sint dispatis cōditionis hi duo status. Tum quia cum præcedentia sit ius honoris ex cap. 1. de Maior. attendenda sunt simul honor, & onus, quia pari passu currunt honor, & onus, ex Reg. 55. in 6. sed onus nōn spectatur respectu Nouitiarum, cum non sint Religiosæ quò ad onera, ergò, neque honor præcedētiæ in eisdem habet locum respectu professarum, consequentèr prioritas receptionis habitus nulla ratione illi suffragari debet. Tum quia qualecumq; sit illud ius, quod tempore Nouitiatus habebant illæ puellæ, quod intèr illas exercebatur pro eo statu, deinceps non est attendendus, cum professione perimatur, eò quòd sit ius imperfectum, & ad rem, quod facilè tollitur, & perditur, Paris. vol. 4. consil. 93. num. 23. Rota in Nouis decis. 8. de iurepatr. num. 2. M. Anton. lib. 1. resol. 9. num. 7. ideò Monialis hæc secundo loco professa, posterius eo iure imperfecto vti non potest, cum non faciat ad rem relatiuè ad professionem, sed tantum suum effectum sortiatur tempore

No-

Nouitiatus, & postea professione perdatur, eò quòd altera Monialis prius professa virtute suæ professionis acquisierit ius perfectum, solidum, stabile, & irreuocabile, quod tolli non potest sine consensu acquirentis, ergò per superuenientem professionem alterius tolli, nec variari potest. Tum quia; sicut duobus Episcopis successiuè creatis debetur præcedentia prius instituto, quamuis posterius promotus prius fuerit ordinatus alijs ordinibus, cap. Episcopos dist. 17. cap. Episcoporum dist. 93. ita pari ratione illa Monialis est præferenda, quæ primò instituta fuit Religiosa per professionem, quàm quæ primò recepit habitum, & posterius professionem fecit. Vide infrà Decis. 443.

DECISIO CCCLXXX.

An Emphyteutica res acquisita à Regularibus alienari possit sine licentia?

FRatres S. Mariæ N. quibus relicta fuit possessio centum bubulcarũ, quarum quadraginta sunt Emphyteucatæ Ecclesiæ S. Petri N. designatæ super domo eiusdẽ possessionis, & adhærentibus, cum sola sui Generalis, seu Prouincialis licentia, sine Rescripto Sacræ Congregationis possunt alienare non solùm illam partem Emphyteuticam, sed etiam totam possessionem. Probatur, quia Extrau. *Ambitiosæ*, & Decretum nouissimum S. Congreg. prohibentia alienationem sine expressa licentia eiusdem, intelligenda sunt respectu alienationis voluntariæ, quæ fieri non potest, sine licentia Apostolica, non autem respectu alienationis necessariæ, & de iure, ex allegatis à me resolut. 27. num. 7. & resol. 62. num. 6. Licentia enim opus non est ei, qui agere tenetur, cum ea detur volenti, & non coacto ad agendum; sed isti Religiosi tenentur infrà annum vendere rem Emphyteuticam alteri, & retinere sibi æstimationem, vt docet Iason in l. fin. C. de iure Emphyt. num. 11. Speculat. ab eo citatus; Ratio est, quia Ecclesia non est idonea persona, vt ad eam transeat bona alterius Ecclesiæ Emphyteutica, cum in eo casu Ecclesia Emphyteutaria fiat deterioris conditionis, quia nunquam deinceps potest habere laudemium, cum Ecclesia nunquam moriatur, neque soleat, immò non possit alienare, quæ irreuocabilitèr possidet, ne igitur deterioretur conditio Ecclesiæ, isti Fratres de iure tenentur vendere bona hæc Emphyteutica tertio, qui soluat laudemium. Et ita tenent pretèr Iasonem etiam Clarus v. Emphyteusis q. 22. Megal. de contractib. lib. 2. cap. 9. à num. 83.

Dixi: *sed etiam totam possessionem*, quia venditis solum prædijs Emphyteuticis, quæ remanent, redduntur valdè deteriora, cum remaneant sine domo rusticali, quæ non potest fabricari ab his Religiosis, vndè, vt sibi consulant, necessitatem habent vendendi, & ex pecunia illa emere alia prædia addenda alijs. Confirmatur, quia maius trahit ad sui conditionem, quod est minus, ex vulgatis iuribus; & si autem prædia Emphyteutica non sunt maiora quò ad quantitatem, sunt tamen talia quò ad qualitatem, attentis domo, quæ alienatur, & deterioratione ex illorum venditione reliquorum prædiorum. Quarè his occurritur alienatione

ne totius possessionis, cum inuestione pretij, emendo alias petias terræ adiungendas alteri possessioni, vt intendunt facere.

DECISIO CCCLXXXI.

An Illegitimus dispensari possit ad ingressum, & honores intrà Religionem?

Illegitimi ex quocumque coitu admitti possunt ad Religionem etiam ad statum Clericorum, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, receptio huiusmodi probanda in Capitulis Generalibus, seu Prouincialibus de vnanimi consensu Generalis, seu Prouincialis cum suis Definitoribus respectiuè, modò non recipiant illum, cuius pater viuit adhuc in Religione. Ita expresè Gregorius XIV. in sua Bulla incip. *Circumspecta* tertia in Bullario, moderatoria duarum Sixti V. quarum prior incipit: *Cum de omnibus* 71, posterior incip. *Ad Romanum*.

Dispensare etiam possunt Generalis, & Prouincialis cum Generali, seu Prouinciali, aut intermedio Capitulo, cum dictis illegitimis iam professis, meritis semper suffragantibus ad honores, gradus, & dignitates obtinendas. Hæc omnia conceduntur in Bulla prædicta Gregorij XIV. Procedit in quocumque officio, etiam Generalatus. Vide Megalium consil. 91. in terminis. Tambur. tomo 1. disput. 5. quæstion. 14. & 15.

DECISIO CCCLXXXII.

An puella bastarda fiat Monialis, & Priorissa sine dispensatione?

Defectus natalium nullam mulierem impediunt ad ingressum Religionis, quia Bulla Sixti V. *Cum de omnibus* 71. in Bullario loquitur tantum de masculis, vt ipsemet Sixtus in sequenti Bulla *Ad Romanum*, postmodum se declarauit, non includere Moniales. Difficultas remanet in Ordine ad officium Abbatissæ, & Superiorisæ, requirentibus dispensationem Suarez, Sayro, Laymano, Naldo, Sanchez, & Nauarro, quos citat Pellizzarius cap. 8. de Monial. q. 31. num. 43. vti probabilius loquentes, cum Tambur. de Monial. disp. 28. q. 11. vbi enumerat decem nouem Doctores negantes, Abbatissam illegitimam eligi posse sine dispensatione, quia Abbatissatus est, quædam quasi prælatio. Sed pace tantorum virorum, puto, Monialem bastardam nulla indigere dispensatione, quia Abbatissatus non est prælatura, neque dignitas, à cuius assecutione impediantur patientes defectum natalium, si quidem nulla fœmina, nulla Monialis est capax prælaturæ, & dignitatis propriæ dictæ, quarum præcisè sunt incapaces solum masculi illegitimi, ergò non obest iste defectus fœminis, & Monialibus quarum officia impropriè dicuntur, dignitates, & prælationes; & in odiosis verba in propria significatione tantum accipiuntur, secundum omnes, ergò dicta de defectu natalium respectu prælationum in masculis non

non sunt trahenda ad fœminas, non solum, quia in odiosis masculinum non concipit fœmininum, sed etiam, quia prælatio propriè dicta in odiosis non extenditur ad eam, quæ impropriè sumitur; nam apertè constat iura in his loqui solum de masculis. Ita sentiunt Miranda quęst.6. de Monial. art.3. Rodr. tom.1. qq.13. artic.21. cum suo Compend. Resol.2.num.21. Portell. Abbatissa num.6.Lauor.tit.4. de elect. cap.24.n.38. Lezana tom.1. cap.20. num.6. Nihilòminus in opinione prædictorum Superiores proprij possunt cum illis dispensare, sicut cum viris Religiosis, quia Moniales participant in priuilegijs Religiosorum virorum, vt probaui Resolut.52. q.24. num.69.

DECISIO CCCLXXXIII.

An cadauer asportatum sepeliri possit sine licentia Ordinarij?

RAtio dubitandi est, quia in cap. Corpora 37. de consecr. dist.1. dicitur, *Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat sine consilio principis, vel Episcoporum, sanctæque Synodi licentia*. Nomine Principis intelligitur Papa, & licentia requiritur, quandò corpus traditum fuit perpetuæ sepulturæ, non autem, si tantum fuit depositum, vt alio transferretur, quod fieri potest sine licentia, vt insinuat glosa ex l. Si nec dum C. de Relig. id quod renouatur in Rituali Pauli V. tit. de Sepult. his verbis: *Nullum porrò cadauer perpetuæ sepulturæ traditum ex vlla cuiusuis ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarij*. Ex quo patet, illud caput loquens expressè de corporibus Sanctorum extendi ad cadauera per Rituale, cum in vtroque eadem vigeat ratio. Si ergò requiritur licentia ad transferendum, necessaria quoque erit ad sepeliendum in secunda Ecclesia, quia idem iudicium est extremorum, & medij; sed respondendum est, licentiam requiri tantum in translatione, & à termino à quo, vt expressè dicitur in allegatis textibus, neque hic habetur ratio medij, & extremorum, sed tantum de extractione corporis à sepultura, & nihil statuitur de sepelitione cadaueris extracti, ideò sine vlla licentia Episcopi, aut Vicarij sepeliri poterit priuatim, & occultè, neque enim in his fiunt exequiæ, vt in die depositionis, nulli enim ritus præscribuntur in Ritualibus, quod verum est in Ecclesia, siue sæculari, siue Regulari, sufficit ergò licentia patroni propriæ Ecclesiæ, vbi secundò cadauer collocatur. Et quandò cadauer non fuit traditum perpetuæ sepulturæ, sed tantum depositum, vt in casu nostro, res est extrà controuersiam, ideò P. C. possunt cadauer tumulare in sua Ecclesia sine alia licentia. Vide, quę dixi Resol.51.q.41. quod requiritur licentia Episcopi ad extrahendum corpus perpetuò traditum sepulturæ, etiam in Ecclesijs Regularium, si sit cadauer Laici.

DE-

DECISIO CCCLXXXIV.

An institutio hæredis cum pacto, quod exerceat artem, euanescat, si velit fieri Clericus?

QVidam Speciarius reliquit hæredem suum nepotem cum pacto expresso in testamento, quod exerceret eamdem artem, aliter contraueniendo, hæreditas deuoluatur ad hospitale. Hæres puer non vult hanc artem exercere, sed fieri Clericus; seu Religiosus, propter hoc non perdit hæreditatem, ex quo nec Hospitale aliquod ius habet super eam hæreditatem, quia illud pactum exercendi eamdem artem reputatur turpe, ac proindè pro non adiecto in testamento, quod suadetur; nam per illud impeditur puero hæredi accessus ad statum Clericalem, cum quo stare non potest exercitium artis; sed tale impedimentum est turpe, & peccaminosum, vt docent omnes cum Nauar. cap. 12. n. 44. Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. Miranda tom. 1. q. 16. art. 3. Molin. to. 5. tract. 5. disp. 51. num. 2. Vecchius disp. 1. dub. 5. de Nouitijs, ergò & pactum illud inducens, quod nullam inducit obligationem, cap. fin. de pactis. Tum quia, si in testamento addatur conditio, quod hæres non contrahat matrimonium carnale, reijcitur hæc conditio, sicut & legatum non perdit ille, cui fuit relictum, si non nubat, sequuto matrimonio, quia ea conditio, vti turpis reijcitur, l. Sed si hoc §. fin. ff. de condit. & dem. à fortiori habendum est turpe, & non pro adiecto pactum, & conditio impediens matrimonium spirituale, cuiusmodi est onus exercendi artem. Tum quia valet argumentari à statuto ad testamentum, Euerard. in hoc loco ab vltima volunt. sed statutum impediens ingressum Religionis est nullum, cum sit contrà libertatem Ecclesiasticam, & bonos mores, ergò idē dicendum erit de dispositione testatoris auertente à Religione. Demum de hac re testator interrogatus, sine dubio respondisset, nolle impedire bonam hæredis voluntatem, ac proindè id onus suo testamento non adiecisset, vt continens in causa turpitudinem, eius enim mens ita interpretanda est, vt non sit peccatum in constitutione testamenti, vt dicitur l. Plautius, ff. de auro, & arg. legat.

DECISIO CCCLXXXV.

An Superior det licentiam perpetuam suo Subdito confitendi extrà ordinem.

PRælatus Regularis, si non prohibeatur à constitutionibus sui ordinis, etiam localis potest suo subdito dare licentiam confitendi extrà cuilibet Sacerdoti, sine vlla temporis limitatione, non solum, dum est extrà Cōuentum, sed etiam manenti intrà claustra, ac proindè durat etiam post mortem concedentis, & id probatur; tum quia Religiosi quò ad vsum huius Sacramenti subiecti sunt suis Superioribus, ergò illis concedere possunt hanc licentiam, cum non negetur in iure, immò concedatur, vt probaui resolut. 2. q. fin. Tum quia beneficium à Superiore concessum decet esse mansurum in 6. reg. 6. Tum quia gratia facta non expirat per mortem concedentis, cap. Relatum 19. cap. Gratum 20. de offic. deleg. etiam in foro conscientiæ Palud.

lud. & Anton. apud Floronum cap. 4. de casibus reseru. §. 3. num. 12. Neque hoc habent ex priuilegio, sed ex iure communi cap. Omnis 12. de pœnit. vbi proprius Parochus suis Parochianis potest dare licentiam confiteri extraneo.

DECISIO CCCLXXXVI.

An lucretur Iubilæum dans eleemosinam Sacerdoti cum onere celebrandi?

ELeemosina præscribitur in Bullis ad lucrandum Iubilæum illis verbis: *Et quantum pro suo quisq; arbitrio iudicauerit, eleemosinam eroganti*. Qui autem Sacerdoti dat eleemosinam cũ onere celebrandi, non lucratur Iubilæum, quia non habet illa datio rationem eleemosinæ, de qua in Bullis, nam eleemosina est illa, quæ datur ad subueniendum alterius indigentiæ, nullam supponens, aut imponens onus illi, cui datur, cum eleemosinam largiturus ipse habeat debitum, vel simplicitèr, vel ex suppositione, ergò non potest obligare alterum, quod constat, quia indictum ad vnum effectum non debet operari contrarium, l. Meminerint, C. vndè vi, nec ex eadem causa debent oriri contrarij effectus, l. Qui hominem §. fin. de solut. l. Quod Labeo, ff. de compens. sed eleemosina fit ad liberandum indigentem à sua miseria, ergò non debet ligari debito, consequẽtèr eleemosina alio titulo data propriè eleemosina non est, sed contractus innominatus, *Do, vt dicas*. Et licèt eleemosina possit pertinere ad aliã virtutem, quam misericordiæ, cuius peculiaris actus est, nimirùm ad iustitiam, vt cum imponitur à Confessario, tunc ordinatur, & imperatur à voluntate ad satisfaciendum Deo offenso, nihilòminus id non facit, quod in casu nostro sufficiat pro lucro Iubilæi, quia in Iubilæo non præscribitur eo fine, sed ex virtute misericordiæ, vt sit actus charitatis, & misericordiæ, non iustitiæ. Demùm parum refert, quod respectu celebrationis solutio certæ pecuniæ vocetur eleemosina, quia impropriè sumitur ad cohonestandum Missę Sacrificium, ne videatur dari pecunia pro pretio Sacrificij, vndè spectata respectu laboris, & obligationis Sacerdotis non est actus misericordiæ, & charitatis, sed iustitiæ, vndè non celebrans tenetur restituere pecuniam acceptam, vt dicitur in Decretis de celebr. Missar. oritur enim vera obligatio iustitiæ commutatiue intèr Sacerdotem, & dantem stipendium pro celebratione, de communi testatur Fraxinellus sect. 3. de Sacerd. obligat.

DECISIO CCCLXXXVII.

An excommunicatus absoluere possit excommunicatum?

EX duobus Sacerdotibus Parocho, & Capellano, qui inuicem se pugnis percusserunt in publico cæmeterio coràm suis ouibus congregatis secunda Dominica Iubilæi, vt Communionem reciperent, & Missam audirent, virtute Iubilæi alter alterum absoluere potest ab excommunicatione, vt possint populo Sacramenta ministrare; licet enim excommunicatus qua est publicus Clerici percussor, vt in casu præsenti, comparetur denuntiato nominatim, secundum extrau-

Martini V. relatam per Sayrum lib.2. cap.12. ac proindè tam vitandus, quam publicus Clerici percussor, cuius factum aliqua tergiuersatione celari non possit, nec aliquo suffragio excusari, careant iurisdictione, secundum omnes apud eumdem Sayr. anteced. cap.6. Bonac. lib.2. de excom. cap.3. Nihilòminus, Doctores quos allegat Diana resolut.61.de excomm. cum quibus ego Resolut.78. qu.15. nu.92. tenent, publicum Clerici percussorem non dici vitandum, neque proindè perdidisse iurisdictionem, nisi per denuntiationem eius nominatim factam, sicut & de alijs, quia in omnibus casibus, & si factum materiale tergiuersari non possit, aliquo tamen suffragio excusari potest formale percussionis, ideò requiritur semper denuntiatio per cedulonem, & in praxi id seruatur. Quarè cum supradicti duo Sacerdotes non fuerint ab aliquo Iudice denuntiati, possunt se inuicem absoluere virtute Iubilæi, quia non perdiderunt potestatem, quam habebant audiendi alterius Confessiones; adhuc tamen vrget nescio quis, quia, licet excommunicatus nondum denuntiatus retineat potestatem, quam antè habebat in vtilitatem aliorum, est tamen incapax de nouo recipiendi delegationem, & nouam potestatem absoluendi ab ea excommunicatione, ad quam anteà non se extendebat sua facultas, siquidem illa extrauagans, neque iura illi fauere intendunt, vt dicitur in fine eiusdem. Respondeo, Capellanus electus à Parocho virtute Iubilæi nullam iurisdictionis potestatem de nouo acquirit, sed quam antè habebat, extendit ad absolutionem excommunicationis, per nudum absolutionis ministerium.

DECISIO CCCLXXXVIII.

An ex incendio domus, quis teneatur restituere pecuniam liquefactam?

NOn est difficultas, quandò sciebat, seu præuidit, in domo posse esse magnam pecuniæ summam, quia certè tenetur; quia læsio formalis culpabilis tunc omnia præuisa, vel scita comprehendit. Potest dubitari, quandò ad hanc non cogitauit, tunc etiam dico, hunc teneri, quod verum quoque puto, licet eo bono sit affectus animo, quod domum non incendisset, si præsciuisset, magnam summæ pecuniam esse in domo.

Probatur, quia incendium est æqualitèr causa omnium rerum, quæ in domo comburuntur, cum omnia per ignem appositum consumentur, ergò incendens est causa proxima, & per se omnis damni in domo combusta illati. Nec obstat, quod non præuiderit futurum damnum in pecunia, quia sufficit præuidisse damnum futurum in genere, alioquin sequeretur absurdum, quod non teneretur restituere, nisi combusta à se in specie præuisa, quod est vanum dicere. Vide supra Decis.312.

DECISIO CCCLXXXIX.

An Confessarius publicus Clerici percussor eligatur virtute Iubilæi?

ILle Præfectus ad decidendos casus, qui comparauit publicum Cle-

Clerici percussorem cum excommunicato vitando secundum Extrauagantem Martini, errauit, asserendo, hunc Confessarium eligi posse, quia ex suppositione æquiparantiæ caret iurisdictione, sicut alij vitandi, ex communi Doctorum, quos recenset Sayr. lib.2. cap.6. vndè ex propria, quam non habet, absoluere non potest, neque ex ea, quam prætendit acquisisse ex electione, si quidem priuatus habitis, à fortiori est incapax habendorum, & acquirendorum eorumdem, alias parum efficax esset priuatio; neque Papa præsumitur velle illi delegare hanc potestatem ex facto electionis, quam, nisi cum peccato exercere potest, ergò simul stare non possunt, quod quis sit publicus Clerici percussor æquiparatus vitando, & eligatur tempore Iubilæi, cum sit incapax acquirendi iurisdictionem, qua caret; nec obstat quod alias dicatur etiam nunc approbatus ab Ordinario, quia caret iurisdictione, quod est quid diuersum ab approbatione. Ideò, qui volunt, hunc Sacerdotem eligi posse, debent tenere, eum non esse parem denuntiato, sed requiri Iudicis declarationem, iuxta dicta supra Decis.387.

DECISIO CCCLXXXX.

An in Clem. Dudum *de sepult. conceda- tur priuilegium absoluendi à reseruatis?*

BVlla huius Clementinæ inter alia continet tria priuilegia, primum prædicandi in proprijs, & alienis Ecclesijs de licentia Rectorum, & in Plateis. Secundum præsentandi suos Sacerdotes licentiandos ab Episcopis ad audiendas Confessiones suorum subditorum, si Episcopi recusent dare licentiam possunt, & debent alios præsentare in locum reiectorum, quos si secundò reijciat, tunc Papa iure huius Clementinæ dat reiectis substitutis licentiam; Habent autem gratiam parem Parochis ad absoluendum. Tertium sepeliendi in suis Ecclesijs, & locis quoscumq; sepulturam eligentes. Hæc priuilegia concessit Clem. V. in sua Clem. Dudum de sepult. Fratribus Dominicanis, & Franciscanis. In ea autem nulla fit mentio de casibus reseruatis, ideò hoc priuilegium illis non conceditur vigore huius Bullæ; neque aliarum in corpore iuris insertarum, nam Bonifacius VIII. in sua incip. *Super Cathedram*, de sepult. inter Extrauag. Communes relata ad verbum à prædicto Clemente in sua registrata, vt diximus, cap.2. in Clem. de sepulturis, ne verbum quidem de casibus reseruatis, tantum enim Bonif. VIII. & Clemens V. dicunt: *Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis, seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa*. Subdit autem Glosa v. A iure in fine, quod Curatis nihil à iure est concessum, ergò nec Regularibus, ambo enim in hoc comparantur. Denium Extrauag. com. *Inter cunctas*, de Priuileg. Benedicti XI. quæ tamen cassata est in dicta Clementina, quæ renouauit dictum Bonifacij cassatam à prędicto Benedicto prohibet illis absolutionem à reseruatis ibi: *Sicque de casibus Episcopis,*

& Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apostolicæ reseruatis se nullatenus intromittant. Ex quibus patet, Regularibus nullum priuilegium absoluendi à reseruatis concedi, sed potiùs prohiberi.

DECISIO CCCLXXXXI.

An gesta per publicum Clerici percussorem teneant?

VAlent gesta per hunc, quia non perdit iurisdictionem, quamvis notoriè constet de materiali percussione, sed requiritur sententia Iudicis declaratoria, quod talitèr percutiens inciderit, ex tunc enim perdit suam iurisdictionem. Et ita docent Couar. & Fagundez, quos sequitur Ianuarius Neapolit. part. 1. resolut. 65. num. 47. Diana part. 2. tract. 5. resol. 14. eos citans, cum Sayr. lib. 2. cap. 11. num. 18. iterùm resol. 61. de excomm. par. 5. citans nostrum Celestinum tract. 3. ca. 9. diffic. 3. in Compend. Theolog. moralis. Quamquam alioquin Couar. si attentè legatur, id non videatur dicere.

DECISIO CCCLXXXXII.

An excommunicatus absoluens censuratum extrà Sacramentum fiat irregularis?

IRregularitas incurritur ab excommunicato Sacerdote exercente actum peculiarem sui Ordinis, vti celebrando, absoluendo sacramentalitèr, alia ministrando Sacramenta, ex tit. de Cler. excomm. min. cap. Is qui, cap. Is cui, de sent. excom. in 6. Sayr. lib. 2. cap. 15. num. 1. Nauar. cap. 27. num. 244. Absoluere autem ab excommunicatione extrà Sacramentum Pœnitentiæ non est actus Ordinis Sacerdotalis, quia simplex Clericus ex commissione, vt, si sit Vicarius, Iudex, aut officialis à censuris potest absoluere, quia id spectat ad potestatem iurisdictionis, non ad potestatem Ordinis, vt docent omnes cum D. Thoma in Additam. ad partem 3. q. 22. art. 2. Angel. Absolutio 3. num. 17. Sayr. lib. 2. cap. 21. nu. 1. ergò Sacerdos excommunicatus absoluens alium excommunicatum extrà absolutionem Sacramentalem excusatur ab irregularitate.

DECISIO CCCLXXXXIII.

An fiat irregularis Sacerdos absolutus in foro conscientiæ, post denuntiationem Iudicis, si celebret?

QVidam Sacerdos Canonicus percussit alium Sacerdotem Regularem, ab excommunicatione absolutus fuit à Legato à latere cum clausula; *In foro conscientiæ tantùm*, deindè cōtrà ipsum Episcopus formauit processum, & constita percussione sacrilega, dictum Canonicum declarauit, incidisse in excommunicationem proptèr iniectionem manuum violentarum in Monachum, suadente diabolo, qui Canonicus post acceptam ab Eminentissimo absolutionem, vt suprà, sempèr celebrando, etiam post sententiam ab Episcopo latam dubitat, an inciderit in irregularitatem.

Dico, quòd nulla ratione incidit, loquendo sempèr pro foro animæ; Ratio est, quia ita sublata fuit excommunica-

nicatio illa per absolutionem, vt reuiuiscere non potuerit per Iudicis sententiam, non enim data fuit ad reincidentiam, sed simpliciter, & absolutè, ergò nullum effectum irregularitatis producere potest in hoc Sacerdote celebrante, quia hæc irregularitas in tantum incurritur, in quantum Sacerdos actuali ligatus censura celebrat, aut ministrat, & exercet actum ordinis Sacerdotalis. Deindè prædicta sententia nihil aliud importat, nisi quod exterius indicat, Canonicum reuera incidisse in eam excommunicationem, quia reuera iniecit manus violentas in Monachum, vt patet ex processu, quarè cum sententia nouam excommunicationem nō inducat in sententiatum, neq; faciat reuiuiscere antiquam, sed illam relinquat in suo statu, in quo erat antè, nimirùm, destructam, cassatam, & annihilatam per absolutionem, nulla ratio debet nos mouere ad inferendum, hunc Canonicum postmodùm celebrando incurrisse irregularitatem, cùm sempèr extincta, & mortua irreuocabilitèr remanserit ea excommunicatio, quæ sola poterat inducere excommunicationem. Ita docent omnes cum Rodriq. tom. 1. q. 61. art. 10. §. Quantum, Lezana tom. 3. v. Absolutio num. 7. vbi citat Suar. de censur. disp. 7. sect. 5. Bonac. de censur. q. 3. par. 10. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 1. cap. 7. num. 7. Rem clarè dicit Rodr. his verbis. *Qui etiam si celebret publicè, & cum scandalo, in foro interiori non remanet irregularis, siquidem in eo est liberatus ab excommunicatione; & publicitas facti, & scandalum multorum non sunt causa iuridica, ratione cuius talis irregularis efficiatur.* Conueniunt omnes, hunc à Iudicè puniri posse pro irregulari in foro externo; potest quoque Iudex ex æquitate cessare ab huiusmodi iudicio, quandò reus monstrat litteras absolutionis, quod & facere debet respectu aliorum, apud quos celebrat, ad euitandum scandalum.

DECISIO CCCXCIV.

An Sacerdos teneatur celebrare iuxtà tenorem codicilli scripti à Rectore?

IOannes Baptista N. in suo vltimo testamento erexit beneficium simplex, obligando eius Rectorem ad celebrandum Missam quotidianam, excepto vno die singularum hebdomadarum ab ipso Rectore deligendo. Posteà fecit codicillum per manum sui Parochi, quia Notarius aberat, instante morte, se declarando prætèr alia, quod intendebat obligare personalitèr Rectorem, seu Capellanum dicti beneficij pro tempore eligendum, ad dictam celebrationem, & prætereà, quod deberet dictam Missam diebus festiuis celebrare, postquàm Parochus suam celebrasset.

Rector huius beneficij putat, se non esse obligatum ad illa duo, nempè ad celebrationem personalem, & ad illam horam præscriptam. *Primò*, quia id expressit in solo codicillo scripto à Parocho, & nunquam recognito, iuxtà constitutiones status Pallauicinorum; ita quod, cùm nullius sit momenti, nec vires habeat, neminem obligare potest. *Secundò*, nullus ex prædecessoribus Rectoribus seruauit formam codicilli, ergò neque præsens intendit obseruare, immò vnus eorum non po-

terat celebrare post Missam Parochialem, quia ipsemet Parochus erat; & hic videtur locum habere, quod tradit Emman. Sà v. Iuspatron. n.4. Lex posita à Patrono in fundatione beneficij, sed non recepta, non est seruanda. Tertiò codicillus nullam continet causam piam, nullum fauorem; nam si inspiciamus obligationem personalem, parum refert, quod Missa celebretur modò per vnum, modò per alterum, cum Sacrificium Missæ sit eiusdem valoris respectu cuiuscumque celebrantis. Si verò consideremus horam, codicillans nullum fauorem indè recipit, quia melius est Missam sibi anticipare in manè, quam post Tertiam circà meridiem. His non obstantibus.

Asserendum est, Rectorem teneri ad obseruandam expressam mentem Testatoris ex vulgatis iuribus, cap. Vltima 4.13. q.2. cap. Iudicante 4. cap. Tua nobis 17. de testament. dicentibus, quod vltima Testatoris voluntas omnibus modis seruanda est, consequenter non solum debet iste Rector celebrare, sed tantum per seipsum, & post Parochialem, vt se declarauit ore aperto, & cum in claris non sit locus coniecturis, de hac re dubitandum non est. Quarè respondendum est ad obiecta.

Ad primum dico, quod, sicut testamentum ad pias causas valet absque solemnitatibus iuris ciuilis, vt ferè omnes tenent de iure Canonico, ex cap. Cum esses, cap. Relatum, de testam. quos citando sequitur Diana part.7. tract.6. resol.2. ita & codicillus, & id à fortiori, cum sit illi accessorium, & ideò parum refert, si non fuit recognitum. Tum quia tenuit testamentum, ergò & codicillus illi accessorius, l. Quod 10. de iure codicill. vbi dicitur, si non valet testamentum, neque codicilli, ergò à contrario sensu valente testamento valet etiam codicillus, is enim est pars testamenti, quia de testamento ad codicillum non est propriè extensio, sed comprehensio, nam codicillus dicitur testatio mentis, sicut & testamentum, gl. Instit. de testam. initio. Tum quia Parochus potest conficere testamentum de iure Canonico cap. Cum esset 10. de testam. ergo, & codicillum nullam patientem exceptionem. Tum quia dicere possumus, quod huiusmodi dispositio recepta in scriptis per Parochum non est formaliter codicillus, sed propriè declaratio circà testamentum iam depositum, nam in testamento constabat de onere quotidiè celebrandi, poterat verò dubitari de persona, & hora, ideò vtrumque declarat, & ad hanc declarationem non requiritur solemnitas iuris, vt deducitur ex l. Hæredes palam 21. §. Si quid, C. de testament. vbi legislator decidens in priori testamento, nihil posse mutari sine legitima solemnitate, subiungit huiusmodi solemnitatem non esse necessariam, quandò testator suam voluntatem tantum declarat, & ratio in promptu est, quia declarans nihil de nouo facit, sed iam factum aperit, l. Adeo §. Cum quis ff. de acquir. rer. dom. neque aliquid de nouo ponit, sed quod inest occultè, exterius demonstrat, l. Hæredes palam ff. de testam. maximè id procedit in testamentis, in quibus testatoris voluntas deambulatoria est vsque ad mortem.

Ad secundum, allegare inconueniens

niens non est soluere difficultatem, secundum Aristotelem, vno enim dato sequitur aliud, iuxta illud Psal. 41. *Abyssus abyssum inuocat*. Est enim certum, quod primus Rector non celebrando propè meridiem, peccauit grauiter non adimplendo mentem expressam Testatoris, Abbas in Repetit. cap. Cum esses de testam. num. 7. Bonac. disp. 3. de contract. q. 1. p. 3. num. 6. iarlin. tom. 1. cap. 33. num. 28. Vndè ille Rector, qui simul etiam erat Parochus non poterat simul habere hæc duo beneficia incompatibilia; tum quia eadem numero Missa in diuersis horis celebrari non potest, & sic non poterat adimplere mentem Testatoris, cum ex officio teneretur celebrare Missam Parochialem, ex quo, cum voluntariè se fecerit impotentem, sibi imputet; Tum quia Parochus est obligatus offerre Sacrificium pro suis ouibus aliquandò ad arbitrium boni viri, vt docet Barbosa ad sess. 23. c. 1. nu. 4. Saltem diebus festiuis, ergò non potest recipere illum Iuspatronatum habentem onus quotidiè celebrandi adiunctum.

Specialiter respondendo ad punctum de obligatione celebrandi post Missam Parochialem, dico primo, Rectorem primum nolendo obseruare illam horam à Testatore expressam, peccasse quidem transgrediendo mentem claram Testatoris, id enim est commune omnibus introducentibus primò consuetudinem, vt ex Basseo tradit Diana resol. 5. de consuet. Dico secundo, sustineri posse sequentes Rectores non peccare celebrando antè Missam Parochialem, quia videtur consuetudo multis ab hinc annis, iam legitimè esse præscripta, iuxta dictum Sà, & puto, sufficere hic etiam decennium, iuxtà l. fin. C. de præscript. longi temp. Instit. de Vsucapt. §. 1. ex allegatis per Megalium in suo Promptuar. v. consuetudo n. 5. non obstante, quod iure Canonico requiratur spatium quadraginta annorum ex tit. de præscript. & agatur de re Ecclesiastica, quia id intelligitur de consuetudine derogante iuri Canonico, nos autem loquimur de iure priuato huius Testatoris, quod minus est, ideò videtur sufficere decennium; præterquamquod huiusmodi consuetudo celebrandi quauis hora antè Parochum est potius consuetudo facti, quam iuris, quia non ordinatur ad bonum Communitatis, sed vnius personæ, ideò sufficere potest præscriptio decennij; ad quod faciunt tradita per Ciarlin. resol. 129. num. 57.

Ad tertium, patet manifestè falsitas argumenti, sicut euidenter constat de causa pia tam in substantia, quam in modo, nam institutio iurispatronatus, cum onere celebrandi, cum dicat specialem Dei cultum, & salutem animæ instituentis, vt notum est, non potest non esse causa pia in sententia omnium Doctorum, cum Nauarr. tom. 2. de Redditib. q. 1. monit. 26. Bonac. de Testam. p. 5. nu. 4. Portell. part. 3. casu 31. nu. 7. Ciarlin. resol. 21. num. 7. qui omnes cum alijs dicunt, piam voluntatem esse, cum relinquitur aliquid ad cultum Dei, Ecclesiæ, seu animæ; dicere autem Missam illam hora sine dubio arguit, & extendit cultum Dei; & Ecclesia magis honoratur, & consulitur commoditati fidelium, qui vsque ad me-

ridiem Missas audire possunt. Deindè multum refert, quod Missa ab vnico tantum celebretur, quia indè constat, an Rector institutus satisfaciat suæ obligationi,& ab omnibus videtur celebrari Missa talis iurispatronatus, quod non potest dici, si nunc celebret Rector, postea alius Sacerdos, deindè alter superueniat, qui non cognoscantur vti Rectores; præterea confidit magis in suis consanguineis, quàm extraneis. Demum fauorabilis est sibi institutio, & celebratio, horam verò distulit fauore aliorum, quia charitatem primò in se ordinauit, deindè ad proximum eamdem extendit,& illis communicauit commoditatem audiendi Missam, consequentèr & hæc hora fauorem illius quòque respicit, & vanum est dicere, sibi præiudicare illum, qui statuit Missam sibi celebrandam paulò antè meridiem, nam prætérquàmquod vtitur iure suo, & illa quoque hora indiget suffragio, necessarium esset, quod Missæ omnes celebrentur pro defunctis in aurora, sed hoc est absurdum, quia paucis Missis interessent nostris temporibus, illud ergò de Missa anticipanda intelligitur respectu diuersorum dierum, non in ordine ad eumdem diem in casu nostro.

DECISIO CCCXCV.

An vota, & vestes oblata Imagini alienari possint pro expensis in sequenti casu?

IN Ecclesia Fratrum N. colitur B. Virgo Mariæ Imagine miraculosa depicta, & singulis annis defertur processionalitèr illis tribus Rogationum diebus, &c. pro casu autem nostro in instrumento legitur sequens dispositio.

Con conditione però, che sia lecito alla suddetta Compagnia per le suddette spese di cera, Messe, musiche, & altre honoranze seruirsi, e valersi dell'elemosine cosi di cera, come danari, ò qualunque altre cose, che saranno offerte alla detta Santissima Imagine, per tutto il tempo, che si anderà à leuare, si fermarà nella Città, ò che si riportarà alla detta Chiesa; e perciò di tutte quante le dette elemosine di qualunque sorte, che veranno offerte alla detta Santissima Imagine leuata, che sarà dal suo proprio luogho, sino che al medesimo luogho sia restituita; li sopradetti molto Reuerendi Padri promettono, & si obligano d'eleggere, & constituire ogn'anno vn Depositario del numero di detta Compagnia, che habbi da riceuere, & custodire le dette limosine ad effetto d'impiegarle, & spenderle liberamente, come di sopra, senza alcuna limitatione, conforme à quello li sarà ordinato da detta Compagnia, Priore, & Officiali; & il residuo poi delle limosine pagato, che haurà tutti li mandati, & ordini di detta Compagnia, consegnare intieramente, & effettiuamente ogni anno alli suddetti molto Reuerendi Padri, doppo che la Sagra Imagine sarà riportata al suo luogho, da impiegarsi dalli medesimi Padri in ornamenti di essa, & non in altro, &c.

Dubitatur ergò, an lampades argenteæ, vel alterius materiæ, vestes, item vota argentea distrahi possint pro dictis expensis; Ratio dubitandi desumitur ex illis verbis: *Valersi dell'elemosine, cosi di cera, come danari, ò qualunque altre cose, che saranno offerte.* Sub qua generali locutione comprehenduntur superius expressa, & non tan-

tantùm cera, & pecunia, nam dictio, *Quicumq;* maiora expressis comprehendit, gl. in Clem. 1. de re iud. Roland. consil. 5. num. 44. vol. 1. Ruinus vol. 3. consil. 103. num. 9. Barbosa alios referens dict. hac 317. His tamen non obstantibus.

Puto, prædicta non posse extrahi; tum quia illa offeruntur, vt in Ecclesia permaneant ad honorem, & decorem perpetuum Sacræ Imaginis, vndè supradicta dispositio intelligitur tantum de ijs, quæ non referuntur ad diuturnum ornatum, quales sunt res superiùs expressæ, ergò non intelliguntur comprehensæ sub ea dispositione. Tum quia eleemosinæ, quæ solent tradi Sacris imaginibus sunt in duplici differentia, aliæ enim traduntur in cōsumptionem vsus, vt cera, & pecunia, quæ expenduntur, illa in celebratione Diuinorum Officiorum, & illuminatione, hæ in emptione eorum, quibus Sacra Imago indiget. Aliæ traduntur in vsum ornatus, & decoris, cuiusmodi sunt lampades, quæ accenduntur, vestes, quibus ornatur, Calices, in quibus celebratur; adde legata stabilium, vt domus, prędij, census, &c. ex quorum fructibus manutenentur, & conseruantur Ecclesiæ. De istis nullatenus loquitur dicta dispositio; sed tantum de primis; & res est clara, quia in instrumento exprimuntur eleemosinæ primi generis, ex quo patet responsio ad dubitationem, illam clausulam: *O qualunque altre cose*; Quæ scilicet traduntur ex natura sua consumptibiles, vt sint in ornatum, & cedant in vtilitatem Ecclesiæ, referri ad res eiusdem rationis, vt insinuat dictio: *Altre cose*, quæ importat positionem eiusdem qualitatis cum præcedentibus, gl. v. alios, in cap. 1. de prębend. in 6. Rodr. tom. 1. q. 30. art. 15. §. Circa quod, Menoch. lib. 1. de arbitr. q. 80. num. 122. Et ita dicendum est.

DECISIO CCCXCVI.

An pro delicto attentato reus negans sit torturandus?

QVidam Religiosus inculpatus fuit, quod euaginauerit gladium, seu pugionem contrà alium in ludo, & contrà se habet testem productum ab aggresso omni exceptione maiorem, negans huiusmodi euaginationem, qua nullo modo percussit alterum impeditus ab astante, non est subijciendus torturæ, licet enim reus habens contrà se vnicum testem omni exceptione maiorem subijciatur torturæ, Bartol. l. 1. §. Idem Cornelio ff. de quæst. Clarus q. 22. Farin. de Indic. & tortura q. 36. num. 54. Carena de S. Officio par. 3. tit. 10. num. 30. tamen id intelligendum est respectu delictorum grauium, & perfectorum, quibus debetur grauissima pœna, aut saltem multum grauis, siquidem tortura affert damnum irreparabile, Clarus q. 64. num. 27. Aceuedo lib. 3. num. 6. Riccius collect. 642. Rodriq. resol. 10. nu. 38. quale non videtur illatum per illam euaginationem, ergò huic correspondere non habet tortura, non enim per tormenta inuestiganda est veritas delictorum, quæ de facto non nocuerunt proximo, ne magis patiatur inculpatus, quam offensus.

DE-

DECISIO CCCXCVII.

An testes adducti pro reo debeant esse potioris conditionis, quàm adducti pro actore?

PEtrus Religiosus accusatus fuit de vulnere lethali inflicto in suum Superiorem, duobus alijs Monachis adductis in testes contrà vulnerantem per vulneratum, ex quibus Petro conuicto dantur defensiones per Iudicem volentem deuenire ad sententiam. Modò Petrus intendit probare, se non vulnerasse suum Superiorem, & pro se in testes adducit vnum Laicum, & Religiosum. Quæritur, an sufficienter probare possit suum intentum?

Respondetur negatiuè. Tum quia isti sunt minoris virtutis, & efficaciæ, ergò non possunt destruere dictum aliorum testium, qui maioris sunt virtutis, & fidei, non enim minus potens agit in potentiorem. Tum quia magis creditur duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus, ex adductis per Farin. q.65. de testibus num.201. Leoncill. decis.5.n.20. decis.78. nu.10. Tum quia Religiosi sunt testes omni exceptione maiores, ex Ægidio de testib. num.4. & magis illis credendum, quàm sæcularibus, ex Alberico de Maletis, cap.5. de testibus num.29. Tum quia illi testes præualent, qui sunt digniores, & verisimiliora deponunt, ex cap. In nostra 32. de testib. ibi gl. v. Aduersæ, In casu autem nostro res clara est, quia testes pro actore sunt duo Religiosi, qui nullam patiuntur exceptionem, pro reo autem, licet adsit alter Religiosus eiusdem meriti cum alijs, subinductus tamen sæcularis, præter hanc conditionem, patitur alios defectus, nam ipse ludebat, erat suspectus curiæ, & habitus pro ebrio; ideò testes pro reo admissi non fuerunt, nec illorum testimonium.

DECISIO CCCXCVIII.

Quandò Conuentus vult reclamare contrà nulliter professum, quis erit Iudex ex parte Conuentus?

DIxi Resolut.23. Conuentum reclamare posse virtute Tridentini contrà suum Religiosum nullitèr professum, modò dubium est, quinam debeat esse Iudex ex parte Conuentus? Dico, quod spectat ad munus Iudicis ad eosdem, ad quos pertineret, si reclamaret Religiosus contrà Religionem, vndè procurator Conuentus vices actoris geret probando nullitatem eius, qui expellendus est à Religione coram Iudicib. & in his nulla difficultas.

DECISIO CCCXCIX.

An Nouitius expulsus, vel fugitiuus, si iterùm admittatur, possit recipi ad professionem per licentiam antiquam?

IN quadam Religione Nouitij post probationem, ad professionem non admittuntur, nisi de licentia Generalis, aut Prouincialis, quidam admissus fuit ad Nouitiatum, data licentia Priori eius professionem recipiendi, Nouitius aufugit infrà annum probationis, tandem in se reuersus post nonnullos menses procura-

curauit iterum recipi inter Nouitios: annuit Generalis, ordinando, quod per annum integrum maneret in probatione, nulla facta mentione de licentia recipiendi illum ad professionem, finito probationis anno. Modò quæritur, an inualida sit professio emissa in manibus Prioris, qui nullam requisiuit de nouo licentiam, credens illam antiquam valere?

Respondeo, valet professio virtute antiquæ licentiæ, quæ non erat extincta, sed adhuc durabat, siquidem non fuit reuocata, quia non constat de reuocatione, quæ erat facienda per actum contrarium priori voluntati, vt tradunt Doctores cum Gonzal. Reg. 8. Cancell. gl. 12. n. 57. & cap. Si delegatus §. 1. de off. deleg. in 6. Bart. in l. More maiorum, ff. de iurisd. om. iud. Innoc. in cap. licet, de off. deleg. Decis. consil. 103. nu. 4. Tum quia concedens antecedens concedit consequentia ad ipsum, cap. Præterea 5. de off. deleg. alijs iuribus citatis Barbosa Vaz lit. C. num. 47. nam consequens sequitur ad antecedens; constat autem annum probationis antecedere, & professionem subsequi, ideò superior concedendo expressè licentiam admittendi illum iuuenem ad nouum Nouitiatum, tacitè adiecit licentiam antiquam huic actui ad effectum, vt Nouitius finito probationis anno posset legitimè suam professionem emittere.

DECISIO CD.

An ex vi licentia audiendi in Confessione sæculares intelligatur concessa facultas audiendi Fratres?

Ex eo, quod quidam Sacerdos Regularis obtinuit licentiam audiendi Confessiones sæcularium, etiam à suo Superiore Regulari, non ideò acquisiuit facultatem circa Religiosos sui Ordinis. Tum quia alia est licentia audiendi Confessiones sæcularium, alia Religiosorum, ergò ab vna ad aliam non arguitur, ex illo communi axiomate, quod ex diuersis non fit illatio, l. Papinianus ff. de minor. cap. Ad audientiam de decim. Tum quia licentia limitata limitatum producit effectum, l. In agris, ff. de acquir. rerum domin. l. Age C. de transact. vbi transactio sub vna specie non extenditur ad aliam, quia causa limitata limitatum producit effectum. Tum quia licentia audiendi Confessiones sæcularium generaliter data, non se extendit ad excipiendas Confessiones Monialium, vt respondit S. C. ad dubia proposita super Bullam Greg. XV. incip. *Inscrutabili*, moderantis priuilegia Regularium respectu Monialium, ergò neque in casu præsenti licentia audiendi Confessiones sæcularium se extendit ad Fratrum Confessiones excipiendas.

DECISIO CDI.

An hæres sit capax substitutionis, quandò Testator substitutus non adiuit bona substituta?

HIeronymus N. in suo vltimo testamento tribus suis filiabus institutis decedentibus, siue cum filijs, siue sine filijs substituit pro dimidio suam sororem, & pro alio dimidio Alexandrum, si vixerit, sin minus eius filios in stirpes, non in capita, accidit casus substitutionis in personis Caroli, & Felicitatis filiorum dicti Alexandri præmortui, Carolus procurauit adire hæreditatem substitutam, & cum parte litigante transegit, Felicitas vero nihil fecit, sed quieuit, tandem antè mortem suo condito testamento instituit suum hæredem vniuersalem Franciscum, qui nunc viuens quærit, an sit capax bonorum subiectorum dictæ substitutioni, quò ad partem contingentem dictæ Felicitati? Ratio dubitandi est, quia hæreditas non adita non transmittitur, l. Si ex pluribus, ff. de suis, & legat. hæred. l. Quoniam, C. de iure deliber. sed Felicitas, vt asseritur, non adiuit eam hæreditatem, ergò neque eam potuit transmittere in suum hæredem.

Hic punctus iuris est, & multum difficilis, nihilòminus, si æquitatem inspicere volumus, & personæ statum, videtur dicta substitutio habere locum etiam in præfato Francisco hærede, non obstante adducto axiomate, cui opponimus aliud ex l. hæreditas, ff. de verb. signif. quo hæreditas dicitur ea, quæ continet vniuersum ius defuncti, in quod succedit hæres, qui est eiusdem potestatis, & iuris, cuius erat defunctus, cum viueret, l. Heredem, ff. de reg. iur. sed Testatrix Felicitas ius habebat saltem ad rem in bonis substitutionis, vt certum est, ergò hoc ius transtulit in Franciscum suum heredem, ergò sicut illa poterat adire illa bona, ita & Franciscus eius vniuersalis hæres, cum succedat in omnia eius iura. Illud ergò axioma intelligitur, quod actualis transmissio non fit sine additione, non verò tollit, quin adhuc bona sint transmissibilia, itaque negat transmissionem in re, non ad rem. Sed quicquid sit de hoc, adhuc persuadeo possessori huiusmodi bonorum, ipsum ex æquitate teneri aliquam portionem illorum bonorum tradere dicto Francisco. Tum quia non omnino constat, Felicitatem quieuisse, & dormisse nihil quærendo. Tum quia, cum in fratre Carolo experta fuisset difficultatem in litigando huiusmodi aditionem; videtur verisimilius, eam non cessisse iuri suo, sed distulisse aditionem. Tum quia breue tempus intercessit inter casum substitutionis, & mortem, ex quo infertur non neglexisse aditionem. Tum quia valdè incommodum est, præsertim mulieribus, lites mouere, cum non deceat illas currere per Palatia quærendo iustitiam, quæ in longinqua fugit, ideò hæreditatem non adiuit, quia non potuit. Ex his, & alijs D. Possessor moueri debet ad tradendum aliquid præfato Francisco. Facit illa iuris Reg. 66. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perindè, ac si impleta fuisset; sed per dictam Felicitatem non stetit, quò minus adimpleret aditionem impeditam ex difficultate litium, ideò ea hæredi-

reditas haberi debet perindè, ac si adita fuisset, consequentèr Franciscus habet ius petendi ea bona. Demùm si inspiciamus statùm vtriusque Domini, nimirùm Possessoris multum diuitis sine filijs, & Francisci vxore, & filijs oppressis, qui cum illis vix viuere potest, & quasi mendicare cogitur, id solum deberet aperire viscera D. Possessoris ad subueniendum pauperi, ad hoc enim saltem ex charitate tenetur in sententia omnium Doctorum.

DECISIO CDII.

An praestans sclopum fiat irregularis secuto homicidio?

ISte Sacerdos debet se abstinere à celebratione, quia accommodando scopum N. incidit irregularitatem ob homicidium secutum, & in hoc nulla est difficultas, quia per illam accommodationem verè influxit in homicidium. Esset verò ab ea immunis, quandò interfector non fuisset vsus sclopo illius, sed alterius. Ita omnes Doctores, quos pro se citat Bonac. de Irregul. ex delicto q. 4. p. 8. num. 35. & 36.

DECISIO CDIII.

An Superior Regularis possit licentiare suum subditum ad quemcumque Episcopum?

ACcidit casus talis. Quidam Clericus Regularis approbatus ad Subdiaconatum, quia suggessit alteri ordinando, quid deberet respondere, ab Episcopo in poenam huius modicae temeritatis obliteratus fuit, & eiectus; iste autem statim accessit ad alium Episcopum, à quo fuit ordinatus, qui Episcopus posteà rem benè considerans, animaduertit, se non potuisse illum ordinare, quia proprius Episcopus eodem tempore actu habuit ordinationes, vndè pro sui defensione, si impetretur, petijt ab illius Prouinciali nouas dimissorias retròtractas ad priores sibi praeiudiciales, cum clausula: *Ad quemcumque Episcopum.*

Respondi, Patrem Prouincialem talem licentiam, *Ad quemcumque Episcopum*, concedere non posse, sibi prohibitum per Decretū Clementis VIII. qui statuit, vt Regulares licentiarentur tãtum ad Episcopum loci, vbi morantur, ad alium verò quemcumq; non posse, nisi quandò proprius non esset ordinationes habiturus, vel abesset, aut Sedes vacaret, in his casibus concedi potest licentia ad quemcumque Episcopum. In casu autem nostro Episcopus proprius celebrauit ordinationes, ideò à nullo alio ille Monachus poterat ordinari. Nec illi potuit suffragari repulsa, quia non fuit in odium, sed in mortificationem, ibi enim erat, vt discipulus, non vt magister, ideò malè fecit suggerendo ignoranti responsionem, consequentèr iustè punitus fuit ab Episcopo, qui de iure illum erat ordinaturus. Vide apud Quarantam v. Ordo, citatum Decretum.

DECISIO CDIV.

An Prouincialis licentians ad quemcumque Episcopum incurrat aliquas poenas cum licentiato?

SEcuta ordinatione per extraneum Episcopum, proprio illam celebran-

brante publicè, Prouincialis ipso iure nullam incurrit pœnam, sed tantum in Decreto Clem.VIII. comminatur hæc pœna. *Quod, qui non fecerint, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, ac alias arbitrio Sanctissimi D.N. Papæ reseruatas incurrent*. Quod in terminis probaui Resol.67. num.40. 65.& 66. Ordinatus autem cum ea licentia, nullas incurrit pœnas, vt probatur ex adductis citata Resolut.67. num.68. §. Tertiò, nam quod dicitur sess.23. cap.8. ordinatum à non suo Episcopo manere suspensum ab executione Ordinis suscepti, locum habet solum in Clericis sæcularibus, quia Regulares ex Tridentino non dicuntur habere proprium Episcopum, sed tantum ex Decreto supradicto, quod nullis pœnis afficit Ordinatos. Nec obstat Bulla 7.*Cum ex Sacrorum* Pij II. illa clausula: *Aut legitima licentia*; non vrgente, quia refertur ad licentiam falsam à non legitimo Superiore datam; in casu autem nostro licentia data fuit à legitimo Superiore, sed sine debitis circumstantijs; vndè si proprius Episcopus ordinationes non tenuisset, licentia in effectu iudicaretur bona, & sufficiens ad dimittendum Religiosum ad extraneum, quarè non est dicendus ille Religiosus ordinatus sine legitima licentia, sed tantum cùm licentia manca, & defectuosa contrà Decretum Clementis VIII. quod nullam pœnam comminatur ordinatis, sed tantum licentiantibus ad Ordines.

(:·)

DECISIO CDV.

An ille, cui ex officio incumbit, ne aliqua extrahantur ab exercitu, teneatur ad extracta?

PRinceps belli constituit N. Ministrum pro conseruatione sui exercitus, præcipiendo illi, ne cuiquam concedat, aut permittat extractionem ferri, & frumenti, & similium ab exercitu suo. Modò iste Minister auaritia ductus, & muneribus excæcatus extractionem permittit contrà expressam prohibitionem Principis. Quæritur, an peccauerit mortaliter contrà iustitiam, ac proindè teneatur restituere, tam extracta, quam munera, & pecunias recepta ab extrahentibus.

1. Minister iste peccauit mortaliter, & antè factam extractionem tenetur restituere acceptum munus, non verò post factum; vtique verò extracta in pristinum restituere tenetur. Primum de peccato mortali constat, quia in re graui transgressus fuit præceptum sui Principis in graue damnum belli. Secundum de obligatione restituendi munus receptum probatur, quia sicut quilibet se debet abstinere ab opere malo perpetrando, qualis in casu nostro est permissio extractionis prohibitæ, ita & relinquere medium, per quod peruenitur ad illud malum extractionis, medium enim specificatur à fine, & ab eo sumit suam necessitatem, ideò, si quis non potest agere in finem, neque in medium, sed illud munus traditum est medium inducens extractionem, ergò Minister iste debet se abstinere. Tertium, quod post factum non tenea-

neatur ad restitutionem muneris accepti, probatur, quia pro opere illicito patrato dari, & accipi potest aliquid, eò quod illud malum non gratis fiat, & sicut Minister ex parte sua adimpleuit promissionem onerosam, ita & extrahens suam adimplere tenetur, quia per hoc amplius non peccat, retinere ergò sibi potest munus datum. Quartum de restitutione extracti probatur, Tum quia ex officio sibi imposito tenetur conseruare indemnem Principem, conseruando res sibi commissas pro manutentione exercitus, ergò cum iustitiam læserit, reus est restitutionis. Tum quia in hoc casu intrant illæ duę causæ *Consensus. Non obstans*, quæ obligant consentientem, & non obstantem extractioni, ad restitutionem. Tum quia sicut famuli, factores, & habentes ex officio curam rerum heri sui, tenentur ad restitutionem, quandò non obstant, sed permittunt auferri res domini sui, ita Minister iste non habendo curam rerum sibi commissarum cum expressa prohibitione, ne concedat, aut permittat earum extractionem, sed eas negligendo, & concedendo earum extractionem, certè tenetur ad earum restitutionem, in nullo enim, quò ad hoc, differt à famulo, seu factore, & custode rerum sibi commissarum. Quæ procedunt, siue frumentum, & ferrum fuerint capta per milites, siue non, quia capta à militib. in tantum fiunt illorum, in quantum Princeps aliud non ordinat, potest enim Princeps Militibus auferre hoc ius, vt fiant capta illorum propria.

DECISIO CDVI.

An Capitaneus priuilegiare possit nonnullos milites, vt non accedant ad vigilias?

QVilibet Capitaneus habet sub se tot milites descriptos, qui per orbem successiuè bis in anno accedunt ad Vrbem, vt de nocte inuigilent supèr menia Ciuitatis. Iste Capitaneus nonnullos ab hoc onere eximit, ob quam gratiam exempti Capitaneo contribuunt frumentum, vuas, & alia singulis annis. Quæstio est, an hæc facere possit?

Non potest hoc facere, recepta autem sibi retinere potest, tenetur verò ad damna aliorum. Primum, & tertium simul probatur; tum quia priuilegiare non potest, quos Princeps subiecit huic seruituti. Tum quia hoc priuilegium est euidentèr præiudiciale alijs militibus, qui coguntur supplere vigilias priuilegiatorum, solus autem Princeps huiusmodi priuilegia concedere potest gl. in q. 2. caus. 25. ergò iste Capitaneus non potuit eximere à vigilijs milites illos in præiudicium aliorum, consequenter tenetur ad damna illata alijs militibus, qui vices, & vigilias priuilegiatorum suppleuerunt, resarcimentum autem in eo situm est, quod Capitaneus tenetur ad stipendium, & expensas respondentes illis diebus, quibus vigilarunt pro priuilegiatis. Nec valet excusatio, quod Capitaneus non recipit salarium à Principe, illud petat, aut recedat, neque enim milites tenentur illud supplere pro Principe. Neque illum excusat scientia Principis, quia aliud est scire, aliud priuilegia-

legiare, quod non facit Princeps per suam scientiam, neque per hoc approbat factum Capitanei, sed tantum permittit, permissio autem non eximit à peccato malè agentem, quia permissio, vt inquit Tuschus litt.T. concl.324. num.1. non inducit concessionem, neque dispensationem, quod factum sit licitum. Secundum, quod receptum retineri possit probatur, quia vt omnes docent apud Bonac. de contr. in genere q.3. p.3. num.2. §. Dixi, pro opere illicito patrato, vel turpi causa receptum retineri potest.

DECISIO CDVII.

An Miles capere possit bona hostis extracta?

CRemonenses nonnulli sua mobilia transportarunt extrà territorium apud Parmenses, & Brixienses. Quaritur, an Milites Galli possint bona huiusmodi reperta, & extantia extrà districtum Cremonensem, auferre sibi? Respondetur negatiuè. Tum quia per transportationem res ità perseuerat sub dominio fugientis, vt solum dicatur fieri sub iure hostis à puncto captionis. Tum quia sicut actu existens extrà proprium territorium immunis à suo naturali domino quò ad suam personam propter illum recessum, ita pari ratione immunis est quò ad res, quas secum transfert. Tum quia sicut birruarij non possunt delinquentem, nec rem furto sublatam extrà territorium capere, quia extrà nullum ius habent, ità à fortiori Milites nullum ius habent super bona transportata. Tum quia Milites super hostem extrà territorium belli manentem nullum ius habent quò ad personam, ergò neque quò ad mobilia apud ipsum extantia, quia tamquam accessoria sequuntur conditionem personæ.

DECISIO CDVIII.

An Dux militiæ aggrauans magis vnum militem, quam alium peccet?

DVx malefacit præcipiendo, vt vnus miles plures faciat vigilias, quam alter, æqualiter enim tenetur illis vigilias distribuere, vt notum est, id exigente iustitia commutatiua. Quarè tenetur resarcire damnum illius, quem grauauit, in eo, si miles suis manibus laborabat, debet pro eo die tradere illi tot pecunias, quot lucratus fuisset ex suo labore.

DECISIO CDIX.

An fauores sæcularium liceant Regularibus?

REsponsio est negatiua. Tum quia contrà ambientes officia extant quamplurimæ Bullæ, quod signum est, huiusmodi litteras commendatitias procurare, non esse licitum. Tum quia Superiorum minuunt libertatem, qui impediuntur regere suos subditos iuxtà sui Ordinis statuta. Tum quia sine pecunijs, & muneribus contrà Bullam de Largitione munerum, & votum paupertatis, huiusmodi fauores non obtinent, sed magno pretio quandoque illos emunt. Tum quia huiusmodi litteras

solent

solent ferè indigni quærere, decipientes Principes, qui edocentur, se facere dignos, cum reuera sint indigni. Tum quia, vt plurimum præiudicant alijs, qui sunt digni. Abstinendum ergò est ab his fauoribus. Addo, quod sæpe audiuntur dissensiones, scandala, & iurgia extrà, & intrà, ex quo relaxatur disciplina Regularis. Huius occasionem tribuunt huiusmodi fauores. Quartum, scandalizantur fautores, si fauoribus nutriuntur dissensiones, & deprauantur mores Religiosorum.

ECISIO CDX.

De Potestate cuiusdam Prioris, & Visitatorum Generalium.

CONgregatio Canonicorum Regularium S. S. in suo Capitulo Generali eligit Priorem Generalem, & Visitatores Generales in Capitulo autem solus nihil facere potest, sed omnia cum Definitorio discutiuntur, vt constat in libro Constitut. cap.21. num.22. & cap.32. num.31. immò neque etiam in Capitulo Dictæ, ex cap.31. num.27. Res est certa.

Dubitatur tamen primò extrà Capitulum, quid agere possit se solo, nam aliqua illi expresè conceduntur, aliqua prohibentur, quid dicendum de illis casibus, super quibus nihil disponitur pèr constitutiones?

Secundò dicitur in cap.33. num.7. quod Generalis habet eamdem auctoritatem, quam habent cœteri Prælati Conuentuales, dubitatur hic, quomodò æquiparentur in potestate? An intelligatur, quod Generalis habeat auctoritatem eamdem in tota Congregatione, vt est vnum corpus, an verò etiam in singulis Conuentibus, non solum in secunda instantia, sed etiam in prima?

Tertiò, an Visitatores, si delinquant, possint puniri à præsenti Generali? ratio dubitandi est, quia in cap.33. num.21. dicitur, quod Visitatores delinquentes puniantur à Generali, & Visitatoribus subsequentibus.

Ad primum dico, Generalem infrà annum extrà Capitulum se solo posse agere, & habere potestatem super non disposita in casibus occurrentibus. Tum quia casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis, l. Commodissimè ff. de liber. & posth. l. Si extraneus 6. ff. de condit. caus. data, & casu omisso, ad ius antiquum recurritur, l. Si vero, §. De iure ff. solut. matr. si ergò Prior Generalis de iure communi habet potestatem super tali, & tali negotio, in eo adhuc durat hæc potestas, quæ regulanda est secundum ius commune, & id procedit in omnibus, nempe, lege, constitutionibus, statutis, & consuetudinibus, Tiraq. de iure primogen. q.40. num.194. Alex. lib.4. consil.123. num.21. Roman. consil.23. Anchar. consil.193. procedit, etiam si in casu omisso esset maior ratio disponendi, Cynus in l. quod fauore, C. de legib. Oldradus consil.142. cum Paponio consil.65. nu.25. Tum quia leges, & statuta singulos casus, qui occurrere possunt, præuidere nequeunt, vndè ad similia procedere debet, & ius dicere, l. Non possunt 11. ff. de legibus, cum autem casus prohibiti Generali in constitutionibus respectu eius personæ, & dignitatis dicantur odiosi, extendendi non sunt secun-

dum prohibitionem ad omissos, sed ad concessos, qui fauorem, & excellentiam Prælati supremi indicant, cum ex vulgatis iuribus odia sint restringenda, & fauores ampliandi. Tum quia si potestatem non haberet ad casus omissos, posset sequi absurdum, quod hic, & nunc non posset prouidere de remedio necessario suæ Congregationi, quod non est admittendum. Tum quia adest communis regula; concessum censetur, quod non est expresse prohibitum, cap. Sunt nonnulli 25. 16, q. 1. cap. Iam nunc 7. 28, q. 1. ibi: *Hoc non vetat Dominus*. l. Mutus, §. 1. ff. de procurat. Tum quia Generalis habet plenam facultatem in occurrentibus negotijs per seipsum, vel per vnum, aut plures Visitatores cap. 33, nu. 6. Quam non haberet, si esset limitata tantum ad expressa, & non includeret etiam casus omissos, cum plenum dicatur id, cui nihil deest, cap. Benè quidem dist. 90. cap. Si omnia, fine 6. q. 1.

Collige hinc, Generalem posse durante suo triennio facere ordinationes, & præcepta pro recto regimine totius congregationis, item indicere, vel declarare clausuram in hoc, vel illo Conuentu, & huius generis, quæ expresse sibi non prohibentur.

Ad secundum, Generalis eamdem habet potestatem, quam habent Prælati Conuentuales, tam collectiuè, quam distributiuè, idest non solum respectu totius Congregationis, vt est vnum corpus politicum, cuius ipse est caput, verum etiam respectu singulorum Conuentuum. Id alia ratione non probatur; nisi quia id clarè dicit Constitutio 33. num. 7. his verbis; *Volumus insupèr, Priorem Generalem, ex vi præsentis Constitutionis, eamdem auctoritatem, qua cæteri Prælati Conuentuales patiuntur, habere*. Generalis autem in potestate non æquipararetur cæteris Prælatis Conuentualibus, idest, omnibus, nisi eam haberet vtroque modo, nam illam habendo in Congregationem, vt vnum corpus, iam habet in omnia membra, quia corpus prætèr membra nihil est, ac proindè non tantum collectiuè, sed etiam distributiuè. Deindè, si haberet hanc potestatem tantum collectiuè, ordinando super totum corpus Congregationis, ita quod non posset aliquid facere supèr aliquem Conuentum specialem, iam Generalis non æquipararetur Prælato Conuentuali, qui aliquid disponere potest pro suo Conuentu. Ratio, quia omnis facultas ad quæcumque negotia dispersa in inferioribus Prælatis Generali subiectis, tamquam suo capiti, perfectiori modo reperitur collecta in ipsomet capite; à quo descendit in omnes inferiores officiales membra eiusdem capitis, sicut enim caput physicum influit in omnia membra suam virtutem, sinè quo operari non possunt, ita & caput morale suam virtutem communicat alijs sibi membris in eadem professione vnitis, vndè mirum non est, si Prior Generalis parem habet potestatem cum omnibus, & singulis Conuentualibus Prælatis ex hac Constitutione, quia id est conforme naturis rerum, tam naturalium, quàm moralium. Ergò Generalis ius habet supèr omnes causas etiam in prima instantia, contrà ius commune antiquum dicens, quod prima correctio est Abbatis, ex cap. Corripiantur 24. q. 3. cap. Ea, quæ, de statu Monach. cap. Quanto, de off. ordin. ibi gl. v. Si Prælati, & nouum Tridentini sess. 24. cap. 20.

cap. 20. vbi causæ omnes in prima instantia expediuntur coràm Ordinarijs locorum, quales sunt Prælati Conuentuum. Dico, Generalem habere ius supèr causas etiam in prima instantia, quia alitèr non haberet tantam potestatem, quantam habet Prælatus Conuentualis, qui omnes causas sui Conuentus expedire potest. Et quod Generalis possit ad se auocare omnes causas pendentes coràm Iudicibus localibus, ex professo docet Pasqual. decis. 57. quia Generalis habet immediatam iurisdictionem in subditos Prælatorum inferiorum. Ad opposita, in illis textibus non excluditur potestas Generalis, immò illis temporibus nondum in vsu erat Prelatus Generalis, ideò mirum non est, si prima correctio dicitur spectare ad Abbates, & Superiores locales. Ad Tridentinum dicimus, illius locum non comprehendere Regulares, Nauar. consil. 1. de off. deleg. Riccius part. 4. decis. 273. num. 7. cum alijs Barbosa ad c. 20. sess. 24. præcitatæ num. 9.

Ad tertium dico, Generalem posse punire Visitatores delinquentes, tàm ratione personæ, quàm officij. Ratio est; Tum quia non minus sunt subditi Generali, quàm omnes alij; nam cap. 20. Constit. initio dicitur, quod omnes huius Congregationis, cuiuscumq; sint dignitatis, status, gradus, aut conditionis, sint sub obedientia Capituli Generalis, Prioris Generalis, & Visitatoris, ergò ius habet Generalis præsens puniendi Visitatores. Tum quia, si præsens Generalis illos punire non posset, sequeretur, quod eorum delicta proptèr temporis diuturnitatem possent remanere impunita, contrà regulas iuris, l. Ita vulneratus, §. Quod si quis, ff. ad legem Aquil. cap. Est iniusta 23. q. 4. cap. Vt famæ 35. de sent. excom. tum quia maius sequeretur absurdum, quod subditus iniuriam, & iniustitiam passus, conquerens coràm Generali ab eo non posset recipere condignam satisfactionem, si non posset Visitator delinquens puniri, nisi à successore. Ad euitanda igitur huiusmodi absurda dicimus, eam Constitutionem expressam his verbis: *Si autem per Priorem Generalem, & Visitatores succedentes, qui præcedentium vestigia inquirere teneantur, inuentum fuerit, ipsum Priorem Generalem, aut Visitatores præcedentes, pratèr iustitiam aliquid fecisse, aut diligentèr officium suum non exercuisse, aut pœnitentias in Constitutionibus taxatas delinquentibus non imposuisse, illi etiam per eosdem Priorem Generalem, & Visitatores succedentes, tempore Capituli Generalis, aut Visitationis debita pœna puniantur.* Intelligendam esse de syndicatu, quem officiales in fine solent subire, reddendo rationem suæ administrationis, & regiminis, quòd non excludit, quin infrà id tempus possint puniri, si delinquant.

DECISIO CDXI.

An consuetudo inducta à Monialibus habendi, & exigendi liuellos per se ipsas extirpari possit ab Abbatissa?

Moniales ex instituto suæ Regulæ liuellos, & reditus earum nomine designatos exigebant per officialem, & in Communitate reponebantur, ita quòd Monialis nesciebat dicere, hoc est meum liuellum, hoc meum peculium. Centum ab hinc an-

nis huiusmodi liuelli immediatè exiguntur à Monialibus, & apud se retinent ad expendendum in vsibus sibi necessarijs. Abbatissa præsens cum nonnullis Monialibus non amplius vult hoc permittere, sed introducere obseruationem primi instituti. Maior pars Monialium huic suæ voluntati contradicit. Quæritur, an ius habeant, stante hac earum consuetudine contradicendi, ita quod ordinatio facta ab Abbatissa cum illis paucis Monialibus, nullius sit momenti, ac proindè tutæ sint in conscientia prosequendo exactionem liuellorum per seipsas, expendendo in proprios vsus, sicut antè faciebant.

Quamdiu Abbatissa tolerat huiusmodi vsum, certum est, Moniales recipiendos huiusmodi suos liuellos, & per seipsas illas expendentes in suis licitis necessitatibus, non esse proprietarias, si habent animum paratum renuntiandi illas ad nutum Abbatissæ, ratio est, quia illa persona Religiosa non est proprietaria, quæ contrectat, aut disponit, seu retinet ad suos honestos vsus aliquid de consensu expresso, vel tacito sui Superioris, vt docent omnes, cum Canon. in cap. Non dicatis 12. q. 1. & in cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. aliter agens contrà expressam voluntatem Superioris, proprietarius est, & in statu peccati mortalis, Sanch. lib. 7. cap. 19. initio, Nauarr. consil. 75. de regular. num. 49. quos ego citaui Resol. 43. nu. 19. Et in terminis, de liuellis Monialium Miranda qu. 9. de Monial. artic. 1. Corduba in summa, q. 54. Lezana tom. 1. cap. 25. à num. 7. quos pro se citat Tambur. de iure Abbatiss. disp. 8. q. 6. num. 4. Itaque omnes Doctores duo requirunt, vt Monialis sit secura in conscientia, primum quod Superiorissa tolerent consuetudinem; quod censetur facere, quandòcumque eam non reuocat expressè, quod facere potest quandòcumque voluerit etiam propria auctoritate, quia ab ea dependet tantum saluare Moniales à proprietate, per concessionem peculij, aut permittere eas reas per reuocationem concessionis iam factæ; neque propriè est consuetudo presse accepta, cum Moniales etiam Superiorissæ legem concedere non valeant. Secundum prioris probatiuum consistit in eo, quod Moniales sint corde suo paratæ relinquere illos ad nutum Abbatissæ, vel Superioris, ex cap. 2. sess. 25. Apparet ergò ex his, illam maiorem partem Monialium iure non posse resistere rectæ voluntati Abbatissæ, sed esse proprietarias, non obediendo illius voluntati. Obseruet Abbatissa, si ista consuetudo non est facta perniciosa, Monialibus non est malum eam tolerare, maximè, cum benè cognoscat, Moniales non esse benè affectas circà hanc reformationem. Si verò est perniciosa, vt quia Monachæ abutantur suis liuellis in vanis vestibus, vel donando sæcularibus, aut alijs carissimis, omninò debet illam extirpare, & Moniales tenentur obedire.

DECISIO CDXII.

Reliquiæ Sacræ an cedant rei venditæ in qua occultantur?

MVrator non potest sibi retinere capsulam Reliquiarum, in qua

qua sunt Reliquiæ Sanctæ Crucis, & Coronæ spineæ cum suo instrumento indicante suum Patronum, & causam depositionis, occultatam in quodam rudeto, seu aceruo lapidum cuiusdam Ecclesiæ à se emptum. Ratio est, Tum quia, cum Reliquiæ non sint capaces pretij, & venditionis, non veniunt tamquam accessorium sub principali venditum, ob hanc diuersitatem rationis, Alex. lib. 1. consil. 4. num. 5. Tuscus litt. A. consil. 76. nu. 36. & quia omninò sunt diuersâ, & separata, ex eisdem, & quia prætiosius, vt Reliquiæ, non sequitur principale, Thomaset. reg. 8. Barbosa Vaz lit. A. nu. 7. maximè in actibus connotantibus translationem dominij, quandò accessorium nullatenus cohæret, nec pertinet ad principale, à quo est diuisibile, Oldrad. consil. 121. num. 9. §. Quartò, Tuschus lit. A. conclus. 79. num. 2. & 3. Barbosa axiom. 4. nu. 11. Constat autem, Reliquias nullam coniunctionem, nullum respectum, aut proportionem accessorij habere ad illud rudetum, respectu cuius si quid haberent, consisteret in illo contractu, est autem manifestum, & indubitatum, Reliquias sub nullo contractu venire posse, l. Nemo C. de Sacrosf. Eccles. cap. 2. de Reliquijs, & Simoniacus, est venditos, Sylu. v. eodem, Bonac. q. 4. de simon. num. 8. Quarè cum iste murator non sit factus dominus illarum Reliquiarum ex illo contractu, eas sibi retinere non potest, alienum enim semper est restituendum. Tum quia illi non suffragatur parabola de thesauro abscondito in agro empto scienter ab homine, cuius fit non solum ager, sed etiam Thesaurus, secundum Euangelium, & referunt D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. Nauar. cap. 17. nu. 172. ad 176. Bonac. disp. 1. de Restitut. q. 3. p. 6. nu. 7. asserentes, etiam Thesaurum inuentum in alieno agro diuidi inter patronum, & inuentorem, licet inuentus sit intrà Ecclesiam. Ratio dispar est, nam Thesaurus est prætio æstimabilis, ideò transit sub dominio emptoris cum agro, seu alia re empta, non sic Reliquiæ Sanctorum, quæ sunt inuendibiles. Præterquamquod non omnis Thesaurus sit inuentoris, aut emptoris agri, seu alterius rei, sed ille tantum, cuius patronus pœnitus ignoratur, definitur enim Thesaurus aceruus pecuniæ, de cuius depositione, & patrono nulla prorsus extat memoria. In casu nostro extat authenticum instrumentum indicans, cuiusnam sint Reliquię, & qua ratione ibi depositæ fuerint, igitur omninò restituendæ sunt illi Prælato, qui nunc viuit successor deponentis dictas Reliquias, ita quod, nec Rector Ecclesiæ, in qua depositæ fuerunt ab extraneo Prælato, sibi eas retinere potest, sed omninò reddendę sunt verò successori.

Sed, an iste Murator nolens restituere inuentas Reliquias præter peccatum mortale, in quod incurrit post monitionem, reus sit excommunicationis, aut alterius pœnæ?

Certum est hoc peccatum esse Sacrilegium, cum sit ablatio rei Sacræ, ex cap. Quisquis 21. 16. q. 4. & iure ciuili violator sepulcri punitur, morte, relegatione, damnatione ad metallum, deportatione, pecunia, manus amputatione, attenta semper qualitate violationis, Lauor. titul. 2. de prisco, & recenti more funeral.

cap. 7. vbi leges, & Doctores citat.

Iure Canonico nullam inuenio pœnam ipso iure contrà huiusmodi ablatores, aut retinentes Reliquias, nam si aliquam incurrere deberent, maximè excommunicationem Bullæ Cœnę cōtrà vsurpantes iurisdictionem Ecclesiasticam, redditus, fructus, & prouentus pertinentes ad quascumque personas Ecclesiasticas: aut aliam Tridentini sess. 22. cap. 11. contrà vsurpantes, aut in proprios vsus conuertentes iurisdictionem, bona, census, iura, obuentiones Ecclesiarum, aut beneficiorum, tàm sæcularium, quàm Regularium, & aliorum locorum priorum, quæ in ministrorum, aut pauperum necessitates conuerti debent. Nam sub prædictis nominibus non veniunt Reliquiæ, cum non sint iurisdictio Ecclesiastica, nec bona temporalia, nec talia bona, quæ possint conuerti in necessitates Clericorum, & pauperum, cum non sint vendibiles, nec manducabiles.

DECISIO CDXIII.

An materia Ecclesiæ dirutæ vendi possit ad profanos vsus?

ABbas Sancti N. tuta conscientia potest vendere parietes destructos cuiusdam suæ Ecclesiæ cuidam Laico volenti perficere domum suam, quia in iure solum reperitur prohibita venditio lignorum, ca. Ligna 38. dist. 1. de consecr. *Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam; vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio Fratribus, in Laicorum verò vsum non debent admitti.* Glosa v. Profectum, dicit, non esse adhibenda in coquina, neque extrà Monasterium in vineis. Itaque prohibitio restringitur ad ligna, consequentèr saxa, & lapides conuerti possunt ad quemcumque vsum sine peccato.

DECISIO CDXIV.

An permutatione beneficiorum ipso iure vacent?

PArochus suum beneficium permutauit cum alio beneficio simplici, & obtinuit gratiam, atq; Ordinario transmissæ fuerunt Bullæ expeditæ in Curia Pontificis, hoc interim Parochus dubitat, an possit excipere Confessiones, quia putat, se non ampliùs esse Parochum, quia iam resignauit beneficium Parochiale, ex quo dicitur beneficium resignatum vacare, siuè resignatio sit simplex, idest facta sine respectu ad fauorem tertij, vt docent omnes sine vlla contradictione apud Paris. lib. 1. de resignat. benef. q. 4. alitèr non posset conferri, si non vacaret, sola enim beneficia vacantia conferuntur; siuè conditionalis, & ad fauorem tertij, vt in casu nostro permutatio, de communi apud prædictum Parisium num. 18. Quarè cum ille Sacerdos non ampliùs sit Parochus, sed Parochia, & beneficio priuatus, ac proindè careat non solùm titulo, & proprietate, sed etiam possessione naturali, & ciuili, vt docuerunt Host. Cardin. Abbas, Imola cum alijs in cap. Quod in dubijs, de renunt. alijs adductis à Paris. lib. 1. de resignat. q. 5. num. 15. non potest prosequi spirituale munus excipiendi confessiones, nisi aliàs habeat potestatem iurisdictionis delegatæ, nam ordinariam permutatione

per-

perdidit ex dictis, cum non ampliùs sit Parochus.

Prædictis tamen non obstantibus, ille Sacerdos adhuc est Parochus, & potest, ac debet prosequi munus suum, donec alter permutans fuerit immissus in possessionem beneficij permutati. Ratio est, quia, licèt id commune sit resignanti, tàm simplicitèr, quàm conditionatè, & ad fauorem tertij, vt in casu nostro, quod ipso iure perdit titulum, & proprietatem, atque etiam possessionem, tàm naturalem, quàm ciuilem resignans simplicitèr, qui tamen resignat, seu permutat in fauorem tertij, non perdit possessionem, sed eam sibi retinet, & conseruat vsq; ad illud tempus, quo alter apprehendit possessionem beneficij, vt docent Puteus lib. 3. decis. 158. Samen. de triennal. q. 24. Rebuff. de pacif. possess. num. 285. ex illis Paris. lib. 1. de resignat. q. 5. num. 37. ac proindè adhuc est verus Parochus quò ad huiusmodi onera, & fructus facit suos vsque ad punctum possessionis per alterum acquisitæ. Non sunt ergò audiendi, qui oppositum docuerunt, quàmvis doctissimi à plebe habeantur.

DECISIO CDXV.

An sit simonia, quod alter tantum redimat Bullas proprijs expensis?

COnueniunt duo Beneficiarij in permutatione beneficiorum, quod vnus eorum tantum faciat expensas pro expeditione ambarum Bullarum, & in supplicatione id non exprimunt, an id sit simoniacum? Videtur, quòd non, quia expensæ pro expeditione Bullarum non arguunt simoniam respectu eius, qui eas facit pro suo beneficio acquirendo, alitèr in Curia non acciperentur huiusmodi expensæ, ergò neque ille, qui vult ex pacto soluere omnes expensas, non enim est maior ratio de vno, quàm altero. Deindè Papa ipse non est simoniacus, cuius nomine Curia recipit expensas Bullarum, quarè dans erit simoniacus, non enim correlatiua debent ad imparia iudicari.

Dico nihilòminus, talem conuentionem esse simoniacam, quia resignatio, seu beneficiorum permutatio debet esse omninò libera sine vlla pactione, alitèr committitur simonia, cap. Cum pridem 4. de pactis, glos. in cap. Cum vniuersorum, de rerum permutat. In terminis nostris Puteus lib. 2. decis. 40. Nauar. consil. 1. de simon. n. 3. consil. 30. Paris. lib. 14. de resignat. q. 7. num. 1. & 9. Nec obstant supradicta, quia iustificantur per Apostolicam dispensationem, ideò enim omnia exprimi debent in supplicatione, vt euitetur crimen simoniæ, nam tunc Papa per suum rescriptum facit cessare omnem simoniam iure positiuo inductam, Host. in cap. 1. Ne Prælati vices; Ioannes Andr. in cap. 1. de simon. de communi Paris. lib. 14. de resignat. q. 3. num. 10. & 15. quæ tacentur, non carent vitio simoniæ, de necessitate exprimenda, vt euacuetur.

DECISIO CDXVI.

An Inquisitor præferatur Vicario Generali, & Capitulari?

PRæfertur. Tum quia delegatus Principis honorandus est, sicut delegans, gl. v. Delegandi, cap. Cum olim, de

de off.deleg.Sed inquisitor est delegatus Papæ, Vicarij verò vices gerunt Episcopi, & Capituli longè inferiorum Papæ, cui & subijciuntur. Tum quia Inquisitor est Iudex in causis fidei cõtrà vtrumq; Vicarium,nullo enim iure excipitur Vicarius, si in hæresim incidat, quin ab Inquisitore iudicetur. Tum quia Vicarius in Congregatione S.Officij postponitur Inquisitori, licet ibi sit vti vices gerens Episcopi, ergò simpliciter Vicarius postponitur. Si verò fiat Congregatio coràm Vicario ex officio Episcopali, seu Capituli, in quo velit interuenire Inquisitor extrà causas Sancti Officij, in qua Vicarius sit caput, & Inquisitor se habeat, vt consultor,vt Doctor, aut Theologus, tunc priorem locum tenet Vicarius, quia in hoc casu Vicarius huius Congregationis caput est, Inquisitor verò cum alijs Doctoribus membrum, ratione cuius non spectatur, vt Inquisitor,ideò cedit præcedentiam Vicario, nam quodlibet membrum eiusdem corporis politi,sicut & naturalis subijcitur, & postponitur capiti sui corporis.

DECISIO CDXVII.

An Regulares possint sibi construere oratoria sine licentia Episcopi?

Regulares,tàm mendicantes, quã non mendicantes non solum intrà sua Monasteria, verum etiam in villis suis possunt erigere oratoria intrà muros suarum Grangiarum,& domorum pro se,& suis colonis, benedicendo, & imponendo primum lapidem, & cætera faciendo, quæ sunt necessaria ad celebrandum, accepto lapide sacrato aliundè. Id autem habent non iure ordinario, sed ex priuilegio concesso Cælestinis per Cælestinum V. cuius Bulla ad verbum inseritur in Bulla 18. Eugen. IV. incip. *Ad decorem Sacræ Religionis*, apud Rodr. fol. 96. & refertur in Bullario Nouo illa Cęlestini incip. *Et si cunctos*. Prædicto autem priuilegio vti possunt etiam Mendicantes per communicationem priuilegiorum, quia capaces sunt talis benedictionis, cum non sit propriè actus Ordinis Episcopalis,sed competere possit,& delegari omnibus Sacerdotibus ex Pontificali,& Rituali. Obseruandum autem est, hoc priuilegium intelligi concessum sinè præiudicio Parochorum, ideò dixi, quod illa conficere possunt intrà ambitum domorum suarum, quia extrà, etiam in suis prædijs illa ædificare non possunt sinè licentia Episcopi,& Parochi,quia illis præiudicium infertur. Vide Tambur. tom. 1. disp. 22. in fine. Portel.v. Altare, Compend. Rodr. resolut. 9. num. 8.

DECISIO CDXVIII.

An Abbas titularis possit sibi eligere Confessarium?

Gregorius IX. relatus,cap.fin. de Pœnit.indulget priuilegium his verbis: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum,permittimus Episcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt,etiam prætèr sui Superioris licentiam,prouidum, & discretum sibi possint eligere Confessorem*. Episcopi igitur, Superiores maiores, & Prælati exempti possunt sibi eligere Confessorem; sed iste Abbas,

de

de quo petitur non est Episcopus, nec Superior, vt supponimus, neque Prælatus minor, cum nullis subditis præferatur, neque iurisdictionem aliquam habeat super subditos, cum istis careat, & æquiuocè tantum sit Abbas solo nomine, ergò non potest gaudere hoc priuilegio. Res est clara.

DECISIO CDXIX.

An casus reseruati sint respectu Monialium?

CAsuum reseruatio afficit etiam Moniales, si verba, quibus casus exprimitur, ita generalia sint, vt non excludant illas, probaui supra Decis. 212. Ratio est, tum quia reseruatio pertinet ad disciplinam Christianam, vt fideles retrahantur à peccatis, sed omnes, etiam Moniales indigent huiusmodi disciplina, ergò reseruatio afficit illas; tum quia Tridentinum sess. 14. cap. 7. & can. 11. definit, Episcopum habere ius reseruandi sibi casus, præscindo à subditis, ergò ius hoc respicit omnes personas vtriusque sexus, & status siuè sæcularis, siuè Regularis respectiuè, ac proindè reseruatio afficit Moniales. Tum quia reseruatio formalitèr, & immediatè est negatio iurisdictionis, vel eiusdem ademptio absoluendi à talibus peccatis, ac proindè consequentèr odiosa tàm Confessario, quàm pœnitenti, ergò afficit vtrumque. Tum quia Moniales se inuicem percutientes, vel Clericum, sunt excommunicatæ, & Papa indulget, quòd absoluantur ab Episcopo, c. De monialibus 33. de sent. excom. Ità tenent quos citaui ea Decis. 212. quibus adde Lupum de casibus Bergomen. par. 1. dist. 4. art. 1. difficul. 1. ad finem, Tambur. de iure Abbatiss. disp. 16. q. 8. vbi nu. 10. citat Homob. part. 3. Canon. resol. cap. 7. & 8. probantem, Moniales ob quemlibet excessum, etiam hæresis externo actu proditæ absolui posse ab Episcopo suo, vel Confessario de eius licentia, cum habeat iustum impedimentum adeundi Papam.

Dices, Confessarius non tenetur adire Superiorem pro obtinenda licentia absoluendi Monialem, cum hæc sit personalis obligatio pœnitentis, quasi in pœnam sui delicti, vt docet Sanch. lib. 2. cap. 13. nu. 14. quem pro se citat Tamburinus Iesuita in sua Methodo expeditæ Confessionis lib. 3. cap. 9. §. 4. nu. 17. vbi dicit, quod, si pœnitens non potest adire Superiorem, casus huic non est reseruatus, palàm autem est, Monialem non posse exire clausuram, vt adeat Episcopum pro absolutione, ergò respectu Monialium nullus casus est reseruatus, cum semper hoc habeant impedimentum.

Respondeo in hoc casu Confessarium teneri adire Superiorem, stante conditione clausuræ, & præcitati Doctores loquuntur in periculo, seu articulo mortis, quod potest absolui pœnitens, qui impeditur adire superiorem. Verum quidem est, quod Superiores deberent Confessario deputato conferre omnem suam potestatem quò ad forum animæ, ne confessio foret Monialibus odiosa, & Confessario onerosa. Pariter, si occurrat casus denuntiationis, debet Confessarius requisitus subire huiusmodi onus; quia ex officio suo debet

supplere ea, quæ spectarit ad hoc Sacramentum, quæ iure Moniales per se efficere nequeunt.

DECISIO CDXX.

An remotus à Prouincialatu, eodem anno promoueri possit ad aliud Officium?

RAtio dubitandi accipitur ex cap. 10. num. 49. Regulæ Minimorum vbi dicitur: *Ipsi verò Correctores locales, reuoluto sui Correctoriatus anno, semper ad minus per annum subiecti remaneant, nisi per ipsum Capitulum Prouinciale, vel Generale ad altiora officia nouiter eligerentur. Cæteri autem Superiores quicumque tanto saltem tempore, quantò illi prius Prælati extiterint, posteà subiecti manebunt, nisi etiam ipsi, vt præmittitur ad altiora officia de nouo eligerentur.* Casus accidit, quod quidam Prouincialis huius ordinis declaratus fuit incidisse in pœnas Simoniacis, & Ambientibus inflictas, ac proindè nullam, & inualidam fuisse electionem eius, demum à S. C. definitum fuisse, electionem quidem fuisse nullam, dictum vero Prouincialem, licet remotum, habere ius ad officia. Modò nonnulli prætendunt hunc in proximo Capitulo eligi non posse ad aliquod officium, cum non tantò tempore remanserit sine officio, quantò extitit Prælatus.

Respondeo iste Pater ius habet non solum ad altiora officia, sed etiam ad bassiora, vt ita dicam; probatur. Tum quia per quatuor menses extitit in prælatura, saltem putatiuè, & sine illa mansit per octo menses, nam electus fuit die 29. Septembris 1647. declaratus verò priuatus, & ab officio remotus die 29. Ianuarij 1648. à quo tempore vsque ad 30. Septembris interponuntur octo menses, ergò capax est electionis, cum non tantum, sed longè plus extiterit sinè prælatura, quam in ea remanserit ex supputatis. Tum quia electio nulla fuit, ergò reuera non dicitur mansisse in prælatura ex parte rei, ergò id illi non deberet obesse, quamuis aliàs plus extitisset Prælatus, quam Subditus, aliquid enim esse nullum, & inualidum idem est, ac non esse, l. Duo sunt ff. de testam. tut. Tum quia, quod nullum est, præiudicium non affert, l. 1. §. Hæc autem verba, ff. Quod quisque iuris. Electio autem prædicta fuit nulla, ergò non potuit præiudicare huic Religioso in hoc Capitulo. Tum quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur suum effectum, reg. 52. in 6. exemplificant in proposito, nam electionem secundam non impedit prior, quæ nulla fuit, licet etiam non fuerit cassata, cap. Auditis, de elect. Tum quia nullum quod est, nullum effectum producere potest, l. 4. §. Condemnatum ff. de re iud. glos. v. Irritandam cap. 29. de elect. & ita tenendum.

DECISIO CDXXI.

An Confratres nolentes Parochum exercere iura Parochialia in Oratorio subiecto incurrant pœnam?

QVidam Confratres nolunt Parochum fungi suo officio iuris Parochialis in suo Oratorio sito intrà Parochiam, & nullum habent priuilegium

gium à Sede Apostolica, certè isti incurrunt excommunicationem decimam septimam Bullæ Cœnæ Domini inflictam contrà vsurpantes iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus spectantes ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum, intellige prætenso iure quasi ad se pertineant, Nauarr. cap.27. nu.21. Caiet. Excom.5. c.27. Bonac. disp.1. q.18. p.2. sed isti Confratres nolentes, quod Parochus fungatur suo officio in Oratorio sito in sua Parochia, sibi vsurpant iurisdictionem, & prouentus sibi obuenientes ratione beneficij Parochialis, vt notum est, ergò incurrunt dictam excommunicationem. Quod Ecclesia Parochialis habeat intentionem fundatam de iure communi super omnibus Ecclesijs, oratorijs, decimis, & prouentibus intrà suam Parochiam, colligitur ex cap. Ecclesiæ 43. cap. Quicumque 44. 16. q.1. cap. Ad audientiam 3. de Eccles. ædif. Canon. locis citatis, & in cap. Pastoralis, de ijs, quæ fiunt, & in Rubr. de Paroch.

DECISIO CDXXII.

An sollicitatio in Confessionali, sed extrà Confessionem, etiam non simulatam, sit denuntianda?

Confessarius, & fœmina ex condicto, sine vlla intentione Sacramenti Pœnitentiæ, omni exclusa simulatione sollicitantes se in Confessionali non sunt rei Bullæ Gregorij XV. quod probatur, tum quia hic nullus est Sacramenti abusus, cum nulla sit intentio ergà hoc Sacramentum, nec expressè, nec virtualiter, cum vsquequàque excludatur Confessio tàm vera, quàm simulata, ergò Confessarius denuntiandus non est. Tum quia extrà occasionem Confessionis in quouis loco, vt Confessarius fiat reus huius Bullæ, necessaria est simulatio Confessionis, vt colligitur ex verbis Bullæ istis. *Siue extrà occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire.* Nam hæc vltima particula: *Simulantes ibidem Confessiones audire*, refertur ad quemcumque locum, siue sit Confessionale ordinarium, siue deputatum, & electum pro Confessione, vt probatur, tum ex generali Regula: quod clausula vltimo loco posita refertur ad omnia præcedentia, cap. Secundo requiris 41. de appellat. cap. Inquisitioni 71. eod. Tum quia dictio *ibidem*, refertur ad quemcumque locum, vbi Confessiones audiuntur, siue ibi sit Confessionale, siue non, non enim attenditur locus materialis, sed formalis exercitij Confessionis, siue realis, siue simulatæ. Tum quia regulantur ab eodem verbo audire, ergò æqualis dispositio simulationis in omnib. Quomodò simuletur Confessio, dixi decis. 366.

DECISIO CDXXIII.

An Missa Rosarij, Carmeli, &c. possit dici à quolibet Sacerdote?

Missa propria Rosarij, S. Mariæ de Carmine, & similius concessæ

cessæ Regularibus possunt celebrari, etiam à Sacerdotibus, qui tamen inseruiunt Monialibus eorumdem Ordinū, quibus illæ speciales Missæ concessæ fuerunt; probatur: tum quia magnum absurdum sequitur, quod nimirum Moniales Episcopis subiectæ sint perpetuò priuatæ auditione Missarum proprij Ordinis, si non possunt dici à suis Sacerdotibus sæcularibus deputatis ab Episcopo, qui non tenetur illis concedere Religiosum sui Ordinis, vt eam Missam audire possint, ne ergò sequatur hoc absurdum, dicendum est, Sacerdotem sæcularem deputatum posse celebrare, & dicere Missam propriam de Rosario. Tum quia huiusmodi Missæ adnexum habent priuilegium liberandi animam à Purgatorio, nulla ratio suadet, quod hoc priuilegio priuentur, quo vti possunt etiam sæculares audiendo Missam habentem dictum priuilegium. Tum quia Moniales, etiam subiectæ Episcopo, gaudent priuilegijs concessis viris Regularibus sui Ordinis, vt multis probaui resol. 52. q. 24. num. 69. ergò & hoc audiendi Missas proprias in suis Ecclesijs, ac proindè dicendas à suis Capellanis sæcularibus. Tum quia Moniales canunt per suum Confessarium sæcularem Missas, quandò occurrunt festa Sanctorum sui Ordinis, ergò Missa cantanda est conformis Diuino Officio, vt tradit Rubrica Missalis, ac proindè, sicut Moniales recitarunt Diuinum Officium proprium sui Ordinis, ita illi correspōdere debet Missa propria Ordinis à Sacerdote sæculari cantanda. Nec his obstat Responsum S. C. quia respondetur loqui de illis Sacerdotibus, qui nōn inseruiunt Monialibus celebrantibus extrà illarum Ecclesias. Neque his contrarium dixi resolut. 25. num. 24. Vide suprà Decis. 142.

DECISIO CDXXIV.

An acta Congregationis non vocatis Prioribus valeant?

AD Congregationem, quæ solet fieri singulis annis biennijs intermediante Capitulo, singulo quoque triennio, de iure accedunt cum Prouinciali quatuor Definitores, cum Discreto Prouinciali, nullis fuit intimata Prioribus, sed tantùm admoniti fuerunt Vocales; non obstante admonitionis omissione, acta in illa suum obtinuerunt valorem, & firmitatem, constat ex eo; tum quia in cap. 2. Regulæ nihil dicitur de intimatione, aut admonitione faciendis Prioribus, ergò eius omissio non potest obesse actibus Congregationis. Tum quia nullus potest accedere ad Congregationem, nisi illi, qui in ea vocem habent, & solum isti vocandi sunt, sed Priores nullam vocem habent in Congregationibus, ergò, si non vocantur, irrita non fiunt acta in illa, non enim dicuntur contemni, qui vocem non habent, si non vocentur.

DECISIO CDXXV.

An Definitor Generalis in Congregationibus intermedijs vocem habeat?

REspōdetur negatiuè, vt clarè colligitur ex Bulla Clementis VIII. incip. *Decet Romanum*, in Bullario nostri Ordinis ibi: *In electione verò nouorum*

rum Prouincialium, Custodum, & Definitorum Prouincialium in Capitulis Prouincialibus facienda, Prouinciales præteriti, Discreti Prouinciales, Priores, & Discreti Conuentuum, nec non Definitores Generales actuales, ac demùm Procurator Generalis tunc existens vota habeant. Ad Priorum verò, & Discreti Prouincialis electionem, Prouincialis, & quattuor Definitores Prouinciales tantùm procedant. Vocem ergò habent tantùm in Capitulo Prouinciali, & in primo actu electionis, non in secundo, in quo eliguntur Priores, siuè id fiat in Capitulo, in quo eliguntur Prouincialis, Discretus, & Custos ad Capitulum Generale, siuè in Congregatione, in qua solùm Priores eliguntur, quæ non dicitur Capitulum, & in ea votum non habet Definitor Generalis, cum excludatur per dictionem, *tantùm*, quæ est inclusiua expressorum, & exclusiua non expressorum, l. Qui sella, §. Qui actum, ff. de seruit. rustic. præd. ex allegatis à Barbosa super hac dict. 401. num. 2.

DECISIO CDXXVI.

An Canonici Cathedralis funus persoluant intrà Ecclesiam Regularem, vbi sepelitur Concanonicus?

Canonici non possunt persoluere funus, siue sit Canonici, siue alterius personæ magni nominis, intrà Ecclesiam Regularem. Probatur; tum quia Canonici, seu eius Capitulum in casu præsenti iure Parochiali vtitur, vt patet, nam actus funerandi spectat ad ius Parochiale, gl. v. Parochialibus, ca. Quia ex eo 3. de pactis siquidem ius sepulturæ competit Ecclesię Parochiali, ex eo, quod talis est, ex allegatis per Canon. in tit. de Paroch. & Sepult. ergò eodem iure censeri debet, quo cæteri Parochi, cum quibus spectatur in eodem munere; sed cęteri Parochi non possunt intrà Ecclesias Regulares funus perficere, vt decisum retuli resol. 51. q. 26. & q. 72. quia in eorum Ecclesijs, cum sint exemptæ, nulli actus Parochiales, seu iurisdictionis ab extraneis exerceri possunt, ergò neq; Canonici hoc idem præstare valent. Tum quia Ecclesiæ Regularium æqualitèr exemptæ sunt contrà quoslibet Clericos sæculares, etiam Episcopum, qui intrà illas nullum iurisdictionis actum exercere potest, cap. Luminoso 6. 17. q. 2. cap. Nimis 16. de excessib. Prælat. vbi agitur de funeribus, & alijs, ergò si Episcopus non potest vti aliquo actu iurisdictionis intrà Ecclesias Regulares, multò minus id præstare possunt Canonici, qui illius membra esse dicuntur. Tum quia Canonici per accidens, & quia volunt, vtuntur iuribus Parochialibus, sed hoc Parochus exercet per se, & non per accidens, ideò tamen non potest hoc pręstare intrà Ecclesias Regulares; ergò multò minus Canonici, qui nullum signum, nullam speciem habent Parochi. Tum quia Canonicus mortuus non ampliùs est Canonicus, sed cadauer sub potestate Ecclesiæ Regularis, ergò ab eius Religiosis spiritualitèr curandum, & non à Canonicis. Rem declaratam referunt Peyrin. Bulla 2. Iulij II. §. 21. num. 57. Compend. priuileg. Theat. v. Sepultura in Schol. ex illis Lucima Regul. v. Officium num. 13.

DE-

DECISIO CDXXVII.

An prohiberi possit delatio Crucis in processionibus?

EPiscopi per Edictum, seu in suis Synodis non possunt prohibere Regularibus delationem Crucis in processionibus, tum viuorum, tum mortuorum, cum qua anteà solebant procedere. Probatur; Tum quia Regulares habent à Papa ius, & priuilegium erigendi Crucem in quibuslibet processionibus, quod & in praxi manifestum apparet; quibus per Episcopos in suis Edictis, seu Synodis derogari non potest, vt omnes concedunt, cum Episcopi non sint suprà Papam. Tum quia absurdum est, Religiosos collegialitèr exire sine Cruce, tamquam eorum duce, & ductore. Tum quia per Crucem distinguuntur ab extraneis. Tum quia, si non deferrent propriam Crucem, sequeretur magna confusio intèr Religiosos, Clericos, & Confratres mixtim incedentes. Optimum igitur est, vt vnusquisq; incedat sub propria Cruce.

DECISIO CDXXVIII.

An de S. Rocho in omnibus Ecclesijs fieri possit?

ANsam dubitandi nonnullis dedit id quod refert Barbosa in suis Decis. Apost. Collect. 356. v. Festa propria num. 26. inhęrentibus cortici verborum sequentium: *Et huius Sancti Officium, & Missa de communi Confessoris, non Pontificis conceditur tantùm in ijs locis, vbi adsunt Ecclesiæ in eius honorem ædificatæ, & seruatis Rubricis Breuiarij. Eadem S. C. Rituum sub die 30. Iulij 1629. refert Cartellin. de dilatione Canon. Sanct. pag.* 81. Sed non est firmanda mens legentis in cortice verborum, cum verba non sint intelligenda, secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis, cap. Intelligentia 6. cap. Propterea & cap. In ijs 15. de verb. signif. quæ talis est, vt de S. Rocho non possit fieri officium, nisi in illis Ecclesijs, quæ suo nomini sunt dicatæ, vt refert Gauantus ad diem 15. Augusti his verbis; *Sacra Rituum Congregatio censuit concedendam esse Missam, & Officium in eius die festo, in Ecclesijs dumtaxat, & Eremitorijs habentibus requisita Ecclesiarum in honorem eiusdem Deo dicatis, non extrà dicta loca die 26. Nouembris 1629.* Et id est conforme Decretis annexis Breuiario Romano ibi: *Item vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel Diœcesim, etiam de cuiuscumq; Ordinarij auctoritate Festum cum Officio, eò quòd in loco adsit Ecclesia, &c.* Manifestum igitur est, Officium S. Rochi celebrari posse tantum in Ecclesijs eius nomini dicatis.

DECISIO CDXXIX.

Cuinam crescat, aut decrescat valor pecuniæ?

IN deposito, & locatione pecuniæ incrementum, aut decrementum spectat ad deponentem, & locantem, seu commodantem illam ad ostentationem, seu, vt aiunt, ad monstram, nisi depositum fiat ad purgandam morã, quia, tunc erit creditoris, vel, nisi transierit in naturam mutui, in quo pecunia crescit, & decręscit mutuatario; sicut

Sicut, & in censu in Societate vtrique crescit, aut decrescit.

Primum respectu Depositi, & Locati clarum est ex illo communi axiomate. Res domino suo stat, aut cadit, desumptum ex D. Paulo 14. ad Roman. 4. nam eadem numero pecunia remanet, & solum variatur valor, ergò mutatio hæc spectat ad eum, qui dominus est, nempè ad deponentem, & locantem. Si depositum transit in naturam mutui, vt, quandò numeratur indigenti, vel mercatori, non tantum, vt sciatur numerus pecuniæ, sed, vt ea vti possit, in hoc casu incrementum, & decrementum attinet ad mutuatarium, vt mox probatur. In deposito ad purgandam moram est creditoris, quia pecunia est creditoris, ergò illi stare, aut cadere debet, & non deponenti, qui per depositum perdit dominium, quod super illam habebat.

Secundum respectu mutui, & census probatur. Tum ex dicto axiomate, quod res perit, aut stat domino suo, mutuatarius autem est dominus pecuniæ acceptæ, vt constat ex nominis etimologia, Mutuum enim dicitur de suo meum. Tum quia in censu Censuarius est venditor rei suæ, super qua fundatur census, recepta pecuniæ summa, quam facit suam, sicut quilibet alius venditor, ergò & suum facit valorem pecuniæ, crescentis, vel decrescentis. Solutio igitur facienda est iuxtà valorem monetæ tempore initi contractus, non tempore solutionis, ita quod monetæ mutatio, seu alteratio non habet nocere, neque prodesse creditori, vt docent communitèr cum Angelo v. Solutio nu.2. ibi Syluester. Bonac. de Mutuo p.3. num.22. ne aliquid supra sortem recipiat. Megal. de contract. lib.2.cap.7. num.109. §. Si vero. Layman lib.3.sect.V.tract.3. par.1.cap.5. num.15.

Tertium respectu Societatis probatur, tum quia id videtur colligi ex Bulla *Detestabilis* 45. Sixti V. ibi: *Si verò finita Societate ipsum capitulo extat, ei, qui illud in Societatem contulit restituat, nisi &c. Ac prætereà ipsi contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & iustum fuerit, sibi communicent, atq; diuidant.* In restitutione ergò capitalis ex æquo diuidendum est, quod est super capitale reliquum, consequentèr augmentum monetæ, quò ad valorem. Tum quia licet pecunia ex se sit infructifera, & sterilis, Farin. part.1. decis.331. nu.2. Ciriacus controu.540. num.10. tamen fructus parit ex auctoritate Principis, seu ex hominum vsu ab illo non reprobato, ergò is diuidendus est inter socios, sicut & vterque debet æquale pati damnum ex eius diminutione. Tum quia vnus locupletaretur in detrimentum alterius contrà iura Societatis, quæ æqualitatem in omnibus postulat. Vide Bonac. p.3. de Societ. num.11. negántem posse apponentem sibi retinere augmentum pecuniç capitalis.

DECISIO CDXXX.

An sequentia verba inferant iniuriam?

QVidam Religiosus, nõ Superior, in alterum protulit huiusmodi verba: *Doureſti viuere da Religioso.*

Non

Non vi lasciate venire in camera questi bardasse; che vi robbano. Explicando se: *Non di vitio*. An hæc verba dicenda sint iniuriosa, & patiens agere possit actione iniuriarum? In vtroque casu excludi potest iniuria, in primo quidem, quia illa locutio est potius modus corrigendi, quam iniuriandi, quandò reuera notum est, Religiosum non viuere Regulariter, vt in casu nostro, in quo constat, N. raro accedere ad chorum, vagari cum personis parum bonis, & cum sæcularibus ludere, meritò igitur reprehensus fuit sine vlla iniuria. In secundo suadetur ex definitione, & requisitis ad iniuriam, nam iniuria sunt omnia verba contrà bonos mores sine causa prolata contrà proximum, vt dixerunt Roman. cons.183. num.2.Farin. in praxi q.107.num.22. Grammat. decis.14. nu.9. vndè ille dicitur fauere iniuriam, qui habet animum infamandi, qualis est ille, qui non habet iustam causam obloquendi, l. Si quidem, l.3. C. de iniur. cap. Ex merito, cap. Deteriores 6. q.1. ac proindè qui scit se facere iniuriam, l. Illud 2. 15. q.1. Menoch. lib.5. de præsumpt.40. num.32. cum alijs Mar. Anton. lib.3.resol.1.nu.57. Sed iste Religiosus per ea verba, vt se declarauit, non intendebat iniuriam facere N. sed ea protulit, vt remoueret inconuenientia, & pericula, quæ accidere poterant; nam illi iuuenes passim comestibilia, & alia pro communitate reposita, auferebant, & consumebant; consequenter habebat aliqualem causam conquerendi, & sufficientèr exclusit iniuriam protestando, se non taxare iuuenes de aliquo vitio, sed vsus fuit illis verbis, quibus parentes etiam, licet indiscretè, vti solent, cum indignantur contrà proprios filios propter aliquas leuitates, quas faciunt. Et his partes acquieuerunt.

DECISIO CDXXXI.

An Ordinarius exigere possit iuramentum à Superiore Regulari super ætate, & bonitate Sacerdoti præsentati?

QVidam Ordinarius prætendebat cogere quemdam Superiorem Regularem ad iurandum iuridicè ab eo interrogatum super ætate, & probitate morum sui Sacerdotis, quem volebat illi præsentare pro examine ad Confessiones sæcularium audiendas. Responsum fuit, id nullatenus facere posse. Tum quia id à sæculo nunquam auditum fuit, & tàmquam nouum, non est congruum, nec laudabile, quia nouitates solent generare discordias, cap. Cum consuetudinis 9. de consuet. Tum quia ab antiqua practica non est recedendum, vt dixit Baldus in l. Illud ff. de excusat. tutor. Anchar. in consil.177. praxis autem Ordinariorum vsque modò fuit examinare Sacerdotes præsentatos sine iuramento, ergò eadem deinceps seruanda est. Tum quia huiusmodi obligatio iurandi non præscribitur in Clem. Dudum, de sepult. neque in Tridentino sess.23. cap.15. vbi duo solum statuuntur, examen, & approbatio in ordine ad examen, ergò hæc duo sufficiunt, si enim legislator iudicasset necessarium huiusmodi iuramentum, sicut præcepit examen, illud expressisset, vndè intrà

illud

illud axioma;Lex si aliud voluisset,expressisset,l.Vn.§.Sin autem, C. de caduc.toll.l. Si seruus, §.Prætor ait,Vers. Non dixit, ff. de acquir. hæred. Lex enim aliquid noluisse præsumitur,si facilè potuit illud exprimere, & non expressit,Barbosa Vaz.lit.L. num.32. iuribus,& Doctoribus citatis. Patet ergò,id lege non concedi Episcopis super Regulares exemptos ab eis. Tum quia nulla ratio suadet exactionem huius iuramenti, siquidem generarentur ex eo discordiæ,& rixæ inter Superiorem,& subditum,cum agatur de reuelandis defectibus subditorum,quod quisque ægrè fert. Tum quia Episcopus satis abundè, & prudentèr fungitur suo officio per examen approbandi,ad eum enim non spectat inquirere de vita,& moribus præsentatorum,sed tantùm ad præsentantem, vt disertis verbis dicitur in præcitata Clementina. Tum quia deferre iuramentum est actus iurisdictionis, Abbas in cap. Si qui testium 8. de testibus; Ordinarius autem, licet habeat iurisdictionē supèr præsentatos pro confessionibus sęcularium ad illos examinandos,eam tamen non habet super præsentantes, nec præsentatos,quò ad iuramentum, quia id non exprimitur;nec delatio iuramenti aliquam connexionem, aut accessionem habet ad examen huiusmodi ex natura negotij, cum de eo nō fiat mentio,& hactenus sine aliquo iuramento fuerint examinati, & sicut antè Tridentinū Episcopi nullum ius habebant examinandi Regulares pro confessionibus, quia id illis expresè concessum fuit per Tridentinum, ita neq; ius habent petendi hoc iuramentum, cùm nondum expressum id fuerit in aliquo iure; manutenendi ergò sunt Religiosi in sua exemptione quò ad hoc. Demùm quò ad ætatem frustrà petitur iuramentum, cum exhibitione fidei baptismalis de ea constare possit.

DECISIO CDXXXII.

An Ecclesia consecrata, polluta sede vacante, reconciliari possit per aquam benedictam?

CONstat de iure Ecclesiam consecratam,si polluatur,reconciliandam esse per Episcopum, adhibita aqua naturali admixta cinere, & vino ab eo benedicta, non autem præstari posse per simplicem Sacerdotem, cui id committi non potest ab Episcopo, cum sit actus Ordinis Episcopalis, ita colligitur ex cap.Proposuisti 4.cap.Aqua 9. de consecr. Eccles. Si verò Ecclesia est tantum benedicta, reconciliari potest per simplicem Sacerdotem delegatum ab Episcopo,vt dicitur in Rituali Romano Pauli V. vbi paulò inferiùs de consecrata dicit; *Simplex Sacerdos tantum ex priuilegio Sedis Apostolicę potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare cum aqua ab Episcopo benedictam*. Itaq; duplici modo recōciliatur Ecclesia violata, aqua simplici benedicta, vel admixta cinere,& vino,ista benedictio est actus Ordinis,illa iurisdictionis. Et si de vtraque non fiat mentio in citatis capitibus,colligitur tamen ex Rituali.

Regulares Superiores habent priuilegium reconciliandi suas Ecclesias benedictas tantum, si sint pollutæ,per simplicem aquam à se benedictam; consecratas verò possunt paritèr per eamdem aquam; quandò Episcopus

 renuit,

renuit, aut distat per quadraginta milliaria, infrà verò id spatium debent accipere aquam ab Episcopo benedictã. Ita Rodr. tom.1.q.19.art.6. cum eo Portellus v.Ecclesia, Mirand. tom.2.q. 36.art.8.Tambur.tom.1.disp.23.q.10. & alij omnes.

Colligo ex his, Vicarium Generalem Capituli posse delegare hanc potestatem cuilibet Sacerdoti reconciliandi Ecclesiam consecratã cum simplici aqua benedicta. Tum quia is non est actus ordinis, sed iurisdictionis ordinariæ Episcopi, in quam succedit Capitulum sede vacante. Tum quia huiusmodi reconciliatio simplex non obstat Ecclesiæ consecratæ, vt patet ex citatis priuilegijs, sed multum illi congruit, & producit eumdem effectum, quem reconciliatio mixta; Tum quia sicut distantia locorum magna permittit aliàs prohibitum, l. Hæres absens, ff. de iudic. ita & mors, quæ arguit infinitam distantiam inter Superiorem, & subditos, rationabilitèr permittet, Ecclesiam consecratam, si polluatur, posse reconciliari per simplicem aquam benedictam. Tum quia non est maior violatio contrà vnam, quàm alteram Ecclesiam, ergò qualibet Ecclesia, siue benedicta, siue consecrata reconciliari potest vtroq; modo, & licet vnicuique assignetur propria forma reconciliandi, id tamen non est de necessitate medij, sed tantum præcepti, quod cessat in casu præsenti, quia necessitas non est subiecta legi, cap. Quantò 4. de consuet. & necessitate, aliàs illicitum, fit licitum, c. Quod non 4. de reg. iur. & necessitate illarum culpabile non est, cap. Ad limina 7.30. q.1. Igitur Vicarius sine scrupulo potest mandare huiusmodi reconciliationem. Ita tenet Bonac. in addit. ad primum tomum.

DECISIO CDXXXIII.

An Legatus à Latere possit approbare Confessarios?

NOn potest; probatur. Tum quia id munus spectat ad Episcopum ex Trident. sess. 23. cap. 15. ibi: *Ab Episcopis per examen*, ergò non ad Legatum. Tum quia id officium spectat ad habentes curam animarum cum potestate Episcopali, vel quasi, vt colligitur ex dispositione Tridentini, quæ ordinatur ad salutem animarum; sed Legatus non remittitur, tamquam curator, & pastor ouium, sed præcipuè, vt gubernet in temporalibus magis, quã in spiritualibus, cum eius potestas tendat ad forum contentiosum magis, quàm ad voluntariũ. Tum quia, quandò alicui ex officio est aliquid expressè commissum, censentur exclusi alij, quibus illud tale non fuit expressè cõcessum, quia lex sufficientèr prouidit. Tum quia Legatus quædam specialia non potest, nisi illi expressè sint concessa, arg. cap. Quod translationem 4. de off. leg. ibi: *Ad ea tamen sine speciali mandato nostro non debuisti manum extendere*. Tum quia Legatus iurisdictionem Episcopi non debet eneruare, neque confundere, ca. Peruenit 39. 11. q. 1. neque turbare, vt inquit Trident. sess. 24. cap. 20. ergò neque potest examinare, aut approbare Confessarios, id enim est turbare eius iurisdictionem, ad Episcopum enim, non ad Legatum spectat habere curam animarum, & prouidere illis de Confessarijs. Tum quia id est eximere Sacerdotes

dotes à iurisdictione Episcopi, quò ad examen, & approbationem, quod efficere non potest, nam eximere aliquem à suo Ordinario est contrà ius commune, quod facere non potest Legatus, ex allegatis à Ciarlinio cap.125. nu.77. Tum quia examinare, & approbare Confessarios est propriè munus Ordinarij; sed Legatus à latere, licet dicatur Ordinarius, gl. in cap.2. de off. legati v. Reputantes, tamen talis non est respectu huius muneris, cum non sit missus ad curam præcisè animarum, respectu cuius potius extraordinarius diceretur, vt dicitur quatenus confert beneficia ex allegatis à Gonzal. super Reg.8. Cancell. gl.21. ad finem. Tum quia sequeretur, quod Episcopus iusta exigente causa non posset facere reuocationem generalem Confessariorum. Tum quia Confessarij Legati non tenerentur casibus Episcopalibus, cum non essent Confessarij Episcopales. Tum quia cum ex officio non incumbat Legato habere curam animarum, si ius habet approbandi Confessarios, id erit illi priuilegium à Papa specialitèr concessum, de quo tamen non constat, ergò nullum ius habet circa Confessarios.

Naldus v. Legatus num.8. dicit, Legatum à latere comprehendi sub nomine proprij Sacerdotis iuxta cap. Omnis, de Pœnit. ac proindè excipere Confessiones, & alijs id munus committere, & hoc ex natura, & officio suæ legationis, & quod sit proprius Sacerdos eorum, quibus præest, probat auctoritate quamplurium. Sed aliud est, esse proprium Sacerdotem, aliud approbare Sacerdotes in Confessarios, licet enim antiquitus proprius Sacerdos posset etiam per alium excipere Confessiones, modò post Tridentinum huiusmodi commissio spectat tantum ad Episcopos, ita quod, nec Episcopus potest confiteri simplici Sacerdoti, nisi illum prius iudicet idoneum, & approbet pro se, vt non semel decisum fuit, itaque verum est hoc antecedens: Legatus est proprius Sacerdos in sua legatione, ergò potest munus excipiendi Confessiones alijs simplicib. Sacerdotibus committere; negatur consequentia in terminis Tridentini, licet antè fuisset vera; vndè, licet concedatur dictis Doctoribus, quod Legatus ex officio sit proprius Sacerdos, quod ego non concedo, ex superius adductis, adhuc ex officio suo ius non habet approbandi Confessarios, cum sint diuersa, ex quibus non infertur, ex vulgatis iuribus.

Probat secundò, quia non solum habet potestatem ordinariam, sed maiorem Episcopis ex Abbate in cap. Cum in iure, de off. deleg. & in cap. de transact. num.5. fine, & potest ea omnia, quæ non sunt reseruata Papæ in signum specialis priuilegij; pariter nec tantum est superior in casibus appellationis, vt Archiepiscopus, sed etiam in casibus simplicis querelæ ex eodem Abbate. Sed respondetur, Legatum habere maiorem potestatem, non simplicitèr, sed respectiuè ad ea, quæ Episcopis non competunt, aut non conceduntur, maioritas igitur attenditur respectiuè ad priuilegia, quæ Papa concedit Legatis à latere; non constat autem Legatos habere priuilegium approbandi Confessarios. Deindè patet,

examinationem Confessariorum factam per Legatum, inducere exemptionem in eosdem Confessarios, qui ex hoc non subijciuntur suo Episcopo, quæ exemptio est reseruata Papæ, gl. v. Reseruata cap.4. de offic. legati. Insuper Legatus adiri non potest per simplicem quærelam, nec auocare à se causas, nisi per viam appellationis, ex Domin. in cap. Romana, de foro compet. in 6. Gammar. de off. legati lib.8. nu.16. & 17. expressius in Trident. sess.22. cap.7. vbi innouatur constitutio Innoc. IV. relata cap. Romana, de appellat. in 6. & mandatur obseruari; & in sess.24. cap.20. dicitur, quod causæ omnes in prima instantia expediantur ab Ordinarijs, quos non possunt Legati etiam à latere impedire, aut eorum iurisdictionem præripere, aut turbare, nisi Episcopo prius requisito; & negligente, aliter acta nullius sunt momenti. Eccè potestas limitata Legatis, quatenus turbatiua est potestatis Episcopalis.

Confirmat Naldus, quia Legatus, cum sit proprius Sacerdos, quemcumque absoluere potest, non solum à peccatis nondum reseruatis, sed etiam posita reseruatione, per quam illi non aufertur potestas, quam antè habebat, cum minor non possit auferre potestatem maiori, qualis est Legatus suprà Episcopum, valdè enim indignum esset, si Legatus deberet impetrare licentiam ab Episcopo absoluendi Ligatum casibus reseruatis. Respondetur, Legatum non ex officio, sed ex priuilegio dici proprium Sacerdotem, non ex titulo suæ legationis, cum possit dari Legatus nondum Sacerdos, & continuari in officio sine Sacerdotio; si tamen sit Sacerdos, absoluet à quibuscumque peccatis, quia reseruatio dirigitur ad subditos Episcopi, cui non est subiectus Legatus. Neque indè colligitur, Legatum approbare posse Confessarios, ex dictis, siquidem id munus non spectat ad Sacerdotem proprium, sed ad Episcopum, vt dicitur sess.14. cap.7. & can.14.

DECISIO CDXXXIV.

An absolutio à reseruatis data per Ordinarium suffragetur pro foro externo?

SVffragatur: pro cuius probatione sciendum est, quod in iure aliqui exprimuntur casus, in quibus excommunicati propter percussionem Clerici, (quod idem dicitur de alijs censuris Papæ reseruatis) possunt absolui ab Episcopo, qui sunt mortis articulus, infirmitas, inimicitia, paupertas, impubertas, seu etiam pueritia, senectus, sexus fœmineus, Monialis, religiosus, & huiusmodi impedimenta, per quæ excommunicatus impeditur legitimè, & non potest ire Romam, vt legitur cap. Quamuis 58. de sent. excom. de pueris cap.1. & final. de mulieribus, & seruis cap. Mulieres 6. de inimicitia, & alijs iustis causis, cap. De cætero 11. de mulieribus, senibus, & valetudinarijs, cap. Ea noscitur 13. De moribundis, infirmis, pauperibus, & senibus, cap. Quod 26. De Monialibus 33. In quibus locis aliquando nullum onus imponitur, vt in cap.1. cap.6. cap.33. in alijs præscribuntur nonnulla, nimirum, partis satisfactio, exactio iuramenti

ad

ad se præsentandum, remoto impedimento, vt in cap. 11. 13. 26. & 58. vbi dicitur, quod Episcopus absoluens laborantibus impedimento temporali iniungat sub debito iuramenti, quod se præsentent Sedi Apostolicæ humilitèr suscepturi ipsius mandatum, alitèr non se præsentantes in eamdem incidunt excommunicationem, cap. Eos, qui 22. eod. in 6. His præmissis, probatur, absolutionem datam perpetuò impeditis prodesse pro foro externo; tum quia simplicitèr absoluuntur nullo adiuncto onere se præsentandi, cùm hoc onus imponatur impeditis tantùm temporalitèr ex citato cap. Quāvis 58. de sent. excom. ergò eorum absolutio est plena, & adęquata pro vtroque foro. Tum quia, vbi agitur de satisfactione partis læsæ, ibi forum exterius habet locum, cum negotium manifestè tractetur, & non in occulto. Tum quia absolutio datur extrà Sacramentum pœnitentiæ, ergò fauet pro foro externo. Tum quia in sess. 24. cap. 6. facultas absoluendi à reseruatis Papæ limitatur pro foro conscientiæ, non sic in prædictis casibus impedimenti, ergò ea absolutio simplicitèr est intelligenda pro vtroque foro.

DECISIO CDXXXV.

An excommunicatus à suo Episcopo extrà absolui possit?

EXcommunicatus singularitèr, & nominatim, à solo excommunicatore, vel huius Superiore absolui potest, vt clarè dicitur cap. Si quis 2. cap. Seruetur 73. 11. q. 3. cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ordin. Quandò excommunicatio est generalis, non obstante reseruatione, excommunicatus potest extrà absolui, quia tunc Confessarius iudicat illum prudentèr, si seruet leges sui Episcopatus, vbi ea excōmunicatio, aut nō adest, aut, si adest, non reseruatur. Confirmatur, quia Episcopus alium Episcopum, aut Confessarium extraneum sibi non subditum ligare non potest, limitando ei facultatem, vt non absoluat à talibus peccatis, aut censuris, non reseruatis in suo Episcopatu. Vide Doct. apud Dianam resol. 8. de excom. licet Host. & Couar. quos pro se citat Floronus par. 1. cap. 4. §. 24. fol. 287. dicat oppositum.

DECISIO CDXXXVI.

An Abbatissa possit cogere Monialem ad exercendum munus, non obstante pacto in contrarium?

ABbatissa potest cogere ad officia Monialem Conuersam, quę in receptione habitus pactum inijt cū Superiorissa de dictis officijs nō exercendis, data Monasterio maiore solitò dote. Ratio est, quia ea conditio, vti turpis, habetur pro non adiecta, & vitiatur non vitiat, l. 1. l. Si quis ita, ff. de condit. cap. fin. de condit. appos. vbi agitur de matrimonio carnali, à quo valet argumentum ad spirituale, qualis est professio, cum ergò ea conditio, & pactum, tamquam turpe, habeatur pro non adiecto, & reijciendum sit, sequitur, quod Monialis debet obedire, sicut aliæ eiusdem professionis, & muneris. Quod autem illud pactum sit turpe patet, & quia est contrà obedien-

dientiæ votum, quod debet promitti simpliciter in ordine ad ea, quæ sunt expressa in Regula, vel sunt secundum Regulam, vt docent omnes cum D. Thoma, & Caietano 2.2. q.186. art.5. Graff. par.2. lib.3. cap.24. nu.30. Sanch. lib.6. cap.2. & sicut in eodem Conuentu non debent manere duo professionis disparis, Clem.1. de elect. nec sociari in eodem officio, qui sunt disparis professionis, cap. In noua 19.16. q.7. ita neque in eodem ordine conuersarum debent sociari duæ, vel plures Moniales, quę sint dispares in exercitijs, quæ competunt earum statui. Nec facit quicquam maior dos tradita sub ea conditione, cum enim ea sit turpis, sibi imputet Monialis, debebat manere domi suæ, qui enim facit, quod non debet, recipit, quod non oportet, l. Iulianus, §. Offerri, ff. de act. empt.

DECISIO CDXXXVII.

An Imago imprimi possit eodem, quo æs sculptum?

DVo simul concertarunt, sponsione deposita, vnus affirmando, alter negando, negotium deductum fuit in medium coram impressore, qui respondit, non posse id fieri immediatè apponendo cartam albam æri sculpto, quia manifestè ad oculum patet, folium impressum exire diuerso situ à forma imprimente; Incisor enim, & pictor, licet ambo imitentur Archetypum, seu originale quò ad imaginem, differunt tamen in eo, quod incisor facit formam quò ad situm contrariam, si enim originale, e. g. habeat Imaginem B.V.M. ad dexteram sui, & Sanctum Franciscum ad sinistram; in ære, & ramo, vt aiunt, sculpitur B.V. ad sinistram, Sanctus ad dexteram verso situ, vt in impressione imago repræsentet adæquatè originale, ad hunc enim effectum æs inciditur, vt inseruiat ad impressionem, non verò ad repræsentandum; itaque sculptura dissimilis ab originali in situ ex se producitur, quia ex natura sua ordinatur ad impressionem, si quandò inciditur similis adæquatè quò ad effigiem, & situm, idest per accidens, raro contingens, & præter sui vsum ordinatium. Pictor verò imaginem depingit originali similem vsquequaque, & vndequaque, quia eius vsus est tantum ad repræsentandum, & nunquam ad imprimendum. Igitur proposita difficultas fuit, an ex sculptura secundum impressionem fabricata cum B.V.M. ad sinistram, & S. Francisco ad dexteram, educi possit in folio eodem modo, & situ? Incisor ostendit, id fieri posse hoc modo, primò imprimendo folium cum attramento crassiore super æs incisum, ex quo producitur imago conformis originali, deindè statim super imagine aptando aliud folium album imprimitur alia Imago similis, non originali quò ad situm, sed æri inciso ex illo atramento abundantiori. Ex hoc facto apparet duplex imago producta ex ære inciso, prima quidem adæquatè similis originali quò ad figuram, & situm, secunda verò vndequaque similis æri prototypo; hæc autem posterior imago, licet sit immediatè à priori imagine, nihilòminus habet pro causa mediata æs incisum, sine quo, sicut non potest imprimi primum, ita neque secundum sine primo, & ære, pro qua re facit illud axioma: quod est causa causæ, est causa

sa

sa causati, in naturalibus quoq; constat anum, & patrem esse causam filij, licet anus sit mortuus, quandò generatur filius, id enim non tollit, quin habeat rationem causæ; vndè ære statim fracto, adhuc filius ex filio impressus habet pro causa etiam ipsum æs incisum non amplius existens, itaque infertur, quod ex hoc ære inciso potest prouenire duplex imago, vna respondens originali per immediatam impressionem super æs, alteram respondens sibi ipsi æri per impressionem prioris filij impressi, remoto, immò fracto ære. Hinc ambo oculos aperuerunt, vnus eorum asserebat vtrmque imaginem procedere posse ex illo ramo, non curando de modò impressionis, mediatè, vel immediatè; alter vero limitabat asserendo, quod ex immediata impressione non poterat exire imago similis æri imprimenti, sed tantum similis originali, ad cuius imitationem fuit æs incisum. Itaque tota difficultas consistit in explicatione horum verborum: *Questo rame non può fare vn'imagine simile à questa.* Vnus affirmabat, alter negabat. Pro affirmante facit, tum quia sicut lex non est distinguenda, quando in sua dispositione ipsa non distinguit, cap. Sobitæ 6. §. Nobis autem, de maior. l. De prætio 10. ff. public. in rem, vbi enim lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus, ita in hac locutione prolatâ sine distinctione, nulla est adhibenda distinctio, sed intelligenda est in vtroque sensu, siue illud æs imprimat immediatè, siue mediatè, non est igitur locutio hæc limitanda distinctione. Tum quia sermo, seu locutio generalis est generaliter intelligenda, ac proindè in casu nostro in vtroque sensu, quia generalis locutio comprehendit omnia, l. Cum quærebatur, ff. de verb. significat. Tum quia huiusmodi causa impressionis est vniuoca, magis autem assimilatur secundus filius æri quam primum, vt patet ad oculum, ergò illud æs designatum dicitur causa secundi filij, causa enim cognoscitur ab effectu cui assimilatur, l. Non codicillum, C. de testam. & causatum trahitur ad naturam suæ causæ l. libertam, C. de nuptijs ergò æs propriè dicitur causa magis secundi filij, quam primi. Constat ergò, non posse fieri secundum filium sine ramo illo, cui in totum assimilatur.

Pro parte negantis facit. Tum quia ex eadem causa non possunt oriri contrarij effectus, l. Meminerint, C. vnde vi. l. Qui hominem §. fin. ff. de solut. Illæ autem duæ imagines sunt ad inuicem contrariæ, cum easdem figuras quidem habeant, sed quò ad situm contrarias, ergò ramus non est causa saltem secundi folij. Tum quia attenditur causa ordinaria, & per se, non vero, quæ est per accidens, l. Si quis nec causam ff. si certum pet. illud autem æs incisum, licet sit causa per se respectu primi folij, talis tamen non est respectu secundi folij, immò, nec primum folium potest dici causa per se secundi folij, quia imago ordinatur per se ad repræsentandum originale, non verò ad imprimendum, quod per se spectat ad sculpturam, quæ cum non faciat secundum folium simile primo, sed dissimile, & simile sibi contrà naturam sculpturæ, sequitur, quod illud æs incisum nulla ratione

sit causa secundi folij, sed tantum primi. Tum quia esto esset causa, adhuc fauendum est neganti, quia causa proxima, non remota est attendenda, l. Sed & si plures, §. In arrogato, ff. de vulg. & pupill. substitut. non attenditur ergò causa remota, Ioseph. de Sene Arragon. decis. 187. num. 68. & licet causa non multum remota spectetur æquè ac proxima, secundum Arctin. consil. 6. per l. Vxori quis ff. de auro, & argento legat. hæc tamen dicitur multum remota, quia ære fracto, & non amplius existente, imprimitur secundum folium per primum, nihil conferente ære non amplius extante, ergò verum non est, quod ex illo ære fabricata fuerit secunda imago. Tum quia verba intelligenda sunt secundum vulgatum modum loquendi, cap. Ex litteris 7. de sponsal. l. Labeo ff. de suppell. legat. vndè Barbosa Vaz in suis locis commun. litt. V. nu. 8. dicit cum alijs, quod verba intelligenda sunt secundum communem intellectum hominum; hæc autem verba: *Con questo rame si può fare vn'imagine simile à questa*, interpretanda sunt secundum vulgarem modum loquendi hominum, nempè: *Con questo rame si può imprimere, ouer tirare vn'imagine simile à questa*. Certum autem est, id fieri non posse, cum non ex ipso, sed ex primo folio sit impressum secundum. Tum quia est contrà naturam sculpturæ, vt producat effectum sibi similem, vt ad oculum patet, secundum autem folium est simile sculpturæ, ergò non est eius effectus. Pro vtraque igitur parte sunt rationes, vt visum est. Quibus tamen non obstantibus.

Dicerem, alterum contra alterum victoriam non retulisse, ac proindè neutrum vicisse, aut vtrumque succubuisse; primum suadetur ex allatis rationibus. Confirmatur, quia vterque vera locutus fuit, nam qui dixit: *Con questo rame si può far vn'imagine simile à questa*, seipsum explicauit de operatione mediata, alter verò negans se declarauit, non posse id fieri immediatè per applicationem secundi folij ad ramum, vterque igitur vera locutus fuit, ergò neuter illorum perdidit. Siquidem in dubio verba intelligenda sunt secundum mentem proferentis, cap. Intelligentia 6. de verb. signif. l. Si quis intentione ff. de iudic. mens autem vtriusque apparet circa veritatem suorum dictorum, prout se explicauerunt, ergò cum veritas veritati non aduersetur, vnus alterum non vicit.

Secundum ambo videntur condemnandi, quia verba dubia interpretanda sunt à iudice contrà mentem proferentis, l. Veteribus 40. ff. de pactis, vbi Bartol. & in contractibus declaratio facienda est contrà eum, qui legem, seu sensum suum apertius dicere poterat, Reg. 57. in 6. Vterque autem ambiguè locutus fuit, & obscurè, vt patet in supradictis, ergò Iudex vtrumq; potest condemnare, eò quod initio non se sufficientèr declararunt.

DECISIO CDXXXVIII.

An Religiosi possint confiteri extraneo?

POssunt in tribus casibus, primò cum sunt in itinere, vel extrà manent

maneat,& hoc de licentia tacita, si nō expressā suorum Superiorum, & iure priuilegij Pontificij; secundò in casu necessitatis, cum e. g. reperitur in Sacristia aliena Sacerdos celebraturus, potest confiteri tunc extraneo; item cū in domo sua caret Sacerdote sui Ordinis; item cum probabilitèr timet, proprium Confessarium reuelaturum esse eius confessionem, timor autem probabilis censetur, cum ille Confessarius infamatus aliàs fuit de reuelatione confessionis, vel cum est inimicus pœnitentis. In prædictis casibus duobus confitetur extrà, quandò caret Sacerdote sui Ordinis; Tertiò extrà confitetur, licèt non sit in itinere, nec in casu necessitatis, si obtineat licentiam sui Superioris etiam localis alteri confitendi, iuxtà cap. Omnis 12. de pœnit. vbi dicitur, quod quilibet fidelis tenetur confiteri suo proprio Sacerdoti, vel alteri de eius licentia, quod locum habet in Religiosis, quorum proprius Sacerdos est eorum Prior, Prouincialis, & Generalis. Vide quæ dixi resolut. 34. Extrà dictos casus nullus potest confiteri extrà, vt docent omnes, quos pro se citat Rodr. tom. 1. q. 60. art. 6. contrà nonnullos fundatos in priuilegio Pontificio, quo Regulares possint audire confessiones omnium fidelium volentium accedere ad ipsos, quæ tamen verba limitantur ad fideles habentes velle per se, quo carent Religiosi, quorum voluntas subiecta est voluntati suorum Superiorum; ideò cautè legendus est eius Comped. resol. 31. num. 15. Rodr. sequuntur Portell. v. Confessor. num. 11. Coriolanus part. 1. de casib. reseru. sect. 3. art. 13. Lezana part. 1. cap. 18. num. 26. Extat Bulla incip. Romani Pontificis 64. Clementis VIII. cuius intentio fuit, vt Religiosi quò ad Sacramentum Pœnitentiæ sint subiecti voluntati suorum Superiorū, itavt extrà sinè eorum licentia confiteri non valeant. Siuè ergò adsint statuta, siuè non, certum est, extrà confiteri non posse, nisi in supradictis casibus.

DECISIO CDXXXIX.

An celebrans in Ecclesia polluta incurrat pœnam?

Sacerdos celebrans Missam, vel diuina Officia, peccat quidem mortalitèr, cum agatur de graui, nullam tamen iuris pœnam, censuram, aut irregularitatem incurrit, quia nullo iure exprimitur aliqua ex dictis pœnis, docent Suar. par. 3. tom. 3. disp. 81. sect. 4. Layman. lib. 5. cap. 5. tract. 5. num. 13. Si, dum celebrat, polluitur Ecclesia, debet Sacerdos cessare antè consecrationem, post verò debet prosequi, ne Sacramentum, seu Sacrificium remaneat imperfectum, & eo casu Ecclesia censetur recōciliata in opinione multorum, sicut & calix consecratione in Missa dicitur consecrari. Non prohibetur concio in Ecclesia violata, quia non numeratur intèr diuina Officia.

DECISIO CDXL.

An Doctores creare possit Episcopus?

Episcopus iure communi, & proprio potest creare Doctores Quod multis probatur; Primò quidem, quia S. Paulus Apostolus creauit Timotheum Doctorem, & Episcopum Ephe-

Ephesinum, Titum pari modo fecit Doctorem,& Episcopum Cretensium, nam necesse est, quod Episcopus sit Doctor de iure diuino, idem Paulus in Epist.1. ad dictum Timoth.cap.3.n.2. Si ergò D. Paulus illos ordinauit Episcopos, necessariò eosdem creauit Doctores,ne dicamus absurdum,Paulum legem diuinam fuisse transgressum;id autem præstitit,non vt Apostolus,sed vt Episcopus,nam in eisdem Apostolis cessare debuit dignitas Apostolatus, non verò Episcopatus in successoribus perpetuandis, ergò dicendum est,Paulum creasse prædictos in Doctores potestate Episcopali iurisdictionis, nam Doctoratus in Ecclesia Dei perpetuò manere debet. Secundò, Episcopi officium est pro suis ouibus prouidere de Doctoribus,qui fideles instruant,vt dicitur cap. De quibusdam 12.dist.38.cap.2.4. & fin. de magistris;& isti maximè necessarij sunt in Cathedralibus,& Collegiatis, vt videre est in diuersis Concilijs, præsertim Tridentino sess.22.cap.2. sess.23. c.18. sess.24.cap.8. & alibi, ergò iure sui Officij Episcopus potest doctorare personas idoneas, vt ex illis à se cognitis possit prouidere de doctrina suis ouibus. Consequentia patet,quia eodem iure quis vtitur medijs, quò tendit in finem, l. Oratio, ff. de sponsal. oratio autem Doctorum est medium ad instruendum fideles illis egentes. Tertiò id videtur apertè colligi ex duobus capitibus citatis in præcedenti argumento, nam in cap. De quibusdam habentur hæc verba: *Diligentia adhibeatur, vt Magistri, & Doctores constituantur*, supple ab Episcopis creantur, qui doceant studia litterarum. In cap. Verò 4. de Magistris idem verbum exprimitur; *Constituatur Magister idoneus*; idest fiat, & creetur homo idoneus in Magistrum, loquitur autem textus ad Episcopos: quod verbum, *Constituo*, referatur ad creationem alicuius in gradum, res nota est, nam in Psal. dicitur, *Ego constitutus sum Rex ab eo*, idest factus, & creatus. Lucæ 12. num. 14. *Quis me constituit Iudicem?* Ista significatio est notoria in sacris litteris, ad quarum sensum trahenda sunt verba sacrorum Canonum, quia Canones processerunt à veteri, & nouo Testamento, cap. Qualitèr 24. de accusat. Quartò, in Concilio 12. Cesaraugustano, quod est Prouinciale, Can. 7. Sancitum fuit, ab illis Episcopis, ne quis nomen Doctoris sibi imponat, prætèr illos, quibus conceditur, ergò Episcopus habet de iure proprio creare Doctores, sicut prouidet, ne quis hunc honorem sibi propria auctoritate assumat. Quintò, non minus necessarij sunt Doctores in Episcopatibus, ex allegatis textibus, quam Parochi, ex eo quod Episcopus hæc duo officia per seipsum non potest, respectu omnium fidelium sibi subditorum immediatè præstare; sicut ergò ex iure communi, & proprio constituit Parochos in singulis Parochijs de simplicibus Sacerdotibus faciendo, & creando illos Parochos, qui antè non erant, ita iure suo creat scholares doctos in Magistros, & Doctores pro suo Episcopatu. Sextò, secundum Hostiensem in summa tit. de Mag. gradus Doctoratus conferri potest tribus modis, iure communi, consuetudine, & priuilegio; si quis autem potest conferre lauream Doctoratus de iure communi, maximè Episcopus. Quod videtur confirmari ex Clem. 2. illis verbis; *Illis,*

lis, ad quos vbilibet pertinet honorem tribuere memoratum. Non distinguendo de modo pertinendi, iure ne communi, an consuetudine, aut priuilegio, cum ergò Papa loquatur indistinctè, videtur tacitè approbare præfatam distinctionem.

Contrarium tenent multi, quos pro se citat Alex. lib. 6. consil. 110. glos. fin. in cap. 2. Clem. de Magist. Abbas in cap. Tuæ, de cler. non resid. Bald. in proœm. primæ Constitution. Digestorum, Panorm. in dictam Clement. Anchar. Gemin. Domin. Philip. Francus in cap. 1. de maior. in 6. Felin. in cap. Cum olim, de maior. in cap. Verum de foro compet. Armilla v. Episcopus num. 26. Sà v. Docere num. 2.

Sequitur ex nostra sententia, Capitulum Sede vacante succedere in hoc iure doctorandi, cùm ea omnia, quæ competunt Episcopo iure communi, siue voluntaria, siue odiosa, & iudiciaria, transeant eo mortuo in capitulum, vt docent omnes cum gl. v. Capituli Clem. 1. de hæret. Quaranta v. Capitulum Sede vacante, Diana par. 8. tract. 4. resol. 1. & 3.

DECISIO CDXLI.

An Capitulum Sede vacante succedat in omnem Iurisdictionem Episcopi mortui?

POtestas Episcopi diuiditur in potestatem Ordinis, & iurisdictionis, vt aiunt omnes cum textu cap. Aqua 9. de consecrat. Illa competit eidem, prout habet ordinem Episcopalem, hæc vero prout est pastor ouium suæ diœcesis, non illa, sed tantum hæc transit in capitulum, gl. v. Capituli, cap. Cum olim 14. de maior. v. capituli Clem. 1. ad finem, de hæret.

Cum autem potestas iurisdictionis sit multiplex, dubitatur, an Capitulum succedat in omnem, cuiuscumque sit speciei? Potest autem diuidi in quadruplicem speciem, prima vocatur iurisdictio simpliciter ordinaria, Episcopo competens iure proprio, expressa in Sacris Canonibus, cap. Quamuis 4. dist. 68. glos. verb. iurisdictionis cap. Aqua 9. citat. de consecr. & ex communi Doctorum hæc sine controuersia transit in Capitulum, Abbas in cap. Cum olim, de maior. Feder. de Senis consil. 30. citat alios Diana par. 8. tract. 4. resolut. 1. Nisi à iure specialitèr transitus prohibeatur.

Secunda vocatur iurisdictio delegata à Sede Apostolica, non personæ Episcopi, sed eius dignitati, ex quo transit cum omnibus Episcopis successoribus illi, cui primo fuit tributa, vndè, cum sit perpetua, & non perfunctoria, vocatur ordinaria; exemplum do in priuilegio, & delegatione facta omnibus Episcopis in Tridentino sess. 24. cap. 6. absoluendi, & dispensandi in omnibus occultis Papæ reseruatis. Hæc quoque transit in Capitulum, cum dicatur facta propria, & iuris Episcopalis, cuius vices supplet Capitulum, & ita docent Abbas in cap. Verum, de foro compet. Felin. in cap. Eam te de rescr. nu. 17. quos sequitur in terminis dati exempli Sanch. lib. 8. disp. 2. nu. 10. Berous in cap. Quoniam, de off. deleg. n. 21. Pauinus in hoc tract. qu. 11. Machadus de perf. Confess. tom. 2. lib. 4. p. 4. do-

docum.6.nu.4. Barb.lib. de Canon. cap.42. nu.107. Sbrozz. lib.2. de Vicar.q.29. num.8. Quod verum eſt reſpectu cuiuslibet conceſſionis, ſeu priuilegij facti dignitati, cum qua perpetuò durat, ſiue ſit in corpore legis, ſiue extrà, ſiue ſit conceſſum omnibus Epiſcopis in vniuerſum, ſiue talis loci tantum, ſi quidem quouis modò ex prædictis vocatur iuriſdictio licet ex origine delegata, ordinaria tamen ex ſua perpetuitate. Vide infra Deciſ.454.

Tertia iuriſdictio vocatur commiſſionis, ſeu potius executio mandati Apoſtolici, qui ſolent ab Epiſcopis expediri, commiſſiones e.g. ſuper impedimenta Matrimonij, & in ſimilibus; hæc autem non tranſit ad Capitulum, quia Capitulum dicitur ſupplere vices Epiſcopi mortui, non autem Papæ, cuius non eſt delegatus, & in hoc conueniunt omnes ſupràdicti cum alijs agentes de hac diſtinctione iuris delegati in ſpeciale, & generale, quod nos diximus, ordinarium, & perpetuum, ſpeciale vero, ſeu commiſſione, & per accidens dicitur, benè Doct. in cap. Verum, de foro compet. Rebuff. in praxi tit. de deuolut. num.68. quandò Epiſcopus, cui ſpecialiter datur commiſſio agendi, aliàs à iure habet poteſtatem, tunc ſuccedit ei mortuo Capitulum, quia, vt quoddam acceſſorium, & additamentum, ſequitur principale, Ant. Butrius in cap. Cum in cunctis, de elect. Gemin. in cap. Quamquam de elect. in 6. Felin. in dicto c. Verum. Zabar. in Clem. Statutum de elect. in 3. oppoſit. quia idem Iudicium de acceſſorio, & principali.

Quarta iuriſdictio dicitur conſuetudinis, quia eam Epiſcopus non habet à iure ſcripto, neque ex proprio, aut delegato ordinario, ſed acquiſiuit per ſeipſum, vel mediantibus actibus ſuorum prædeceſſorum, & etiam in hoc Capitulum Sede vacante ſuccedit Epiſcopo mortuo, quia conſuetudo eſt altera lex, & parem habet vim cum iure communi, & docent Doctores omnes. Ita Abbas in cap. Cum olim de maior. q.10. oppoſitum tamen tenuit in cap. Scriptum, de elect. Pauinus par.1. q.9. nu.7. Molina, Azor. Panorm. Syluest. Merolla, quos citat Diana part.8. tract.4. reſolut.18.

1. Procedunt, ſiue iuriſdictio ſit contentioſa, ſiue voluntaria, cum vtraque dicatur iuriſdictio Epiſcopalis, iuxtà dicta, nec hæc diſtinctio diuerſificet hactenus dicta de iuriſdictione tranſeunte ad Capitulum. Communis ſententia Doctorum apud citatum Dianam reſol.3. contrà paucos.

DECISIO CDXLII.

An Capitulum Sede vacante poſſit creare Doctores?

POteſt, ſiue Epiſcopus iure communi, & proprio, ſiue iure priuilegij perpetui idem præſtare poſſit iuxtà dicta in præcedentibus Deciſionibus, & quò ad primum ſenſum non eſt difficultas, quia Capitulum ſecundum omnes ſuccedit in omne ius competens Epiſcopo iure communi, & proprio, niſi expreſsè prohibeatur, quod in iure non apparet prohibitum, quod ad creationem Doctorum ex ſuppoſitione, quod poſſit iure communi doctorare. Quò ad ſe-

ſecundum reſpectu priuilegij perpetui doctorandi, probatur, quia Capitulum ſuccedit in iure Epiſcopo competente ex priuilegio perpetuo, ex probatis præcedenti Deciſione: ſed priuilegium doctorandi, quod habet Epiſcopus N. eſt perpetuum, vt conſtat, quia non tãtùm ille, cui primò conceſſum fuit, creat Doctores, ſed omnes, qui illi ſucceſſerunt poſt eius mortem, ergò Capitulum illi ſuccedit in hoc priuilegio. Confirmatur, quia aliquid competere poteſt Epiſcopo iure delegato duobus modis, primò iure tranſeunte, & ex commiſſione, qua expedita euaneſcit delegatio facta, & dicitur delegatio ſpecialis, & accidentalis, vt quandò à Papa tali Epiſcopo committitur diſpenſationis executio circà tale impedimentum matrimonij, & hoc ius delegationis non tranſit in Capitulum, quia hoc non habet ſupplere vices Papæ, ſed tantum Epiſcopi mortui. Secundò iure delegationis perpetuæ, aut quandò lege, vel priuilegio delegatur Epiſcopo facultas aliquid agendi perpetuò, iuxtà dicta in præcedenti Deciſione; & hoc ſecundò modo ius tranſit in Capitulum, quia huiuſmodi delegatio Generalis, & perpetua cenſetur iuriſdictio ordinaria ex ſua perpetuitate, & quia eſt conceſſa dignitati, quæ nunquam moritur, ſed perpetuatur in ſucceſſoribus, conſequentèr facta eſt propria dignitatis Epiſcopalis. Quod talis delegatio ſit ordinaria, & habeat iura poteſtatis ordinariæ, docet Bartol. in l. Ambitioſa, ff. de decret. ab ordin. faciend. num. 34. Bald. cap. fin. de offic. ordin. ibi Imola, Sylu. Delegatus q. 4. Couar. lib. 3. Var. cap. 20. Compend. Caſarubios v. Abſolutio ordin. ad finem dub. 2. Confect. tit. 11. cap. 1. Rodr. tom. 1. q. 17. art. 11. ergò in ea ſuccedit Capitulum. Sermo fuit de Capitulo Cathedralis Parmæ.

DECISIO CDXLIII.

An conſuetudo præcedendi à ſumptione habitus valeat?

STante conſuetudine in Monaſterio N. præcedendi à receptione habitus, & non à profeſſione, Monialis N. manutenenda eſt in poſſeſſione ſuprà aliam Monialem, licet hæc profeſcerit antè illam, quæ priùs recepit habitum, licet poſterius profeſſionem nuncupauerit Deo. Probatur; Tum quia in materia præcedentiæ potiſſimum attenditur conſuetudo, vt omnes hactenus docuerunt, quos citat Contelor. q. 1. de præced. num. 6. & 58. Diana reſol. 29. de conſuet. Tum quia hoc ius præcedendi à ſuſceptione habitus attenditur in Religione Melitenſi, nimirùm à puncto exhibitionis probationum legitimarum, quod fit initio Nouitiatus, vt tradit Ludouiſ. deciſ. 341. & 499. & non reprobatur ab aliquo, ergò idem dicendum eſt in caſu preſenti. Tum quia in materia præcedentiæ poſſeſſio acquiritur per vnicum actum ad effectum manutentionis, Decian. lib. 5. conſil. 84. num. 26. Rota deciſ. 1. num. 4. apud Tamb. to. 3. quarè cum hæc Monialis per plures annos gauiſa fuerit antianitate, & in ea eſt manutenenda cum cæteris Monialibus, ne perturbetur pax in Monaſterio.

Non obſtat reſponſio ſacræ Congregationis, qua dicitur, ius præcedendi attendi à profeſſione, non à receptione habitus, quia id intelligitur vbi

non

non est consuetudo in contrarium, licet enim ea responsio sit conformis iuri communi ex cap. Porrectum de regul. Habitus non facit Monachum, sed professio, tamen constat consuetudinem legitimè præscriptam derogare iuri communi, etiam in materia præcedentiæ, vt docent Menoch. consil. 51. num. 51. Seraph. decis. 964. Ludouis. decis. 24. Tambur. tom. 3. disp. 5. q. 11. num. 81. Carena de S. Officio par. 1. tit. 8. num. 15. Pater ergò Generalis huius Ordinis benè faciet decretando, quod consuetudo huiusmodi conseruetur, saltem quò ad Moniales hactenus professas, ne rixæ, odia, & perturbationes excitentur, deinceps verò potest suo decreto, ius præcedendi accipiendum esse à puncto professionis, quod est conformis iuri communi. Vide suprà Decis. 379.

DECISIO CDXLIV.

An cognitio causarum immunitatis reorum confugientium spectet ad Capitulum Sede vacante?

Causas de extrahendis, vel non extrahendis reis ab Ecclesijs iuxtà Constitutionem. *Cum alias* 7. Gregorij XIV. cognoscere potest Capitulum sede vacante per suum Vicarium. Ratio est, quia Capitulum succedit in ius ordinarium Episcopi, ex probatis præced. Decis. 441. sed hoc ius cognoscendi causas reorum ab Ecclesijs Extrahendorum competit Episcopis iure ordinario, ex cap. Reum 8. cap. Nullus 19. cap. Si quis 20. expressius, cap. Metuentes 32. & alijs 17. q. 4. cap. Intèr alia 6. de immunit. quæ citaui resolut. 10 q. 4. Nauar. consil. 1. de Immun. Rodriq. tom. 2. q. 50. art. 3. super hanc Bullam, §. Circà quam, de communi omnium, ergò Capitulum succedit in hoc ius. Et ita docet Peregrinus Theatin. cap. 3. supèr Bullam num. 33. §. Opinio, cum quo ego sentio.

Obstare prædictis quædam responsio, quam ex Sperello decis. 31. num. 8. rescribit Barbosa v. Vicarius Capitularis in Decis. Apostol. num. 15. sub his verbis: *Vicarius Capitularis non potest cognoscere causas confugentium ad Ecclesiam, vel ab illa extractorum*. 15. *Februarij* 1633. Immò idem clarè deduci videtur ex supradicta Bulla illis verbis: *Ad quos solos*, idest, Episcopum, & eius officialem, *& non alios Episcopis inferiores, etiamsi aliàs Ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Conseruatores, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat; occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios.* Sed Capitulum, & Vicarius eius est inferior Episcopo, vt notum est, præterquamquòd illæ duæ clausulæ, *Ad quos solos. Et non ad alios*: sunt multum efficaces, & exclusiuæ aliorum, qui non Episcopi, nec Vicarij Episcopi, Capitulum autem non est Episcopus, nec Vicarius Capitularis est Vicarius, seu Officialis Episcopi, vt notum est, quarè cum ea dictio inclusiua tantum Episcopi, & eius Vicarius sit, & exclusiua aliorum, Capitulum in hac causa non succedet.

Non obstant allata, nam de ea responsione non constat, præterquamquòd ius non inducit, sed tantùm opinionem. Ad rationem dico, antè Bullam Gregorianam omnes Rectores, vt qui patroni suarum Ecclesiarum licen-

licentiam dabant extrahendi, vt colligitur ex citatis iuribus, & alij ex diuersis priuilegijs Sixti V. & Pij V. habebant facultatem extrahendi criminosos, vt dicitur in Bulla, ideò Gregorius sublatis huiusmodi facultatibus, voluit, id munus in solis Episcopis remanere, ac proindè huiusmodi facultatis successionem non sustulit Capitulo Sede vacante, sed tantum derogauit alijs, quibus competebat iure ordinario immediato, aut ex priuilegio, Capitulo autem hæc facultas non competebat ex priuilegio, vt notum est, neque iure immediato, quia, viuente Episcopo, non poterat licentiam dare extrahendi; censetur enim mortuum Capitulum, cum viuit Episcopus in sua Sede, sed iure successionis; ex quo neque in hoc Capitulum potest dici inferius Episcopo, quia successor dicitur æqualis illi, cui succedit, quia reputatur eadem persona, cap. 1. de solut. cap. Dilecti, de foro compet. & in terminis Episcopi, & Capituli, quod sunt idem, tradunt Innoc. in cap. Eam te, de rescr. num. 6. & 7. Federicus de Senis consil. 30. nu. 3. nec demum obstat dictio illa *solos* restrictiua ad solos Episcopos, quia respectu Capituli non est restrictiua, sed respectu illorum tantum, qui aliàs iure ordinario immediato, seu ex priuilegio, dabant licentiam extrahendi, vt patet ex sequentibus verbis comprehendentib. exclusiuam. *Etiam si aliàs Ordinarij sint, aut nullius diœcesis, aut Conseruatores, &c.* nomine enim ordinarij veniunt Prælati Regulares, & alij exempti ab Episcopis, quibus viuentibus adhuc ius habebant extrahendi, quo non potest vti Capitulum, dum viuit Episcopus, ergò Capitulum non excluditur Sede vacante.

DECISIO CDXLV.

An Capitulum Sede vacante iudicet de Immunitate reorum in Ecclesijs exemptorum?

AFfirmatiuè respondendum est, tum quia Capitulum succedit in ius perpetuò delegatum Episcopo, ex probatis Decis. 441. Tum quia hoc ius dandi licentiam extrahendi reos ab Ecclesijs exemptis potius est ordinarium, quam extraordinarium, competens Episcopo iure proprio, vocandum melius restitutio proprij iuris, quam delegatio, nam Ecclesiæ exemptæ prius de iure communi erant subiectæ iurisdictioni Episcopali, Cap. Omnes 10. 16. q. 7. & nihil est exemptum, quod prius non fuerit subiectum, exemptio enim eximit, & liberat à subiectione, propria ergò potestas Episcopi cognoscendi, an reus gaudeat immunitate, & dandi licentiã extrahendi reum, quandò non gaudet immunitate, per hanc Bullam restituitur respectu exemptorum, quælibet enim res facilè reducitur ad suum pristinum principium, cap. Ab exordio, dist. 35. Quarè, cum hoc ius antè exemptas Ecclesias esset proprium Episcopo, consequentèr per restitutionem huius Bullæ remanet proprium, & ordinarium, vt erat antè priuilegium, consequenter mortè Episcopi transfertur in Capitulum.

Et ex his patet ad argumentum, Peregrini cap. 3. de Immun. num. 33. §. Probo nunc, negantis hanc licentiam Capitulo Sede vacante respectu exem-

exemptarum Ecclesiarum, eo fundamento, quia est ius extraordinarium Episcopo concessum, quod non transfertur in Capitulum post mortem Episcopi, à nobis mox reiectum, præterquam quod dici potest, cum Sanch. lib.8. disput.2. num.10. iuxta probata Decis.441. & 442. illud ius, licet delegatum, esse ordinarium, cum sit perpetuum, & concessum omnib. Episcopis.

DECISIO CDXLVI.

An Capitulum Sede vacante vtatur priuilegio alienandi concesso ciuitati Parmæ?

EGo Resolut. 62. qu.19. fol.255. extendi priuilegium, quod habet Ciuitas Parmensis contrahendi cum Ecclesiasticis, in quo Episcopo pro tempore, seu eius Vicario datur facultas iudicandi, an contractus sint in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, cum qua Laici contrahunt; dubitatum fuit, an hoc priuilegium iudicandi transeat in Capitulum mortuo Episcopo.

Respondi affirmatiuè ex duplici capite, primò quia Papa potius restituit Episcopo eam facultatem, quam habebat anteà de iure proprio, & communi, quam illi ablata fuisset per Extrauag. *Ambitiosæ*; nam iure antiquiore poterant alienare, & sua decreta interponere in alienationibus, super qua re textus retuli supra Decis.232. Sed Capitulum Sede vacante succedit in iurisdictionem Episcopo competentem iure communi ex probatis supra Decis.441. ergò succedet etiam in hac speciali. Secundò ex capite priuilegij, nam iurisdictio data perpetuò est ordinaria, sicut data ad tempus dicitur delegata, secundum Baldum in l.1. ff. de off. consul. q.9. Puteus lib.2. decis.223. num.1. ergò hæc nostra, cum sit perpetua, ac proindè ordinaria, transit in Capitulum; quod confirmatur ex dictis supra Decis.441.

DECISIO CDXLVII.

An Magister Nouitiorum possit abesse causa Prædicationis?

POtest abesse ex dicta, vel alia simili causa rationabili, tum quia absentia illi non interdicitur, quod autem non est expressè prohibitum, censetur permissum, cap. sunt nonnulli 25.16.q.1. cap. Iam nunc 7.28. q.1. ibi: *Hoc non vetat Dominus.* Sed hoc non prohibetur in Constitutionibus Clementis VIII. de Nouitijs, ergò concedi potest. Tum quia non magis obligat residentia Magistri, quam Prioris, & Parochi, vt notum est, sed isti ex causa possunt abesse, sibi substituto locumtenente, ergò à fortiori Magister potest abesse, cum non tantam habeat obligationem. Tum quia adest Superior Conuentus, qui omnium, etiam Nouitiorum curam gerere debet, ergò absentia Magistri non potest illis obesse, maximè quando adest Socius, qui Sacerdos tunc succedit in omnia onera, & functiones Magistri. Si caret Socio Sacerdote, tunc superior Monasterij de consilio, & consensu suæ familiæ potest substituere Sacerdotem probum eiusdem conditionis, donec Magister redeat.

DE-

DECISIO CDXLVIII.

An Moniales Numerariæ, & Supranumerariæ pares sint in honoribus, & oneribus?

NUmerariæ vocantur illæ, quæ in Monasterio sunt receptæ cum simplici dote, subrogatę in loca vacantia earum Monialium, quæ erant pariter Numerariæ. Supranumerarię vocantur illæ, quæ cùm duplici dote receptæ sunt supra numerum ordinariũ, quem Monasterium alere potest, & istæ recipiuntur sine vllo ordine ad vacationem locorum, cum respectu alimentorum Monasterium non dicatur illas alere ex redditibus antequis recẽsitis, sed ex nouis per easdem constitutis pro se. Itaque Numerariæ locum habent, tàm pro se, quandò ingrediuntur, quàm pro extraneis aduenientibus post earum mortem. Supranumerariæ verò pro se dùm ingrediuntur locum non habent, neque pro alijs de nouo volentibus intrare, quia recipi Nouitiæ non possunt loco mortuarũ, quæ erant Supranumerariæ, sed tantùm loco mortuarum, quæ erant Numerariæ, locus ergò vacans per Supranumerarias non potest impleri per Nouitiam, quæ fit Numeraria, quia professa Supernumeraria locum nec actiuum, nec passiuum habet. Ita quod Supranumerariæ semper manent tales post professionem, vt non possint occupare locum Numerarię mortuę, neque impedire, quin recipi possit de nouo Nouitia, & subrogari in locum Numerariæ mortuæ, & fieri Numeraria. Ita colligo ex Decreto extenso apud Quaranta v. Monasteria Monialium fol. 241. Barbosa v. Moniales Supernumerariæ in Decis. Apostol. Tambur. de iure Monial. disp. 5. q. 7. supradictum Decretum refert ad verbum. His præmissis.

In Monasterio S. N. introducta fuit consuetudo, vt Moniales professæ successiuè per orbem possint nominare puellam sibi benè visam, consanguineam, vel amicam habentem requisita ad ingressum subrogandam ab Abbatissa, cum cęteris Monialibus in locum mortuæ intrà numerum, seu Numerariæ, & hactenus obseruata fuit ex vnanimi earum consensu, & nominatio facta fuit regulariter successiuè, quò ad antianitatem per Numerarias, modò defuncta est Monialis Numeraria, & sequendo rotam, vt aiunt, iuxtà antianitatem professionis, spectat nominare ad Supernumerariam, nam anteà omnes, quæ nominauerant vsque modò, erant Numerariæ, cum nulla intèr eas misceretur professione Supranumeraria; contendunt Numerariæ contrà Supranumerarias asserentes, ad se solas tantum spectare hoc ius nominandi, & adducunt hanc rationem, quia Supranumerariæ nullum habent locum nec passiuum, nec actiuum, sicut è contrà Numerariæ vtrumq; locum habent, passiuum, quia receptę fuerunt in locum præmortuarum, actiuũ verò, quia dant locum numerarium mortuæ puellæ volenti ingredi ad replendum locum vacantem per mortem Numerariæ, vt enim Monialis det locum vacantem, debet prius similem locum recepisse ab alijs, Supernumerariæ autem nunquam locum vacantem occupare possunt, ex dispositione supradicti Decreti, ergò neque illum dare alijs. Confirmatur, quia nemo dat, quod non habet, ex vulgatis iuribus,

Supernumerariæ autem perpetuò tales remanent, & sunt incapaces, ex dicto Decreto, loci, ergò, & dandi illum alijs. His tamen non obstantibus,

Dico, quòd Moniales supernumerariæ comprehenduntur sub hoc iure consuetudinis à Monasterio introductæ æquè cum Numerarijs. Probatur. Tum ex verbis eiusdem Decreti, ibi: *Quinimmò easdem sic suprà numerum receptas, Supranumerarias semper quò ad hoc remanere, etiam si in cæteris ab alijs nihil differant, sed illis in omnibus pares, & æquales, iuxtà cuiusque Monasterij institutum esse debeant*. Ecce, quòd Moniales, siuè sint Numerariæ, siuè Supranumerariæ dicuntur in cæteris pares, & æquales, ergò tales sunt omnes, quod ad hanc consuetudinem, vt singulę per girum possint nominare puellam locandam pro defuncta. Tum quia hæc consuetudo nominandi fundatur formalitèr in professione, & sola professione acquiritur, cum sit actus spectans ad solas professas, non enim huius capaces sunt Nouitiæ, quæ nec partem habere possunt in ea consuetudine, qualiscumque illa sit, vt notum est, quarè, cum omnes tàm Supranumerariæ, quàm Numerariæ æqualitèr, & pari modo profiteantur, sine vllo discrimine omnes intelliguntur comprehensæ sub hoc iure nominandi. Tum quia omnes sunt pares in onerosis, ergò, & in gratuitis, & honoribus, qui enim sentit onus, æquum est, vt sentiat commodum, Reg. 55. in 6. nam commodum regulatur ab onere. Tum quia in omnibus alijs iuribus gratiosis, & honoratis Supernumerariæ pares sunt cum Numerarijs, ergò & in hoc, gratis enim excluduntur, cum nulla specialis ratio sit assignabilis, quã non debeant comprehendi, nisi superiùs allata ratio, quæ infrà nullius momenti apparet esse. Tum quia si non admittantur Supernumerariæ, sequitur absurdum, quod in qualibet dispositione vitandum est, nempè in casu, quo morerentur omnes Numerariæ, tunc superstites Supernumerariæ non possent recipere ad loca vacantia, sed tantum Supernumerarias, non enim per mortem Numerariarum cessat in eis ratio Supernumeri, cum perpetuò in eis remaneat conditio huiusmodi, ne ergò sequatur hoc absurdum dicendum est etiam Supernumerarias comprehendi sub hoc iure nominandi. Tum quia, quandò iste vsus cæpit introduci, extabant etiam Supranumerariæ, contrà quas Numerariæ nihil dixerunt, ergò intelliguntur inclusæ. Tum quia de ratione consuetudinis est, vt omnes partes eiusdem totius politici sint habiles, & capaces introducendi consuetudinem, quam intendunt, alitèr consuetudo non inducitur, vt tradunt omnes in hac materia, quarè si Moniales Supranumerariæ non sunt capaces, sequitur neque eam consuetudinem esse legitimam, sed irrationabilem, & nullius momenti, ne igitur id sequatur, dicendum est Supernumerarias comprehendi sub eo iure nominandi.

Ad rationem partis contrariæ respondetur, Supernumerarias non habere quidem locum, nec illius esse capaces, vtique verò habere locum actiuum, & posse locare puellas aduenientes, sicut in receptione ad habitum, & professionem Nouitiarum ipsæ dant suum votum, & consensum, ita & disponere valent ad vtrumque per Nominationem, sicut enim ille, qui potest alie-

alienare, & contrahere, valet se ad hæc disponere, ita, & Moniales Supernumerariæ ius habentes ad consentiendum in receptionem Nouitiæ ad habitum, & professionem, possunt se disponere ad hæc per Nominationem præuiam. Confirmatur, quia non valet arguere à carentia loci passiui ad locum actiuum, quia non habent necessariam connexionem ad inuicem, eo quod datio loci non fundatur in receptione loci, sed in professione; sicut enim carentia vocis passiuæ, quam cognoscimus in multis Religionibus respectu conuersorum, & Clericorum, non tollit vocem actiuam, quia isti concurrunt suis suffragijs in negotijs Conuentuum, ita carentia loci passiui non aufert ius dandi locum puellę cupienti ingredi Religionem supranumerarijs. Ad illud axioma: Nemo dat quod non habet: respondetur, non esse necessarium, quod dans tale sit formalitèr, sed tantum virtualitèr, seu ex dispositione votis, Thomasetus Regul. 191. Nauar. consil. 10. de maior. Certum enim est, Episcopum, non Doctorem Theologum, nec Medicum creare Doctores Medicos, & Theologos, item Vocales, non Prouinciales, nec Generales eligunt vtrumque, quod non sunt, non est ergò necesse, quod dans alteri aliquam moralem qualitatem, eamdem in se actu prius habeat, sed sufficit, quod à lege, seu Superiore potestatem, & ius habeat conferendi, seu concurrendi ad dandum talem qualitatem. Sic in proposito, licet Moniales Supernumerariæ non sint locatæ antecedenter ab alijs, nec sint locabiles, tamen nihil prohibet, quin possint locare puellas desiderantes ingredi in loca vacantia, cum ius locandi non proueniat à locabilitate, sed à professione, & consuetudine.

DECISIO CDXLVIIII.

An supradicta consuetudo nominandi sit legitima?

NVlli iuri aduersatur dicta consuetudo, proindè reputanda est legitima, & rationabilis, fundata in iustitia, quæ vnicuique reddit quæ suum est, ex hoc enim rotali giro, vnaquæque Monialis potest successiuè proponere, & nominare puellam sibi benè visam, modò habeat conditiones requisitas ad ingressum. Confirmatur, quia si id munus esset solius Abbatissæ, ea posset suum sanguinem, & cognationem perpetuare in Religione, quod est irrationabile, ad tollendum ergò hoc inconueniens, singulis per orbem successiuè tribuitur hoc ius, quod nulli rationi, nec iuri repugnat.

DECISIO CDL.

An Moniales, quæ de nouo subduntur Episcopo, possint mutare diuinum Officium?

MOniales S. N. Ordinis S. Benedicti ex instituto suæ professionis recitarunt in Choro diuinum officium Monasticum vsque ad tempus, quo permanserunt sub cura Monachorum sui Ordinis, post vero sub regimine Episcopi, qui illis assignat Confessarium Sacerdotem sæcularem, cœperunt vti Breuia-

rio Romano, relicto Monastico.

Dubitatum fuit, an id facere potuerint, cum non desierint esse Moniales sub Regula D. Benedicti, quæ præscribit Officium Monasticum recitandum ab omnibus professoribus vtriusque sexus eiusdem Ordinis. Respondi, id potuisse facere, quod alia ratione non probatur, nisi quia id clarè colligitur ex Bulla Pij V. incip. *Quod à nobis 64.* in Bullario, & in capite Breuiarij, his verbis: *Sic eisdem*, qui scilicet in præteritum vsi sunt alio Breuiario, *Si fortè hoc nostrum, quod modò promulgatum est, magis placeat, dummodò Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in Choro dicere, & psallere possint, permittimus.* Quarè istæ Moniales, si iuxtà hanc formam mutarunt Breuiarium Monasticum in Romanum de consensu Episcopi, & Capituli, benè fecerunt. Et licet, vt audio, id fecerint de solo consilio sui Confessarij, bona fide putantes, id sibi hoc modò licere, non ideò peccarunt, consequentèr sine vllo scrupulo debent prosequi eius recitationem. Vide Bonac. disput. 1. de Horis Canon. q. 3. p. 1. nu. 20. explicantem illa verba. *Et vniuersum Capitulum*, non significare, requiri omnium Canonicorum consensum, sufficit enim maioris partis, sed indicare, hunc consensum ab illis præstandum esse in vnum congregatis. Benè loquitur, sed, si velit, in casibus huiusmodi requiri etiam consensum Capituli Canonicorum, non placet, vt dicam in sequenti.

DECISIO CDLI.

An Regulares volentes mutare Breuiarium proprium, debeant requirere consensum Episcopi, & Capituli?

Regulares vtriusque sexus exempti, volentes vti Breuiario Romano, & dimittere proprium, vt casus contingere potest in Benedictinis, Dominicanis, & Carmelitis, non tenentur petere consensum Episcopi, sed illum requirere habent à Generali, & Capitulo eiusdem, non obstante, quod Bulla vtatur verbo, *Episcopus*, quia hic nomen ibi non sumitur pro potestate ordinis, sed iurisdictionis tantum, ac proindè pro illis Prælatis, qui vti possunt iurisdictione Episcopali, pro qua re vide Sanch. libr. 7. cap. 29. num. 160. & ex illo Pasqualig. q. 159. num. 10. & 11. Quod solidè confirmatur ex alia Bulla in principio Missalis pro mutatione Missæ Monasticæ in Romanam, illis verbis: *Sic, si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curauimus, iisdem magis placeret, de Episcopi, vel Prælati, Capitulique vniuersi consensu, vt quibusuis non obstantibus, iuxtà illud Missas celebrare possint, permittimus.* Patet ergò, id munus spectare etiam ad Prælatum, qui habet suũ Capitulum respectiuè, cum quo habet consentire in vsu Breuiarij Romani. Confirmatur, quia vna constitutio aliam declarat, & lex noua veterem declarat l. Non est dubium ff. de legib. In terminis Nauar. consil. 15. de celebr. Missar. ex eo Compend. Bullar. ad hanc Bullam 106. Pij V. Scholio primo.

Adde, Monialibus in præcedenti casu

casu sufficiebat Consensus solius Episcopi, & Capituli Monialium, non Canonicorum, quia id satis est extraneum à Capitulo Canonicorum, si quidem illa verba: *Vniuersum Capitulum*, specificantur relatiuè ad eas personas, quæ volunt vti Breuiario Romano, vndè, si sunt Moniales subiectæ Prælato Regulari, nomine Capituli veniunt ipsæ Monlales, sicut & quandò sunt suppositæ Episcopo. Si Ambrosiani vellent fieri Romani. tunc nominè Capituli venirent Canonici illius Metropolis cum cœteris Choro obligatis.

DECISIO CDLII.

An Moniales sub Episcopo teneantur ad officia propria sui Ordinis Regularis?

RESpondendum est affirmatiuè, quia per huiusmodi subiectionem non desinunt esse Moniales eiusdem Ordinis, sub quo erant antè, Prælatis Regularibus subiectæ, sed remanent cum eisdem honoribus, & oneribus, ergò cum obligatione recitandi officium, sicut recitabant antè sub cura Regularium. Confirmatur, quia adhuc profitentur eamdem Regulam, & Constitutiones, & gaudent ijsdem priuilegijs, vt probaui Resol.52. quæst.24. Quintanaduenas Tractat.8. de Horis Canon. sing.16. pluribus id probat, ergò tenentur eisdem Officijs, quibus antè, maximè vtentes Breuiario Romano. Nec placet quorumdam opinio asserentium, posse quidem prosequi recitationem, sed non teneri, eò quod non teneantur amplius obseruare statuta, & constitutiones sui ordinis. Siquidem omninò falsum est, Moniales exemptas à Prælatis Regularibus, & suppositas Episcopis non teneri amplius ad obseruantias sui Ordinis, nam adhuc debent profiteri eandem Regulam, & statuta, quia nullo iure liberantur ab illis, nec Episcopus potest illis dare nouam formam profitendi contrariam Regulæ sui Ordinis. Quarè ista suppositio nil aliud operatur, nisi hoc, quod auferuntur à regimine Regularium, & supponuntur iurisdictioni Episcopi in omnibus, quæ Regulæ, & Constitutioni earum non aduersantur, excepta huiusmodi suppositione.

DECISIO CDLIII.

An Religiosi Parochi Ordinum exemptorum à processionibus teneantur procedere cum alijs Parochis?

REligiones nonnullæ ex Recentioribus, vti Theatinorum, Iesuitarum, Carmelitarum Discalceatorum, de Sommascha, & huius generis habent priuilegium non eundi ad processiones, aliqui dictorum Ordinum Religiosi in proprijs Ecclesijs Parochialibus funguntur officio Parochi, & ideò tenentur ad eas omnes processiones, ad quas vocantur Parochi sæculares, & alij Regulares, non obstante exemptione, quæ conceditur toti ordini, & singulis professis, prout spectantur in vnum collecti, & capitularitèr, non autem eisdem prout singulis, qui habentes curam animarum subiecti sunt potestati, & iurisdictioni Episcoporum,

constit. *Dùm intrà*, in Concil. Later. sub Leone X. Tridentino sess. 25. cap. 11. & in 6. cap. 9. de priuileg. consequentèr tenentur accedere ad processiones, ad quas eunt alij Parochi, paritèr ad Congregationem casuum, & ad synodum, de processionibus ego resol. 7. num. 43. de casibus, Nald. ad cap. Peruenit 16. q. 1. Homob. par. 4. consultat. resp. 86. de Synodo sess. 24. cap. 2. Cruz lib. 2. cap. 3. dub. 6. §. Nono, Compend. Rodr. resol. 15. num. 15. Confirmatur, quia isti Religiosi subrogantur in locum Clericorum sæcularium, in quorum iura tàm gratiosa, quàm odiosa succedunt, subrogatus enim sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, idest, subit ea omnia iura, quæ pertinebant ad eum, cui subrogatur, l. Si eum, §. Iniuriarum, ff. Si quis caut. l. 1. §. Hæc actio, ff. Si quis testam. liber. & successor succedit in omnia iura eius, cui succedit, Reg. 46. in 6. l. Si aquæductus, ff. de contrah. empt. Sed Parochus aliàs sœcularis erat subiectus Episcopo quò ad prædicta, ergò, & Religiosus succedens in eius officium. Aliqui timentes perdere exemptionem à processionibus inseruiunt per Sacerdotes sœculares; sed id necessarium non est, quia Religiosus deputatus ad curam animarum non habet incedere ad processiones, casus, & synodum, vt membrum Religionis, sed tantùm sub ratione Parochi, quod est extraneum à statu Religioso, ideò nullum est periculum perdendi exemptionem, preterquàmquod exemptio respicit præcisè corpus, & Capitulum Conuentus, & Collegij, quod nulla ratione cogi potest ad processiones, obstante priuilegio Apostolico.

DECISIO CDLIV.

An Capitulum Sede vacante succedat in priuilegio perpetuo suis Episcopis concesso?

SVprà sub Decis. 441. dictum fuit ex communi sententia, Capitulum succedere, quandò priuilegium est cōcessum iure Pontificio omnibus Episcopis, & subiecti, id verum quoque esse respectu Episcoporum vnius loci, vt in priuilegio doctorandi. Nonnulli hoc negant, vndè probandum est, primò quidem, quia in tantum succedit Capitulum in potestatem Episcopi omnibus datam, in quantum ea potestas dicitur ordinaria, ex allegatis Doctoribus loco citato; sed non minus est ordinaria concessa vni Episcopo, quā omnibus, vt videre est ex gl. Confirmatus, cap. Is cui 42. de elect. in 6. & tradit Puteus lib. 2. decis. 223. & colligitur ex Couar. lib. 3. Variar. cap. 20. nu. 6. vbi iurisdictio data alicui perpetuò à Principe, vel lege, seu Canone dicitur ordinaria, ergò in ea succedit Capitulum. Secundò, Capitulum Cathedralis Neapolitanæ potest creare Clericos saluaticos, sicut poterat Archiepiscopus dum viueret, cum Capitulum etiam in hoc illi succedat ex Nauar. & Riccio tom. 4. resol. 228. & tamen alij Episcopi id non faciunt, signum quod est quid speciale illius ordinarij, ergò Capitulum succedit etiam in specialibus vnius Episcopi, quamvis alijs omnibus Episcopis non competat. Tertiò, iurisdictio consequens priuilegio perpetuo concesso, officio, seu dignitati, ac proindè omnibus successoribus eius dignitatis non dicitur ordinaria præcisè, ex eo quod cōcedatur omnibus,

bus, vel aliquibus tantum in ea dignitate constitutis, sed ex eo, quod perpetuò conceditur illis, quibus conceditur, consequentèr parum refert, quod concedatur omnibus, siuè aliquibus tantum, cum ratio perpetuitatis repetiatur, tàm in vno, quàm in omnibus, quare vbicumque ea reperitur, ibi dicenda est iurisdictio ordinaria transibilis in Capitulum, ac proindè priuilegium perpetuum doctorandi, quod habet Episcopus huius Ciuitatis, transfertur post eius mortem in Capitulum, cum sit iurisdictiò ordinaria perpetuò concessa huic Episcopo, sicut vniuersitas studij huic Ciuitati concessa est perpetuò durabilis. Quartò non omnes Episcopi habent iurisdictionem temporalem, vti feudalem, & tamen Capitulum succedit in huiusmodi administratione, ex adductis à Quar. v. Capitulum sede vacante §. Vlterius, ergò idem dicendum in casu nostro. Quintò, Portellus part. 2. casu 14. Papa gubernationem Monialium S. Claræ Ciuitatis Angrensis commisit Episcopo eiusdem Vrbis, probās, transire in Capitulum sede vacante, ergò potestas hæc concessa talibus Episcopis transit in Capitulum.

DECISIO CDLV.

An contra licentiam negatam agi possit ex opinione?

CApitulum Doctorum non aduertens, probabilē esse opinionem, quod Capitulum sede vacante possit per suum Vicarium creare Doctores, quos Episcopus pro tempore iure cōmuni, & proprio, seu ex priuilegio, aut consuetudine creabat, iuxtà dicta præced. Decis. 440. 441. 442. petijt à sede Apostolica facultatem doctorandi, sed non obtinuit. Quærit modò, an stante opinione Calderini, Hostiensis, & aliorum asserentium Capitulum in id succedere, possit licitè creare Doctores? Ratio dubitandi est; tum quia petendo, & non obtinendo videtur per hoc non habere hoc ius, sibi enim præiudicauit. Tum quia per negationem istam infertur, istam opinionem esse reprobatam; demùm sunt in mala fide, ergò secundum eam operari nequeunt. Sed hæc non obstant. Quare

Respondendum est, Capitulum licitè posse creare Doctores; probatur; Tum quia primò nō aduertit ad hanc opinionem, sed errore putabat necessariam esse licentiam; ex quo ius non amisit creandi Doctores secundum illam opinionem, errans enim non perdit rem suam, l. Si procurator, ff. de acquir. rer. dom. Tum quia per negationem huius facultatis non tollitur facultas Capitulo, quam habebat ex hac opinione, neque enim ea reprobatur, sed tantum negatur petitum, odiosa enim strictè sunt interpretanda. Tum quia, esto Capitulum fuisset eius opinionis, quod Capitulum Canonicorū non succedat in hoc ius doctorandi, benè potest mutare sententiam, & sequi opinionem Calderini, & aliorum valdè probabilis, vt tradunt Doctores, vbi agitur de conscientia, asserentes opinionem ex causa mutari posse, ex cap. Certè 18. 12. q. 1. cap. Vides 3. 23. q. 6. Sanch. lib. 1. cap. 9. num. 19. & 24. Isti autem Domini rationabilem habent causam mutandi sententiam, si quam habent aduersam, eò quòd diu vacet sedes, & sint multi scholares

petentes promotionem, cum finierint sua studia. Et ex his patet ad supra dicta, Papam per negatiuam non abstulisse facultatem illis ex ea opinione, neq; esse in mala fide, quia mutauit opinionem.

DECISIO CDLVI.

An Regulares teneantur ad ieiunium, & abstinentiam à carnibus, quandò dies Veneris incidit in diem Natalis Domini?

Videtur difficultas adeò clarè decisa à Summo Pontifice, ca. fin. de obseru. ieiun. vt alia responsione, & speculatione nō indigeamus, ita enim respondet: *Illi, qui nec voto, nec Regulari obseruantia sunt astricti, in feria sexta, si festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum Ecclesiæ generalis consuetudinem*. Nequeunt ergò Religiosi comedere carnes die Veneris Natalis Domini, quia obseruantia Regularis indicendo eis ieiunium, consequentèr prohibet comestionem carnium. Ita docent omnes ex Sanch. lib. 4. cap. 11. nu. 59. Lezana par. 1. cap. 7. num. 27. Bartolucius super cap. 3. Regulæ S. Francisci, §. Nisi feria sexta, vbi ex Beia, Sylu. Nauar. tenet, Prælatum posse dispensare, quia excellentia huius festi est sufficiens causa exultandi, & lętandi.

Notandum autem est cum Pasqualigo Decis. 225. num. 2. Regularem obseruantiam solùm obstare, quandò sub mortali obligat ad ieiunandum, aut abstinendum à carnibus ratione vitæ Quadragesimalis, non autem quandò astrictio non est sub culpa, quia Papa tollit obligationem iuris communis, & relinquit obligationes speciales, quas non intendit augere. Quarè Franciscani sub prima Regula militantes tenentur eo die Natali ieiunare, & abstinere à carnibus, eò quòd obseruatio illa obliget sub culpa, sicut, & Minimos. Tertij autem Ordinis, tàm Regulares, quàm non Regulares excipiuntur expresśè in Regula Nicolai IV. cap. 7. Leonis X. cap. 3. vbi mentio est etiam de Sabbato, & in statutis cap. 13. Alij verò, quorum Regula exceptionem non ponit, neq; obligat sub culpa ad sui obseruationem, poterunt vesci carnibus de licentia Superioris, qui hoc die benignus esse debet proptèr lætitiam Natalis Christi.

DECISIO CDLVII.

An Superior, qui loquelam perdidit, remouendus sit?

Iura omnia concludunt, electum per superuenientem impotentiam ad exercendum munus suum, non esse remouendum ab officio suo, sed illi dandum esse coadiutorem, ex ca. Scripsit 1. 7. q. 1. ibi: *Nusquam Canones præcipiunt, vt pro ægritudine Episcopo succedatur, & omninò iniustum est, vt si molestia corporis irruit, honore suo priuetur ægrotus*. Cap. Cum percussio 2. 7. q. 1. quia flagellatis afflictio addenda non est, vt ibidem dicitur, cap. Præsentium 3. cap. Pontifices 4. cap. Quamvis 14. ead. 7. q. 1. idem statuitur, cap. de Rectoribus 3. cap. Ex parte 5. cap. Consultationibus 6. de Cler. ægrot. nec oppositum habet cap. Tua nos 4. ibi: *Ab administrationis debet officio remoueri*, idest

ideſt ab exercitio ſui officij remouendus eſt leproſus propter abominationem, non autem à Rectoria. Supradicti textus, licet loquantur de Epiſcopis, & Parochis, tamen intelligendi ſunt de omnibus Superioribus & Prælatis etiam Regularibus, propter identitatem rationis, & quia ita non obſcurè colligitur ex cap. Vn. de cler. ægrot. in 6. extremis verbis. Non ſunt ergò remouendi Superiores electi propter huiuſmodi morbos, niſi velint, ſed patiendi cum ſua infirmitate, ſubſtituendo illis coadiutores. Tambur. tom. 1. diſp. 5. qu. 21. nu. 47. Suar. tom. 5. diſput. 51. ſect. 3. num. 17. Petrus Gregorius lib. 47. cap. 9. nu. 9. Peyrin. de Prælato qu. 2. cap. 4. nu. 23. quicquid dicat Sigiſm. dub. 89. & 102. de elect. ex gl. v. Inſufficientia cap. 1. de renunt. nam in eo capite ſermo eſt de inſufficientia peccaminoſa, non de ea, quæ inducitur ex infirmitate. Quarè benè ſe geſſit quidam Generalis, qui Prouinciali effecto muto dedit coadiutorem eius Diſcretum, ſeu Secretarium; & tandem deſperata ſanitate, quia erat mutus, impotens ad deambulandum, & ad ſcribendum remotus fuit ab officio, & nouus electus.

DECISIO CDLVIII.

An violatum ſit ius ſepulturæ in ſequenti caſu?

D. N. in Eccleſia ordinis N. habet proprium ſepulcrum, admoniti Religioſi dictæ Eccleſiæ de morte ſui filij puberis in eo ſepeliendi, reſponderunt, ſe non poſſe in illo ſero ſepelire, quia impediuntur publicis diſputationibus, ſequenti die aſſiſtent funeri. Interim cadauer ſepelitur in Eccleſia Parochiali, dubitant Patres eius Ordinis, an violatum fuerit ius præfatum in præiudicium ſuæ Eccleſiæ, ac proindè agere poſſint ad reſtitutionem contrà Eccleſiam Parochialem?

Certum eſt, violatum fuiſse ius ſepulcri, ac proindè cogi poſse contrà Eccleſiam Parochialem ad reſtitutionem.

Primum colligitur apertè ex c. 1. de ſepult. vbi quiſque ſepeliendus eſt in ſepulcro ſuorum maiorum, qui non elegit aliam ſepulturam, iſte autem iuuenis, dum viueret, non elegit ſepulturam, ergò de iure ſepeliendus eſt in dicta Eccleſia, & non in Parochiali. Confirmatur, quia licet Parochus habeat ſuam intentionem fundatam in iure ſepeliendi ſuos Parochianos in ſua Parochiali, id tamen intelligitur, quandò mortuus non habebat ſepulcrum ſuorum maiorum, vel non elegerat ſepulturam dum viueret, ex cap. De his 4. cap. Cum ſuper 8. cap. In noſtra 10. de ſepult. Barboſa ad cap. 1. de ſepultur. Lauor. titul. 2. de priſco, & recenti more funer. cap. 11. nu. 33. 44. & 72. & in terminis noſtris, quod cadauer iſtud non poterat ſepeliri in Parochiali, ſed in Regulari tantum in ſepulcro maiorum docent Ioan. Andr. in cap. Licet, de ſepult. cum Gemin. Sylu. v. Sepultura q. 7. quos pro ſe citat Paſqual. Deciſ. 401.

Secundum, quod agi poſſit ad reſtitutionem expreſsè dicitur cap. Ex parte 5. c. Cum liberum 6. de ſepult. & cap. 1. eod. in 6.

DE-

DECISIO CDLIX.

An causa violati sepulcri inter Regulares agenda sit Coram Episcopo?

QVandò Regulares arripiunt cadauera inter se, causa restitutionis agitur coram Ordinario Episcopo, vel Capitulo, eo mortuo, non coram Conseruatore. Probatur, tum quia hæc causa tangit iura sepulturæ, & Parochialia, nam de iure communi quisque sepeliendus est in Parochiali, gl. in qu. 2. causa 13. cap. 1. v. Nunc autem, nisi alibi elegerit sepulturam, quod dicitur speciale priuilegium gl. Additio cap. 1. de sepult. in 6. Sed causæ Parochiales deciduntur coram Episcopo, qui est ordinarius in causis huiusmodi ex cap. Vbicumq; 6. cap. Questa est 12. cap. Præcipitandum 15. cap. Qui diuina 28. 13. q. 2. Host. in Sum. de iurepatr. §. fin. ergò & hæc nostra. Tum quia ex Rituali in tit. de Exeq. §. Nullum, Episcopus dat licentiam transferendi cadauer de loco ad locum, ergò & in hoc casu, in quo debet fieri necessario huiusmodi translatio, si velit pars offensa. Ex his deducitur, Sede vacante succedere in hac causa Vicarium Capitularem, ad quod faciunt tradita superius sub Decis. 441. nam Capitulum succedit in iurisdictionem Episcopo competentem iure proprio, & communi, vt in casu præsenti. Ex quo etiam colligitur, id munus non posse spectare ad Conseruatorem, cuius est non conuenire Regulares in causis Parochialibus.

DECISIO CDLX.

An sepulturam elegisse dicatur infirmus postulatione habitus Religiosorum?

REspondetur affirmatiuè, quia in Bulla Sixti IV. apud Confect. fol. 65. & in alia fol. 71. id habetur illis verbis: *Qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu.* Licet postulatio habitus ex natura rei adiunctam non habeat electionem sepulturæ, id tamen operatur dispositio priuilegij posita illa declaratione facienda à Superiore concedente habitum, in cuius Ecclesia per hoc se obligauit ad sepeliendum. Et in hoc nulla difficultas, cum verba satis clara sint. Vide hoc idem dictum à me Resol. 51. q. 20. fol. 6.

DECISIO CDLXI.

Electio sepulturæ quot modis contingat?

CErtum est iure communi, eum, qui non habet electionem sepulturæ, sepeliendum esse in sua Parochiali, ex communi Doctorum in cap. 1. de sepult. & in cap. 3. eod. in 6. Electio autem sepulturæ contingit quinque modis.

Primò constructione, institutione, seu fundatione sepulcri, & dicitur sepulcrum maiorum, quod scilicet vnus ascendentium elegit sibi, & pro suis descendentibus, seu successoribus, aut familiæ, colligitur ex cap. Ebron. 2. cap. Vnaquæque 3. ibi: *Soror beati Bene-*

Benedicti sepulta est in sepulcro, quod ipse sibi præparauerat. cap. Placuit 7. 13. q. 2. cap. 1. de sepult. cap. Is qui 3. de sepult. in 6. Rodr. tom. 3. q. 58. art. 8. Olorad. consil. 25. Sepulcrum autem hoc præfertur Parochiali, ex cap. Licet 4. eod. in 6. nec obstat dictio, *vel*, fauore Parochi, quia electio non spectat ad ipsum, sed ad parentes defuncti, in quo sensu intelligendus est etiam textus cap. præcedentis, ibi: *In sua Parochiali, vel in ea potius, in qua maiorum ipsius ab antiquo sepultura extitit*. Præferendum est ergò sepulcrum maiorum Parochiali; tum quia in illo priori textu præfertur; tum quia in secundo textu, licet prius nominetur Parochiale, additur tamen dictio, *Potius*, indicans comparationem, hoc est, electionem magis esse referendam ad sepulcrum maiornm. Ita Ioan. Andr. & Gemin. in dicto cap. Licet, cum illis Pasqual. decis. 401.

Secundò electione propriæ voluntatis, quod fieri potest à quolibet pubere habente vsum rationis, & non prohibito, quales sunt solum Religiosi, ex cap. fin. eod. in 6. vndè omnes alij eligere possunt, etiam vxor, ex cap. De vxore 7. eod. vbi etiam de minoribus puberibus, pro quibus pater non eligit, iuncto cap. Licet 4. eod. in 6. Electio hæc præfertur electioni præcedenti, quia per speciem derogatur generi.

Tertiò electione alienæ voluntatis, qua Superior Regularis eligit sepulturam suis subditis. Pari ratione pater non de iure, sed tantùm de consuetudine, vbi viget, eligit sepulturam suis filijs impuberibus, ex cap. De Vxore 7. eod. iuncto cap. Licet 4. eod. in 6. Statutum hic Parmæ est, vt pater filio infanti eligat sepulturam, in synodo D. Cornazani felicis memoriæ, ergò adest consuetudo firmata, nomine infantis venit impuber, nam statuta recipiunt interpretationem à iure communi, Barr. in l. Omnes populi. ff. de iu. & iure num. 8. Curt. Iun. consil. 7. nu. 8. Cephal. vol. 2. consil. 210. num. 13. *Intellige primò*, respectu filiorum etiam illegitimorum, & adoptiuorum, quia, licet nomine filiorum non veniant illi quò ad honores, & successionem, tamen non excluduntur quò ad præsentem casum, qui est opus pietatis, & misericordiæ, quò ad illegitimos singulariter id sustinet Pasqual. Decis. 398. contra Sylu. v. Sepultura q. 7. & Asinium. De adoptatis idem Decis. 403. *Intellige secundò*, electionem factam à patre valere, & posse sortiri suum effectum, si filius moreretur post impubertatem, sepultura non electa, quia ab initio fuit valida electio, ita quod destrui non potest, nisi per actum contrarium voluntatis filij, oppositum tamen docent de Vbaldis, Nau. Lauor. quos sequitur Pasqual. Decis. 390. ea ratione, quia electio facta à patre est pro eo tempore, quo filius non potest propria voluntate sibi eligere sepulturam, quare, cum factus pubes possit id facere, cessabit electio paterna; quod falsum est, quia actus positiuus debet destrui per aliū positiuum, de quo non constat. *Intellige tertiò*, electionem paternam non habere locum, quandò fœmina excessit duodecimum, & masculus decimumquartum, tunc enim dicuntur puberes, ex Instit. Quibus modis tutel. fin. cap. Puberes 3. de desponſ. impuber. In terminis Portell. par. 2. casu 68. num. 2. vbi num. 3. subdit, Patrem posse eligere sepulturam filio etiam puberi,

beri, ex cap. De vxore 7. eod. quia ibi mentionem facit de minoribus generalitèr, quo nomine veniunt etiam puberes, sed non vidit alium textum in cap. Licet 4. eod. in 6. restringentem illam dictionem, *Minores*, ad impuberes tantum, quibus ex consuetudine, si adest, potest pater eligere sepulturam, non verò, si non adest, quia nullo iure patri conceditur hæc facultas, quod non benè aduertit ibidem Portellus. Quarè, cum puberes plenum rationis vsum habeant, non erit in potestate patris eligere illis sepulturam, cum electio paterna in tantum sit consuetudine inducta, in quantum supplet defectum filij impuberis carentis pleno vsu rationis necessario ad electionem sepulturæ. Electio hæc paterna præfertur electioni ex fundatione, & Parochiale. An mater, & alij loco patris mortui possint eligere sepulturam impuberibus? De matre concedunt ferè omnes, quos citat Pasqual. Decis. 393. Consanguinei, & affines paritèr, gl. v. Vel in Parochiali, cap. Licet, de sepul. in 6. Gratian. Disceptat. 94. num. 80. Pasqual. Decis. 394. Tutor quoque contrà communiorem idem Pasqual. Decis. 395. Ratio communis est, quia isti sunt loco patris, qui, sicut poterat ipse ex eo, quod impuber caret pleno rationis vsu, ita & subrogati in eius locum idem præstare poterunt, cum impuber defectu patris defuncti non receperit plenum vsum rationis, ac proindè eodem priuilegio gaudeat sub istis.

Quartò contingit electio sepulturæ postulatione habitus Religiosi, provt dictum fuit in præcedenti Decisione. Et ista electio supradictis præfertur, & Parochiali.

Quintò contingit ex Collegio, arte, seu Confraternitate, solent enim corpora politica construere sibi sepulcra prò suis Confratribus, & Consororibus conscriptis in Collegio, arte, seu Confraternitate. In nostra Ecclesia S. Mariæ Quarterij Parmę Confratres, & Consorores famulorum Fornariorum sibi construxerunt duo sepulcra, vnum pro masculis, alterum pro fœminis. Huiusmodi electio prefertur omnibus supradictis, excepta quarta, quę, cum fundetur in priuilegio, Pontificio cæteris anteponenda est.

DECISIO CDLXII.

An hospes Laicus infirmus intrà Claustra recipiat Sacramenta à Religiosis?

REligiosi N. legitimè ministrarunt Sacramenta Viatici, & Extremæ Vnctionis, cum sepultura cuidam aduenæ casu infirmanti in suo Monasterio. Primò, quia instabat necessitas recipiendi huiusmodi Sacramenta ex parte laborantis in extremis; id autem charitatis officium non poterat præstari à Parocho, quia intrà clausuram nullum ius habet, Abbas in cap. Dilectus, de Capell. Monach. num. 3. & 11. & in cap. Ad audientiam, de Eccles. ædif. num. 8. Calder. consil. 6. num. 1. ergò id legitimè factum fuit à dictis Religiosis. Secundò; Dictus hospes nulla ratione est subditus Parocho, quia aduena, in tantum fit subditus Parocho, in quantum reperitur in aliqua domo subiecta suæ Parochiæ, vt notum est, alitèr dicere possemus, quod aduena hospitans in vna Parochia sit subiectus alteri Parochiæ, quod dicere falsum

sum est, & ignorantis, sed Monasterium non est domus de Parochia, quamuis sit situatum in Parochia, Graff. part.2. lib.3. cap.27. num.107. ergò, cum iste hospes non dicatur subditus, non potest recipere Sacramenta, nisi à Religiosis, quibus subditur in hoc, quia ibi moratur, & habitat, vt hospes. Tertiò, Parochus non administrat Sacramenta etiam suis ouibus extrà suam Parochiam infirmis, quia eius potestas non excedit spheram suæ actiuitatis; sed iste hospes, esto aliàs esset ouis de suo grege, est extrà Parochiam, nam locus exemptus, & extrà Parochiam æquiparantur, & pro eodem censentur, Ioann. Andr. in Clem. de foro compet. v. Quia nomine, Roland. consil.33. nu.23. lib.3. Cochier. p.2. de iurisd. ordin. in exempt. q.1. Canonistæ in cap.1. de constit. ergò nullum ius super ipsum habere poterat. Hoc idem docui Resol.20. num.18. fol.225. in terminis docet Peyrin. tom.1. priuileg. ad constit. primam Iulij II. num.92. 93. & 94.

DECISIO CDLXIII.

An Religiosus appellet à Protectore ad Legatum à Latere?

QVidam Religiosus sentiens se grauatum à suo Protectore, ab eo appellat ad Legatum de latere. An teneat ista appellatio? Facit pro Legato, & appellante, quia in eius patentibus litteris Legationis adest hæc clausula: *Cum potestate cognoscendi quamcumq; causam Ecclesiasticam, etiam per viam appellationis à quocumque Iudice Ordinario, etiam delegato interposita*. Protector autem est iudex quidem Ordinarius, sed delegatus à Sede Apostolica, ergò tenuit appellatio. Quibus tamen non obstantibus.

Dico, inualidam fuisse appellationem. Probatur, Tum quia appellatio est prouocatio à minori Iudice subdito ad maiorem, & Superiorem vtriusque, tam iudicis, à quo fit appellatio, quam appellantis, cap. Anteriorum 25. 2. q.6. gl. v. Ad quem cap. Liceat 1. ead. debet enim maior iudex emendare grauamen minoris Iudicis, vti sibi subiecti, sed Protector nulli Legato est subiectus, cum, tamquam Cardinalis, & Protector, à solo Papa dependeat in protectione, ergò non tenuit appellatio, vtque fuit facta ad non iudicem Protectoris. Tum quia Appellatio apud Regulares fit gradatim à Priori ad Prouincialem à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, ab his ad Sedem Apostolicam, ex Gregor. XIII. Bulla 27. *Quoniam*, & apud. Quar. v. Monasteria, ego Resol.32. qu.6. fol.365. & est conforme iuri, quod à delegato Papæ, vti est Protector, Lezana tom.2. cap.9. num.5. recurritur ad Papam, cap. Super 27. §. fin. de off. deleg. Idem Lezana in terminis cit. num.15. pro Carmelitis. Tum quia appellatio non fit inter Iudices pares, ex cap. Dilecti 2. de appell. gl. v. Si non possunt, c. Super cit. Bart. in l.1. ff. de Appellation. in princip. quia par in parem non habet imperium, l. Nam, & Magistratus ff. de arbitr. cap. Innotuit 20. de elect. ac proindè, cum non possit cogere Iudicem à quo sibi parem ad tollendum grauamen, inutilis est appellatio, Protector autem, & Legatus à late-

latere pares sunt, quia ambo Cardinales, ambo delegati à Papa, ergò inter ipsos non cadit appellatio. Tum quia indecens est, Cardinalem à Cardinali iudicari, ex quo Paulus IV. Bulla 8. incip. *Cum sapius*, statuit Cardinales ab alio, quam à Sede Apostolica, non esse iudicandos, ergò neque Protector in hoc casu iudicandus erit à Legato, an sententia ab eo lata contra illum Religiosum contineat grauamen, & iniuriam. Ad illam clausulam dicendum est, nomine *Ordinarij etiam delegati*, venire quoscumque alios non Cardinales, habent enim elegantissimum nomen, & digni sunt propria expressione, de qua cum non constet ex ea clausula, ideò non comprehenduntur sub illis generalibus terminis, argum. eorum, quæ habet Lezana tom. 3. v. Cardinales num. 8.

DECISIO CDLXIV.

An Confessarius Regularis debeat esse trigenarius?

NEque iure communi, aut Bulla aliqua Pontificia, seu Decreto Sacræ Congregationis, qui vult fieri Confessarius debet habere ætatem triginta annorum, nam in iure communi, vbi de Pœnitentia, vel in Clem. Dudum de sepult. vel in Tridentino, vbi de examine eorum, ne verbum quidem de ætate, neque statuto aliquo Pontificio id decernitur, ergò afferendum non est arg. cap. Consulnisti 18. 2. q. 5. Cap. fin. 31. quæst. 1. Cap. 2. de translat. Episcop. Sufficit ergò ætas requisita ad Sacerdotium, videmus enim, Sacerdotes Parochos statim ac sunt in Sacerdotio constituti, alia ætate non spectata audire in Confessione suas oues, quod idem dicendum est de quibuscumque alijs Sacerdotibus, qui admitti possunt ad Confessiones audiendas, siue sæcularium, siue Regularium, non obstante minori ætate triginta annorum.

Dixi iure communi, quia loquendo de iure speciali Synodorum, Episcoporum, & Constitutionum Regularium non habeo certam scientiam, ideò vnusquisque legat ea, quæ ad se spectant.

An autem Religiosus volens audire Confessiones sæcularium, subdatur huic decreto Synodali Episcopi? Respondetur affirmatiuè, quia in hoc subditur Episcopo, qui non intendit derogare Decreto Synodi. Confirmatur, quia ab Episcopo debet cognosci idoneus, non tantum quò ad scientiam, sed etiam quò ad personam, debet enim Confessiones auditurus esse multum expertus, & prudens ad consulendum animæ pœnitentis, à Synodo autem censetur idoneus, & prudens ad id munus Sacerdos constitutus in anno trigesimo, ergò subditur in hoc Synodo, si non directè, & immediatè, saltem ex eo, quod Episcopus vult obseruationem sui Synodi, ac proindè ex hoc capite præcisè defectus ætatis potest reijcere Sacerdotem Regularem ab examine ad Confessiones sæcularium.

DECISIO CDLXV.

An concionator electus ab Episcopo possit remoueri à suo Superiore Regulari?

EPiscopus pro sua Ecclesia Cathedrali in hac Quadragesima elegit, & nominauit in Concionatorem P.Fratrem N.Generalis hoc audito nõ vult, vt ibidem prædicet, quia Episcopo intendit concedere alium Prædicatorem æquè bonum, & idoneum, sicut alter. Regulares illius Ciuitatis per orbem, & circularitèr singuli suo anno in ea Cathedrali funguntur hoc officio, sempèr Episcopo eligente, & nominante regularitèr, quem vult prædicare. Dubitatur, an Generalis id facere possit?

Respondetur negatiuè, quia licet Generalis habeat ius, & vnus prædicator sui Ordinis concionetur in Cathedrali suo anno regularitèr contingente, conseruando ius hoc, & rotam, vt aiunt pro suo ordine, non ideò tamen ad ipsum spectat eligere, aut nominare sui Ordinis Concionatorem, qui sibi placeat, sed id omninò est ius Episcopi, cui Generalis facit iniuriam, dum loco electi vult alium, licet æquè idoneum, dare; siquidem Generalis ad duo tantùm tenetur, ne ius suum amittat; primò, si Episcopus velit attentare peruersionem Ordinis, aut excludere suam Religionem, Generalis debet procurare, vt Religio, seu ille Conuentus manuteneatur in sua possessione concionãdi suo tempore; secundò debet tradere illi Concionatorem, quem vult. Confirmatur, quia, sicut Episcopus non potest eligere Concionatorẽ pro Ecclesia Regulari, sed id munus spectat ad Superiorem Regularem, ita vice versa Generalis non potest eligere Cõcionatorem sui Ordinis pro Ecclesia Cathedrali, in qua nullum pœnitùs habet ius. Quod si Generalis velit vti eo Concionatore pro sua Ecclesia, forsan, quia caret alio, debitum vrbanitatis postulat, vt petatur ab Episcopo, alitèr dat occasionem perdendi ius hoc circulare.

Quibus non obstantibus, Generalis prohibuit illi concionem in ea Cathedrali sub pœna suspensionis à munere prædicandi, intendens mittere alium prædicatorem; suam habens intentionem id faciendi fundatam in Constitutionibus, quæ tale Decretum continent: *Duplicem Concionatorum Classem instituimus, qui in nostri Ordinis locis eis à Generali Ministro assignandis, & Prouincialium, qui in locis eis à Prouincialibus paritèr assignandis, Conciones, seruatis seruandis, publicè populis habeant*. Loca autem sunt, Assisium, Roma, Viterbium, Venetia, Parma, Burgum S. Donini, &c. Generalis ergò assignat Prædicatores in locis prædictis sui Ordinis. Sed nescio, qua ratione ex vi huius Constitutionis Generalis prohibet huic Concionatori sui Ordinis, vt non prædicet in Cathedrali N. cum hæc Cathedralis, vt notissimum est omnibus, non sit locus huius Ordinis, sed Episcopi, & Canonicorum sæcularium, illud enim Decretum manifestissimè loquitur de Concionatoribus, quos Generalis ius habet assignandi in locis sui Ordinis, hoc est, in Ecclesijs suis Regularibus sitis in prænominatis Ciuitatibus. Quarè iste Concionator vocatus, quod idem dicitur, si ipse petijsset, à Vicario Generali dictæ Cathedralis, sentiens se in hoc grauatum cui-

euidentèr, & sine vlla dubitatione, potest appellare ab illa comminatoria suspensione, nam etiam Regularibus manifestè grauatis datur appellatio ad Sacram Congregationem, vt docent omnes iuxtà quod dixi resol. 32. & hanc appellationem prętèr grauamen iustificat periculi sublatio perdendi girum prædicandi in ea Cathedrali, facilè enim perderetur, si Generalis tentaret mittere alium Concionatorem à se assignatum. Quarè penatorem à se assignatum. Quarè petitus Concionator à Vicario, non obstante suspensione comminata per interpositam appellationem, poterit cõcionari in ea Cathedrali, quia ex communi omnium doctrina, appellatio duos habet effectus, vnum deuolutiuũ causę ad Superiorem, ad quem fuit appellatum, alterum suspensiuum facultatis, & potestatis Iudicis, à quo fuit appellatum; itavt in casu nostro non possit Generalis declarare, hunc Concionatorem esse ipso iure suspensum, ex dictis Resol. 78. num. 213. & 214. Quarè prædicando eam suspensionis pœnam non incurrit; quia appellatio excusat ab incurrenda censura, ca. Prętereà 40. cap. Pastoralis 53. de appellat. vbi dicitur, quod appellatio eximit prouocantem à potestate Iudicis, à quo appellatur, & ita de censuris docent omnes, quos pro se citat Sayr. lib. 1. ca. 16. & ex eo Bonac. de censur. q. 2. p. 2.

Addo prædictis duo, Generalem mittendo alium Prædicatorem, quem non vult acceptare Episcopus in Ecclesijs sibi subiectis, facere expresśè contrà suam Regulam, cap. 9. sic dicentem: *Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum*. Certum autem est, in casu nostro Episcopum contradictum, quia Episcopus non intendit, neque vult, extraneos sibi vsurpare sua iura, maximè Regulares, intèr quæ cõputatur ius eligendi, & vocandi concionatores ad suas Ecclesias. Alterum est, Generalem non posse prætendere specialem licentiam singulis annis petendam à Concionatoribus volentibus prædicare in locis expressis in dicto Decreto Constitutionum, loquẽdo respectu Ecclesiarum sæcularium, quia id tale non exprimitur, nec colligitur ex dictis Constitutionibus, quæ præcisè loquuntur tantùm de Ecclesijs Regularibus subiectis Generali, & non de sæcularibus, quæ sunt subiectæ Episcopo. Præterquamquòd, neque huiusmodi petitio licentiæ prædicandi in proprijs Ecclesijs est necessaria ex vi illius Decreti, nam sermo est de assignatione locorum facienda à Generali, cuius est vnicuique Prædicatori assignare vnam ex Ecclesijs sui Ordinis positis in Ciuitatibus, vel locis in eo Decreto expressis, non autem de petitione, quod est quid diuersum. Quarè aliquis Concionator potest hic Parmæ concionari in sua Ecclesia S. Francisci sine noua licentia, si Generalis nulli assignauit eam Ecclesiam, Generalis ergò sibi reseruat hoc ius magis respectiuè ad Prouinciales, & alios Superiores, quàm relatiuè ad ipsos Concionatores, qui non assignati possunt concionari sine speciali licentia in Ecclesijs assignabilibus nulli assignatis.

DE

DECISIO CDLXVI.

An venditio distrahat locationem?

PEtrus locauerat suam domum Paulo ad quinquennium, in secundo anno dictus Petrus eam domum tertiò vendidit, in instrumento nulla fit mentio de locatione, vndè Conductor sibi instanti emptori de finita locatione respondit, se velle permanere in conductione domus vsque ad præfixum tempus. Quæstio igitur est, an venditione distrahatur conductio, & consequenter conductor debeat recedere à domo?

Respondetur, per illam venditionem non finiri conductionem, sed posse conductorem permanere in domo, à qua expelli non potest, nisi velit; ratio est, quia nemo plus iuris in alium transferre potest, quam sibi competere dignoscatur Reg. 79. in 6. & ff. eod. reg. §. Sed venditor non habet vsum domus, cum illum Paulo locauerit ad quinquennium, ergò illum non potuit transferre in emptorem, consequenter non fuit distracta, & finita locatio. Quarè cautio est adhibenda pro emptore, vt statim possit domum ingredi, cogendo venditorem, vt in ipso contractus instrumento intersint conductores iuri suo renuntiantes, aliter facilè moueri potest lis inter partes, quandò conductor non vult recedere à domo.

(·.·)

DECISIO CDLXVII.

An vt ratificatio professionis teneat, necessarium sit, quod perseueret consensus Conuentus?

NOn tenuit ratificatio professionis nullitèr alias emissæ ob metum cadentem in constantem virum, facta per Monachum N. nouo non accedente consensu Monasterij, quia prior consensus ab initio professionis inualidæ distractus, & reuocatus censetur per diuersas litteras Monachorum transmissas ad Superiorem, in quibus illum rogabant, vt exueretur ille inualidè professus habitu Religioso. Ratio est, quia licet ex communiori opinione verisimilitèr viciniori veritati, ad ratificationem non requiratur nouus consensus ex parte Monasterij, cum antiquus sufficiat, prout probaui Resol. 57. q. 26. in casu tamen præsenti necessarius est, quia ex illis litteris apparet, antiquum fuisse distractum, consequenter huiusmodi ratificatio nihil operatur, cum nullus extet consensus, neque vetus, neque nouus ex parte Monasterij.

Sed numquid sufficit quælibet reuocatio, & maximè priuata per hunc, & illum Monachum singillatim facta? Respondetur negatiuè, sed requiritur capitularis reuocatio, ratio est, tum ex illo communi axiomate; Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; sed professio ex parte Monasterij consurgit ex cōsensu Capitulari, ergò & ex dissensu Capitulari remanet nullus, seu impeditur, ne sortiatur suum effectum, tam in primo actu, quàm in ratificatione. Tum

quia actus eodem modò destruitur, quo construitur, l.2. C. Si aduers.donat. Authent. contrà C. de repudiat. Menoch. consil.1095. num.24. Surd. decis.128. nu.14. Tum quia, si quilibet singulariter posset reuocare consensum Capitularitèr præstitum, facilè impediretur via ad ratificationem professionis ex parte nulliter professi, quod est inconueniens obstare bonæ voluntati eius, qui intendit illam ratificare. In terminis dissensus, & reuocationis huius Capitularis respondet Rota Roman. in causa Monialis, Franciscæ Corunellæ, Decisionem extendit Diana par.6. Resol.14.in fine. Consensus autem Capitularis ideò requiritur, quia agitur de stipulatione contractus, qualis est etiam professio, vt omnes docent, ergò celebrandus est more aliorum contractuum, in quibus præstatur consensus à contrahentibus simul vnitis, & quasi Capitulariter Congregatis, ex quo simul conueniunt conuocati ad idem negotium peragendum. Tum quia Capitularis consensus deducitur ex fine Nouitiatus inducti, vt iuuenis experiatur asperitates Monasterij, & Monasterium probet illius mores, cap. Ad Apostolicam 16. de regul. dicit *Monasterum* loquendo non de hoc, vel illo professo, sed de omnibus, sub nomine collectiuo, insinuando, recipiendum, vel reprobandum esse Nouitium Capitulari iudicio, & non per singularia. Ita dicta Decisio colligit ex Nau. consil.9. nu.12. de constit. Rodr. tom.3. q.17. art.7. Lapo allegat.31. Sanch. lib.5. cap.4. qu.2. nu.65. Pasqual. q.34. nu.4.

Valida ergò fuit ratificatio, si reuocatio consensus prioris facta fuit priuatim, & non solemniter, quia in hoc casu adhuc perseuerat Capitularis consensus non distractus per illas litteras priuatas, si enim illi Monachi nolebant habere in socium, debebant solemniter reuocare consensum antiquum antè ratificationem, modò contrà ipsum amplius reclamare non possunt.

Aduertat Conuentus, qui intendit reclamare contrà nulliter professum, ne sua intentione frustretur, antèquam incipiat agere contrà talem Religiosum, debere reuocare consensum primò præstitum in professione inualida, ne eludatur per professum via ratificationis coram testibus factæ, deinceps enim non potest expelli.

DECISIO CDLXVIII.

An priuilegium Clement. Dudum, *pro Confessarijs Regularibus modò subsistat?*

QVod est quærere, An Religiosus præsentatus pro Confessionib. sed iniustè ab Episcopo non admissus, possit adhuc audire Confessiones? Negant Suarez, Pitigianus, Filliucius, Coninchus, Barbosa, Syluius, Vasquez, Sancius, Reginaldus, Fernandez, quos citat Diana resolut.24. de Regular. & sequitur par.6. tract.7. resol.60. quibus addit. Patrem Lugum, Adde Fabrum disp.30.de Pœn. num.28. & Tambur.tom.2.disput.12. num.6. Megalium lib.1.cap.15.nu.6. Affirmant, Regularem nihilominus posse excipere Confessiones, isti, Rodriquez, Sotus, Graffius, Angelus, Vega, Cenedus, Henriquez, Layman.

Fa-

Fagundez, Cochier, Finellus, Villalobos, Peyrinus, Miranda, Cruz, quos idem Diana contrà se citat, & addit eadem Resol.60. Celotium, Baunium, Celestinum, & Gammacheum, qui sunt decemnouem, priores quindecim.

Prior opinio omninò practicanda est, nempè Confessarium, etiam iniustè reiectum, non posse excipere confessiones, posterior verò non est tuta, neque proindè practicanda. Probatur vtrumque vnica ratione, nam prior opinio habet pro se fundamentum in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 15. vbi decernitur, nullum Sacerdotem etiam Regularem posse fungi hoc officio, nisi priùs sit approbatus ab Episcopo, ergò ab eo reiectus non potest excipere confessiones sæcularium. Posterior verò opinio fundat se in Clem. Dudum, in qua Sacerdotes Minorum, & Prędicatorum ex odio reiecti ab Episcopo, habentur pro approbatis, quę Clementina non est reuocata, dicunt illi, per Decretum Concilij. Et probant; tum quia generi per speciem derogatur, Decretum Concilij est generale, & Clementina specialis, ergò Clementinę per Tridentinum non fuit derogatum. Tum quia constitutio posterior generalis, vt est hæc Tridentini, sæpè limitatur, & interpretatur per priorem antiquam etiam specialem, vt est Clementina. Tum quia expedit iura iuribus concordare, & ius antiquum debet permanere, vbi expresè non apparet fuisse mutatum. Aliæ rationes ad has reducuntur, quæ sunt iuris axiomata, quæ multas exceptiones patiuntur, vt videbimus ea resoluendo, ex quo apparet, quam debili fundamento fulciatur hæc opinio respectiuè ad priorem fundatam in formali Decreto Tridentini derogante omninò Clementinæ, vt constabit; tum ex rationibus, tum ex dilutione, & intelligentia dictorum axiomatum; priùs autem præmittenda sunt verba Clementinæ, & ea singillatim considerandа sunt cum ordine ad Decretum Tridentini, & praxi, quæ nunc seruatur in pręsentandis Confessarijs. Clementinæ verba sunt.

Ordinamus auctoritate prædicta, vt in singulis Ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus loca Fratrum ipsorum consistere dignoscuntur, vel in Ciuitatibus, & Diœcesibus locis ipsis vicinis, in quibus loca huiusmodi non habentur; Magistri, Priores, Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij; Generales, & Prouinciales Ministri, Custodes Minorum, & Ordinum prædictorum ad pręsentiam Prælatorum eorumdem locorum se conferant per se, vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humilitèr petituri, vt Fratres, qui ad hoc electi fuerint in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus Confessionem subditorum suorum confiteri sibi volentium audire liberè valeant, & huiusmodi confitentibus, prout secundum Deum expedire cognouerint, pęnitentias, &c. Ac deindè eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vita probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium, & officium exequendum; quas sic ab ipsis electas pręsentent, vel faciant prępsentari Prelatis, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Diœcesibus, & Ciuitatibus eorumdem huiusmodi personę sic electæ confessiones confitere sibi volentium audiant, &c. Numerus autem personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum esse debet, prout vniuersitas Cleri, & populi multitudo,

vel paucitas exigit eorumdem. Et si ijdem Prælati petitam licentiam confessionum huiusmodi audiendarum concesserint, illam præfati Magistri, Ministri, & alij cum gratiarum recipiant actione; dictæq; personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur. Quod si fortè iam dicti Prælati quemquam ex dictis Fratribus præsentatis eisdem ad huiusmodi officium nolunt habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto, vel subtracto, loco ipsius similitèr eisdem præsentandus Prælatis possit, & debeat alius subrogari. Si verò ijdem Prælati præfatis Fratribus ad confessiones, vt præmittitur, audiendas electis, huiusmodi exhibere licentiam recusauerint, nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentium, liberè, licitèq; audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impartiri gratiosè concedimus de plenitudine potestatis.

Quatuor hinc colliguntur necessaria, vt Sacerdos Regularis audiat confessiones sæcularium, Electio Sacerdotum idoneorum; Numerus respectiuè ad multitudinem fidelium; Præsentatio electorum coràm Episcopo; & cōcessio licentiæ Episcopi. In casu autem recusationis huiusmodi licentiæ, (& id facit ad præsentem difficultatem) subrogandus est alius Sacerdos electus in locum recusati, & reiecti, cui subrogato Papa concedit licentiam, quandò Episcopus reijceret, & hunc subrogatum. Itaque primò reiectus talis remanet, & alter eius loco positus gaudet hoc priuilegio audiendi confessiones sæcularium, & nullatenus ille, & id clarum est ex textu. Itaque applicando ad præsentem difficultatem, si Episcopus reijciat aliquem Regularem à confessionibus, remanet reiectus simplicitèr, non solum ex vi Decreti Tridentini, verùm etiam ex Clementina, quæ priuilegium applicat præcisè subrogato in locum reiecti, vndè tota difficultas reducitur ad subrogatum, si præsentetur iuxtà tenorem Clementinæ, & reijciatur ab Episcopo, an remaneat simplicitèr expulsus, vt talis censeri debeat ex Tridentino; an verò, expulsione non obstante possit se tueri priuilegio Clementinæ, & excipere confessiones.

Dico, Clementinam nullatenus posse suffragari, sed esse reuocatam per Tridentinum, consequentèr reiectum ab Episcopo talem remanere, & nullo modo posse audire confessiones. Pro cuius probatione referenda sunt verba Concilij, vt magis appareat veritas huius reuocationis. Concilium sess. 23. cap. 15. ita decernit.

Decernit S. Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quę gratis detur, obtineat; priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus. Ex consideratione horum verborum apertè colligitur reuocatio Clementinæ.

Primò namq; spectemus illam dictionem vniuersalem, *Nullum*, quæ facit propositionem vniuersalem, ac proinde excludit non solum Sacerdotem electum, sed etiam reiectum, & subrogatum, nam ea excludit omnia, & tàm principale, quàm accessorium, & secundarium, seu subrogatum, vt docent Panorm. in cap. Ad nostrum, de elect. nu. 5. Corneus vol. 2. consil. 70.

70. num. 12. Gozadin. consil. 91. nu. 23. Barbosa alios citat. Dict. hac 229. ergò negata approbatione quilibet ex dictis præsentatis etiam subrogatus remanet reiectus, ac proindè reuocatum priuilegium Clementinæ. Confirmatur, quia propositio vniuersalis, vt est hæc Tridentini, magis extenditur, quam indefinita, & tantam vim habet, vt includat etiam ea, quæ alias non comprehenderentur, ac operatur tantum, quantum, si singula forent enumerata, gl. in l. omnes C. de præscript. 30. annor. Bursatus vol. 4. consil. 364. nu. 14. Nauar. consil. 9. de ijs, quæ vi, num. 5. & consil. 5. de statu monach. Quarè hæc propositio Tridentini. *Nullum Sacerdotem Regularem posse audire Confessiones, nisi approbationem obtineat*, comprehendit non solum electum, sed etiam reiectum, & subrogatum, ita quod nullus istorum potest exercere id munus, nisi sit approbatus ab Episcopo, ergò ex vi huius vniuersalis est reuocata Clementina.

Secundò, hæc eadem veritas deducitur ex sequenti particula. *Etiam Regularem*, quæ comprehendit casum magis dubitabilem, & communissima Doctrina cunctorum, quos refert Barbosa hac eadem dist. 112. etiam in odiosis ex allegatis Doctoribus per ipsum ibidem, & Bald. consil. 209. incip. Illa verba nu. 2. dicit, quod ita ampliat dispositionem, vt non possit importare restrictionem, consequenter in casu nostro ampliatur ad quemcumque Religiosum, siue electum, siue reprobatum, siue subrogatum, vt non possit audire Confessiones, nisi obtenta approbatione, ergò per Tridentinum excluditur priuilegium Clementinæ fauore subrogati inductum.

Tertiò probatur ex illa conditionali Nisi relata ad sequentia omnia, consequenter ad approbationem, quæ conditionem importat maximè relata ad futurum tempus, Roland. tom. 3. consil. 49. num. 14. Gratus lib. 1. consil. 48. nu. 6. consil. 54. nu. 55. ex illis Barbosa dict. hac 217. num. 9. ea autem afficit omnē Sacerdotem, tam primò electum, quam subrogatum in locum deiecti, consequenter conditione non purificata nullus Sacerdos etiam Regularis potest excipere Confessiones ex vi Tridentini in hoc præcisè aduersantis Clementinæ.

Quartò, reuocatio Clementinæ exprimitur illis verbis: *Priuilegijs non obstantibus*, qualis est Clementina, quæ quamuis inserta sit in corpore iuris, adhuc tamen retinet vim priuilegij, cui sufficienter derogatur simplici expressione, neque enim mutauit naturam suam, immò, esto priuilegijs in corpore iuris clausis non derogetur per simplicem obstantiam priuilegiorum, vt communiter omnes docent apud Barbosam claus. 83. nihilominus in casu præsenti non solum intelliguntur reuocata priuilegia vagantia extrà corpus iuris, sed etiam clausa in eo, quia secundum Aduersariós Clementina censetur ius commune, & constitutio Apostolica, secundum Doctrinam Menoch. libr. 6. de præsumpt. præsumpt. 40. num. 25. & Gregorij Lopez l. 2. glos. 1. tit. 18. par. 3. sed constitutio posterior priori derogat sine eius mentione, vt dicitur cap. 1. de constitut. his verbis: *Pontifex constitutionem condendo posteriorem, priorem quamuis de ipsa mentionem*

nem non faciat reuocare noscitur. Et redditur ibi ratio, quia iura omnia in scrimnio pectoris sui censetur habere, & in legibus contrarijs, inquit ibidem glosa v. Reuocare; standum est vltimæ; supradicta autem Tridentini lex est vltima, & contraria legi Clementinæ, ergò illi standum est contrà istam. Contrarietas autem constat ex his, nam Clementina requirit idoneitatem præsentati notam soli Superiori præsentati, Tridentinum; requirit notitiam idoneitatis per examen Episcopi; Clementina non requirit examen, sicut Tridentinum; Clementina requirit subrogationem in locum reiecti, Tridentinum nullam exprimit subrogationem; Clementina non requirit licentiam in subrogato, Tridentinum in omnibus petit approbationem, & licentiam, manifestè ergò contrariantur istæ duæ leges, consequentèr posterior in omnibus derogat priori, quod etiam colligitur ex Bulla 133. Pij V. incip. *Romani Pontificis*, & alia Vrban. VIII. apud Tamb. tom.2. disp.6.q.13. postulationem simpliciter approbationem respectu omnium Regularium ad tenorem Tridentini.

Quintò, ponamus, non esse reuocatam Clementinam, quò ad hanc subrogationem, adhuc inutilis erit nostris temporibus, nam solis Minoribus, & Prædicatoribus seruiet, de quibus facit mentionem, & non alijs, quorum priuilegijs, cum sint extrà corpus iuris, fuit derogatum secundum omnes; eisdem autem parum fauebit, quia reiecti non possunt vti priuilegio, vt notum est ex eius tenore, quod pauci, aut ferè nulli aduerterunt; neque subrogati tuti sunt, quia Episcopus potest dicere, subrogatum esse superfluum, secundum enim Clementinam numerus præsentandorum debet esse conformis multitudini Clericorum, & populi, modò enim multi sunt Confessarij ex parte Clericorum, itaut pauci sufficiant Regulares, præterquamquod nostris temporibus creuerint Religiones, consequenter multitudo operariorum inueniatur ad excolendam vineam Domini, ex quo Episcopi certum numerum Confessariorum volunt admittere, & non plures.

Ex his patet ad argumenta aduersariorum, quæ non faciunt ad rem, nam ad primum falsum est, Clementinam esse specialem dispositionem, & Tridentinum generalem, sunt enim duæ leges, vt dictum est, circà materiam ministrorum Sacramenti Pœnitentiæ. Deindè dispositio specialis derogat generali, quandò nullum sequitur absurdum, sequitur autem hic, quia in Tridentino includuntur omnes Sacerdotes Regulares ex vniuersalitate propositionis, ergò etiam Minores, & Prædicatores, consequenter hæc generalis dispositio tollit illum Clementinæ specialem, ne sequatur absurdum contradictionis prædictæ, igitur in legibus genus derogat speciei, de qua fit mentio generalis, & vniuersaliter in ipso genere, nam sub genere continentur, & comprehenduntur omnes species, l. omnes, C. de præscript. 30. annor. l. Semper ff. de regul. iur. Menoch. consil.266. nu.69. Craueta cons.134. num.5. licet in vna specie maior sit ratio, quam in alia l.1. §. Quod autem ff. de aleator. Rimin. iun. lib.1. cons.12.n.31. Decian. lib.3. cons.112.

vt

vt in casu pręsenti, in quo Tridentinum ad tollendam dubitationem adiecit dictionem ampliatiuam, ibi: *Nullum etiam Regularem*, non derogatur ergò generi per specialem dispositionem Clementinę, sed è contrà hęc intelligitur reuocata, & comprehensa in Tridentino. Ad secundum patet, nam lex Tridentini satis clara est, vt non egeat declaratione, seu limitatione Clementinæ, cum loquatur vniuersalitèr de omni Religioso, & non indefinitè, cōsequentèr censetur reuocata, ex quo per ipsam non potest limitari Tridentinum. Patet consequentèr ad tertium, non esse opus concordare iura iuribus, cum apertè pugnent ad inuicem, & Tridentinum sit destructiuum Clementinæ. Itaq; opinionem asserentium, Sacerdotem Regularem etiā iniustè reiectum, immò & subrogatum adhuc repulsum, posse nihilòminus excipere confessiones sęcularium, puto impracticabilem, & parum tutam, atq; improbabilem, cum nullo solido fundamento fulciatur, innixa solùm auctoritate Doctorum interessatorum in negotio, sint tamen hæc dicta pace tantorum virorum.

Colligo duo ex Clementina *Dudum*, vnum est, Regulàres ex vi illius non posse audire nisi Confessiones subditorum Episcoporum dantium licentiam, i. lege Clementinæ verba. Alterum est, tunc antè Concilium non examinabantur pręsentati, vt sit modò virtute Tridentini.

DECISIO CDLXIX.

An in Rescripto dispensatiuo supèr ætate ad Sacerdotium includatur dispensatio interstitiorum?

Diaconus ad Pręsbyteratum ascēdere non potest, nisi per annum antè miniStrauerit in Diaconatu, supèr autem hoc interstitio potest Episcopus dispensare ob Ecclesiæ necessitatem, ac vtilitatem simul, si illi videbitur sess. 23. cap. 14. Cum autem Subdiaconus possit recipere Diaconatum initio anni vigesimitertij, & Diaconus Presbyteratum initio anni vigesimiquinti, ex eadem sess. cap. 12. constat biennium de iure intercedere intèr vtrumque Ordinem respectu eius, qui ordinatur initio illorum annorum, quarè qui suscepit Diaconatum initio anni prædicti, dispensans super ætate vnius anni, non indiget dispensatione super interstitijs, si initio anni vigesimi quarti recipiat Sacerdotium, quia per annum ministrauit in Diaconatu. Quandò verò recepit Diaconatum infrà annum vigesimum tertium, seu in vigesimo quarto, certè tunc eget dispensatione interstitiorum, si ex Rescripto Apostolico obtenta ætatis venia velit fieri Presbyter infrà dictum annum vigesimum quartum, seu paulò antè, & hic difficultas locum habet, an egeat Episcopi dispensatione circà interstitium hoc, an verò ea comprehendatur sub dispensatione super ætate?

Dico, quod eget dispensatione super illo interstitio, facienda ab Episcopo, petente Superiore Regulari, si ordinandus est Religiosus, neque Epi-

scopus potest id negare, quamvis breue tempus precesserit, nimirùm ab vna ad aliam ordinationem, e. g. ab Aduentu ad Quadragesimam.

Primum constat, quia cum dispensatio sit odiosa, vtpote iuris vulneratiua, non est extendenda de vna re ad aliam, ab vno casu ad alium non petitum, cap. 1. de fil. Presbyt. cap. Non potest, de Præbend. in 6. l. Ex facto, ff. de vulgar. & pupill. substit. & cum sit stricti iuris, debet apparere ex verbis claris, & non deduci ex ambiguis, & extraneis, docet Felin. in cap. Mandato de simon. apud Verallum par. 1. decis. 145. num. 6. Diuersa autem sunt interstitium, & ætas in Ordinibus, ergo dispensatus super ætate non est dispensatus super interstitijs.

Alterum, quod Episcopus debeat in hoc casu dispensare, constat, quia dispensatio hic est debita, vt Rescriptum possit sortiri suum effectum, subest enim iusta causa, ne priuilegiatus remaneat sine vsu sui priuilegij, & tunc tenetur dispensare, arg. eorum, quę habet gl. v. Necesse, cap. Domino sancto dist. 50. Anton. Cardin. & Alex. de Neuo in cap. At si Clerici de Iudic. Nec obstat clausula: *Nisi aliud Episcopo videbitur*, nam, licet dicat arbitrium in Prælato, illud tamen debet esse boni, & prudentis viri, ex allegatis à Barbosa Dict. 423. num. 4. consequentèr in casu præsenti bonus vir, & prudens dicet esse dispensandum, vt priuilegiatus possit vti fauore suo, pręterquamquòd hic non est disputandum, neque requirendum, an adsit necessitas, & vtilitas Ecclesię, vt Diaconus ascendat ad Sacerdotium, cum vtrumque supponantur adesse virtute Rescripti Apostolici, ad quod dandum Pótifex Romanus mouetur ex dictis causis. Quarè malè fecit quidam deputatus ad videndas dimissorias ordinandorum, dum Episcopo suo insinuauit, quemdam Regularem non esse ordinandum, quia à Sede Apostolica simul cum venia ætatis nõ petijt dispensari super interstitio, nam id spectat ad Episcopum, cui per Rescriptum non aufertur potèstas sibi iure proprio competens.

DECISIO CDLXX.

An Confessarij Regulares quoscumque ad se accedentes audire possint?

CONfessárij Regulares quoscumq; fideles vtriusque sexus, siuè habitantes, siuè extranei, & forenses sint, audire possunt in confessione, vt expressis verbis concedunt infrascripti Pontifices Romani, qui sunt Eugen. IV. Bulla 22. apud Rodr. fol. 106. incip. *Commissum*, ibi: *Quorumcumque fidelium vtriusque sexus confiteri sibi volentium*. Cisterciensibus. Nicol. V. Bulla 2. apud eumdem fol. 116. incip. *Scimus*. Clarius, ibi: *Omnes quarumcumque Diœcesum, & in illis extraneos, ac forenses*. Minoribus de Obseru. Sixtus IV. apud eumdem fol. 146. Bulla XI. incip. *Vestris*. eisdem Minorib. Idem Sixtus Prędicatoribus apud Cófect. fol. 79. Bulla 61 incip. *Apostolica*. Idem nostro Ordini in nostro Bullar. fol. 47. Bulla incip. *Sedes Apostolica*, ibi: *Omnes, & singulas personas vtriusq; sexus ad eos pro Confessione, & pęnitentia accedentes*. Iulius II. apud Rodr. fol. 265. Bulla 29. incip. *Oblatę nobis*. Pro Valisoletanis. Paulus III. apud Confect. fol. 184. Iesuitis, Bulla 3. incip.

cip. *Cum inter*. Paulus IV. apud Confect. 190. Minoribus, Bulla incip. *Ex clementi*. Pius IV. apud Rodriq. fol.374. Minoribus, Bulla 3. incip. *Cum sicut exponi*, illis verbis: *Per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium*. Res clara est, probatione non indiget, quia gratia generalis est, tam generalitate concedentis, qui est Papa, qui omnes fideles sibi subiectos habet, quam vniuersalitate pœnitentium totius orbis, quorum animas committere potest spiritualiter curandas Regularibus, in hoc ergò dicuntur Confessarij Papales.

DECISIO CDLXXI.

An Confessarij munus Regulares vbique exercere valeant?

IN proprijs Ecclesijs, & Monasterijs conceditur ab Eugenio IV. Cistertiensibus, apud Rodr. fol.106. Bulla 22. incip. *Commissum nobis*. Etiam extrà indulgetur à Nicolao V. apud eumdem fol. 16. Bulla 2. incip. *Scimus populos*. Minoribus ibi: *Omnes quarumcumque diœcesum, & in illis extraneos, ac forenses absoluendi*. Supple in illis scilicet Ecclesijs diœcesum. Eadem verba repetit Sixtus IV. fol. 146. pro eisdem Minoribus, Bulla XI. incip. *Vestris*. Idem omninò Vallisoletanis Iulius II. fol.165. Bulla 23. incip. *Oblata nobis*. Clarius præ alijs Pius IV. pro eisdem Minorib. fol.374. Bulla 3. incip. *Cum sicut exponi*: illis verbis: *Confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorumdem Fratrum audire*. Intellige autem supradicta sano modò nostris temporibus, nempè Sacerdotem admissum Parmæ, audire posse Confessiones quorumcumque ad se accedentium in qualibet Ecclesia, & loco honesto huius Episcopatus, ac deindè Parmenses, cum quibus Confessarius Parmensis extrà peregrinatur. Locus ergò non est de substantia huius iudicij, cum sit omninò spirituale, ac proindè independens à loco, & tempore. Quod si ab Episcopis exprimatur. *In Ecclesijs sui ordinis*, id non est clausula limitatiua iurisdictionis, quasi extrà Confessarij nihil possint, sed tantum demonstratiua loci, in qua Religiosi solent Regulariter excipere Confessiones; indicat ergò ordinem, & locum Ordinarium, non limitationem potestatis. Vide quæ dixi Resolution. 36. quæst. 6. & 7.

DECISIO CDLXXII.

An Confessarij Regulares audire possint contradicente Parocho?

VTique, & plerique Pontifices concesserunt, Alexander IV. apud Rodriq. fol.30. Bulla 24. incip. *Cum olim*, ibi: *Audire Confessiones, Sacerdotum Parochialium assensu minimè requisito*. Minoribus, quibus idem concessit Clemens IV. apud eumdem fol.38. Bulla 10. incip. *Quidam temerè*, illis verbis: *Aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu nullatenus requisito*. Contradicentibus ergò, aut non concedentibus Legatis, aut Ordinarijs locorum, non possunt excipere Confessiones sæcularium. Idem concedit Eugenius IV. Cistertiensibus fol.106. in sua Bulla 22. incipient.

cipient. *Commissum.* Intellige in proprijs Ecclesijs, & locis licitè audire possunt sine assensu Parochorum, aut illis contradicentibus; in alienis requiritur consensus Parochorum illarum, non ad validam administrationem, sed tantum ad licitum vsum. Vide resol.56. q.33. fol.170.

DECISIO CDLXXIII.

An Confessarij Regulares potestatem iurisdictionis immediatè habeant à Sede Apostolica?

HAbent, vt colligitur ex Bullis citatis sub Decis.470. 471. & 472. Tum quia eorum licentia dicitur Generalis, & Apostolica. Tum quia antè Concilium Lateranense excipiebant Confessiones sæcularium ex solis priuilegijs Apostolicis, de quibus suprà, deinceps verò examinabantur ab Episcopis ex Bulla Leon.X. in eodem Concil. incip. *Dura ad intrà*, extensa apud Confect. fol.127. & in Tridentino sess.23. c.15. decernitur, quod præter examen obtineant approbationem, quæ est quid preuium ad iurisdictionem, vt benè probat Faber. disput.30. de Pœnit. num.37. vocans eam dispositionem ad acquirendam iurisdictionem, quæ iure Pontificio statim sequitur, ac Episcopus approbauit Religiosum, quod egò fusè probaui Resolut.36. nu.31. & 32. demum patet ex modò audiendi Confessiones, quem tenent diuersum ab alijs Confessarijs, nam ad hos accedunt Regulariter soli subditi Episcopi approbantis, quia Episcopus confert iurisdictionem, quæ non extenditur vltrà subditos; ad Religiosos autem omnes de toto orbe, vt dixi Decis.470. accedere possunt, quia Papa illis delegat hanc potestatem, quam habet super omnes fideles. Hinc fit, quod Regiensis confitens sua peccata Parmæ Presbytero sæculari, ab hoc absoluitur, non potestate iurisdictionis ordinaria, si est Parochus, neque delegata ab Episcopo, quæ respicit tantum subditos Episcopi approbantis, sed iure electionis peregrinantis de licentia saltem tacita sui Episcopi recipiendi Sacramenta extrà suam diœcesim.

De hac immediata iurisdictione à Papa Rodr. tom.1. q.59. arr.1. fine cum suo compend. resol.32. num.2. Graffius lib.2. Append. cap.5. nu.15. Beia part.4. casu 20. §. Non, Faber. disput.25. de Pœnit. nu.98. & disp.30. num.38. Confect. tit.17. cap.4. & 5. alios citaui Resol.36. nu.32.

DECISIO CDLXXIV.

An Confessarij Regulares dispensent coniuges ad petendum debitum ex incestu?

AFfirmaui Resol.6. nu.23. iterum Resol.15. nu.31. Rodriq. Bulla 23. fol.264. incip. *Oblata nobis*, Authoritate Apostolica id priuilegium declarat, & concedit Vallisoletanis S. Benedicti, in quo participant alij Regulares. Vide compend. Theatin. v. Dispensatio §.7. compositum post reuocationem Oraculorum. Licet sit oraculum viuæ vocis à Cardinali declaratum, & confirmatum cum sua subscriptione, non ideò videtur comprehensum sub reuocatione aliorum,

iuxtà

iuxtà ea, quæ dixi Resolut. 31. num. 3. In locis præcitatis dixi, esse necessarium, quod Superior deputet ad id munus Confessarium, vt valeat vti hoc priuilegio, sed postea obseruaui, hanc deputationem non esse necessariam, quia eius loco successit nostris temporibus approbatio Episcopalis iuxtà Tridentinum. Practicari igitur potest priuilegium, si casus occurrit. Sed quoniam coniugati ferè omnes, etiam docti, ignorant hoc impedimentum, rarò potest occurrere casus, cum non peccent petendo debitum, excusante illos ignorantia; nec opus est, eos edocere de huiusmodi impedimento, maximè, si nullus speratur fructus, immò Confessarius meliùs tacet, quàm admoneat illos, stante communi ignorantia Laicorum. Vide Quintanaduenas id probantem tract. 9. singul. 4. probantem vigere hoc priuilegium.

DECISIO CDLXXV.

An nomine filiorum veniant filię fœminæ in sequenti instrumento?

IAcobus, Ioannes, & Dominicus fratres de N. volentes, & intendentes toto tempore vitæ suæ viuere simul, & in communi, more bonorum fratrum, mutuis stipulationibus animo deliberato ad effectum huiusmodi cõmunicarunt, & communicant, miscuerunt, & miscent, voluntq; omnia eorum bona mobilia, se mouentia, & immobilia, iura, & quæcumque alia præsentia, & futura, acquisita, tàm bona paterna, quàm materna, & acquirenda in posterum quovis iure, & titulo, paritèr lucra, & damna, esse, & fore communia, & indiuisa intèr illos. Cum pacto primò, quod dotes superstitum mulierum restituantur ex bonis communibus, si casus euenerit. Secundò, quod, *filię fœminæ dictorum fratrum natę, vel nascituræ habeant dotem competentem*. Tertiò, detractis dotibus filiarum, vt suprà, residuum bonorum communionis conseruari debeat intèr prędictos fratres, hac etiam lege adiecta per ipsos, quod si aliquis eorum moriatur, *absque filijs legitimis, & naturalibus*, tunc superstites succedant æqualitèr, & ita, &c.

Difficultas ergò est, an sub illis verbis: *Absq; filijs legitimis*, comprehendantur filiæ fœminæ, consequentèr succedant suo patri morienti? Nam hic Parmę iure statuti filiæ succedunt, licèt maritatę, quandò, aut non renunciarunt in dotis receptione, aut non adest fideicommissum, aut quid simile illas excludens, & quod debeant esse contentæ dote sua.

Respondetur, sub illis verbis: *Absq; filijs legitimis*, venire tantùm masculos, nam pro fœminis specialitèr prouisum fuit in secundo pacto, in tertio verò dispositionis pactum erit tantùm pro filijs masculis, siquidem instrumentantes, quandò voluerunt sub nomine filiorum venire fœminas id expresserunt, dicendo *Filię fœminę*, quæ verba non replicarunt in tertio pacto, ergò signum est, quod non veniunt sub illius dispositione. Confirmatur id, quia deficiente hęrede, vbi substituuntur eius filij, non veniunt fœminæ, Socin. in l. Hęredes mei, §. Cum ita ad Trebell. Rimin. sen. consil. 224. num. 49. & 82. Decian. lib. 1. consil. 12. num. 31. Giouagn. lib. 2. consil. 11. num. 18. Honded. consil. 57. nu. 71. apud Ciarlin. cap. 78. nu. 5.

num. 5. Adde, quod vbi adest prohibitio alienationis bonorum,& habetur respectus ad conseruationem agnationis,vt in supradicto instrumento,quod censetur fideicommissum inter viuos, fœminæ non veniunt appellatione filiorum,Socin. Iun. lib. 2. consil. 168. num. 37. Menoch. consil. 95. num. 26. & 51. Giouagn. lib. 2. consil. 11. num. 9. Farin. par. 2. decis. 303. num. 4. Ciarlin. cap. 78. num. 6. Demùm, expressè conuenerunt in tertio pacto, quod detractis dotibus filiarum,residuum semper maneat in communione, ergò filiæ super bonis communitatis nullum ius habere possunt, nam illæ diuiderent, & destruerent communionem contrà expressam voluntatem communicantium.

DECISIO CDLXXVI.

An Vicarius Generalis possit creare Doctorem per substitutum à se?

VIcarius Generalis legitimè impeditus suam facultatem creandi Doctores delegauit Canonico N. qui validè doctorauit D. P. Suadetur, quia habens potestatem ordinariam potest eam delegare, l. More, ff. de iurisd. om. iud. l. Cognitio, §. Cum propriam, ff. de offic. eius, Cap. fin. de off. ordin. cap. Cum Episcopus 7. de off. ordin. in 6. Sed Vicarius Generalis Episcopi habet potestatem ordinariam, est communissima opinio Doctorum, quos recenset Sbrozius lib. 2. q. 50. à nu. 9. ergò eam delegare potest, etiam in hoc speciali casu, quia simul, & semel in Generali mandato Vicariatus exprimendo speciale mandatum ad doctorandum; censetur in omnibus permixtim Vicarius Ordinarius, Ioan. Andr. ad Specul. in Rubr. de off. Vicar. cum Anchar. in cap. Licet, cum alijs citatis à Sbrozz. num. 37. In casu autem nostro exprimitur in Constitutionibus Collegij, quod munus doctorandi residet in Episcopum, vel eius Vicarium, ergò potuit delegare.

DECISIO CDLXXVII.

An cum sola fide medici possit frangi Quadragesima?

QVamuis fides Medici non sit dispensatio comedendi carnes, seu lacticinia in Quadragesima, cum dispensatio in ea pertineat ad Superiorem Ecclesiasticum, vt notum est, nihilominus fides, qua testatur Medicus, talem personam non posse obseruare Quadragesimam, quia cibi Quadragesimales essent notabiliter nociui personæ, facit certam personam indispositam non teneri ad præceptum Quadragesimale, iuxtà quam fidem, tamquam Regulam, deindè Episcopus, aut Parochus, vel ad id deputatus dispensat, & dat licentiam indisposito ad non seruandum Quadragesimam, ac proindè antè acceptam dispensationem potest vesci lacticinijs, seu carnibus iuxtà sibi datum iudicium Medici. Confirmatur id, quia illa licentia est magis interpretatio, quod lex Quadragesimalis non obligat in eo casu, quam dispensatio, quandò indispositus certus est ex iudicio Medici, se esse impotentem ad obseruantiam ieiunij, necessitas enim legem non habet, cap. Consilium, de obseru. ieiun. Suar. lib. 6. de legib. c. 18. n. 14.

nu.14. Petat tamen licentiam cum poterit commodè.

DECISIO CDLXXVIII.

An fur satisfaciat Monitorio restituendo per Confessarium sibi retinentem alienum?

CAius obtinuit publicationem excommunicationis contrà surreptores cuiusdam rei pretiosæ magni valoris, à qua nullus valeat absolui, nisi facta restitutione. Pomponius fur adit Confessarium suum, eique ad vitandam propriam infamiam tradit rem deferendam dicto Caio, & sic ab eodem absoluitur, verum cum rem Confessarius, vt posteà venit in cognitionem, non restituerit, sed sibi eam retinuerit, dubitat Caius, an fuerit verè absolutus ab ea excommunicatione, & an sit liber à noua restitutione?

Caius reuera est absolutus ab ea excommunicatione, nam reuera restituit quantum est ex parte sua, & fecit, quod potuit, nam cum esset occultus, non tenebatur se prodere, restituendo proprijs manibus, siquidem fama est pretiosior qualibet re corporali; neque in eamdem rè incidit excommunicationem, quia fulminata fuit simpliciter sine reincidentia; neque sub ea conditione, vt reincideret, si restitutio non fieret per tertium. Ita in terminis Lazar. de Monitor. sect.4. quæst.6. Ad aliud dubium, communis est opinio, Pœnitentem teneri de nouo ad restitutionem, decem Doctores refert Diana part.1. tract.17. Resolut.2. vbi oppositum dicit probabile, quod tenet Cenedo dub.34. de pauper.nu.8. Pro cautione Pœnitens dicat Confessario, vt Chirographum procuret accipere pro se ab eo, cui facta est restitutio, Lazar. de Monitor. sect.4. q.5. num.6.

DECISIO CDLXXIX.

Quænam circumstantiæ Luxuriæ sint manifestandæ in Confessione?

LVxuriæ species sunt septem, Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Incęstus, Raptus, Sacrilegium, & peccatum contra naturam; priores sex species consistunt in voluntaria, & illicita eiectione seminis in vas ordinarium fœminæ, septima consistit in eiectione eiusdem seminis humani in vasum extraordinari, vel extrà illud; primarum sex specierum vocatur copula, quia intercedit inter virum, & fœminam, septima potest esse cum copula, & sine copula. Sacrilegium verò vagatur per omnes alias species. Vide Resol.48.

Fornicatio explicatur hoc modò dicendo, se habuisse rem cum muliere libera à marito, à voto castitatis, à consanguinitate, ab affinitate, & non fuisse raptam; sufficit autem dicere sum mulier libera, seu soluta. Pari ratione masculus debet dicere statum suum, sit ne liber, an coniugatus, ac consanguineus, an affinis, vel Sacerdos, seu professus, qui habuit rem cum soluta.

Stuprum, quod est defloratio virginis, non est necessariò aperiendum in Confessione, nisi violentia facta fuit, quia in multorum sententia non distinguitur specie à simplici fornicatione,

tione, vnde puella non tenetur dicere, eram virgo, nec puer, hoc est primum peccatum carnale, ita Lessius lib.2. cap.10. nu.5. Diana resol.10. de Circumstantijs peccat. Item resolut.11.

Adulterium aperiendum est ex parte vtriusque personæ, neque enim sufficit dicere, commisi adulterium, sed dicere debet, ego & mulier, cum qua peccaui, sumus ambo coniugati, vel alter eorum, iuxta quod res est. nam fit iniuria coniugibus vtriusque. Ita Azor. par.3. lib.3. c.7. cum Bonac. q.4. de Matrim. p.15. nu.5.

Incęstus est copula habita inter consanguineos, & affines ex copula licita vsquè ad quartum gradum inclusiuè, ex copula illicita vsquè ad secundum inclusiuè, explicandi autem sunt gradus ex communi sententia, Bonac. q.4. de Matrim. p.16. propos.4. contrà Caietanum, D. Thomam Gipsium, Dianam, Faustum, quos pro se citat Mazuchellus dicens disput.2. cap.4. nu.28. sufficere dicere: Commisi incęstum, non explicando gradum, neque consanguinitatem, aut affinitatem, & certè placet id mihi, quia sic Confessio non redditur onerosa, neque manifestatur persona in indiuiduo. Vltrà prædictos gradus nullus est incestus Sanch. lib.7. disput. 67. nu.8. immò executa dispensatione contrahendi inter consanguineos, seu affines, sequuta copula antè Matrimonium non est incęstus, quia iam sublata fuit consanguinitas, & affinitas, ibidem Sanch. nu.9.

Sub incęstu ponunt Bonacina q.4. de Matrim. p.15. propos.1. §. Rursus Sanch. lib.7. disp.5. nu.10. copulam cum cognatis ex adoptione. Non placet horum dictum, cùm secundum Doctrinam antiquiorum Gratiani in cap.2. 36. q.1. §. Ex his, D. Thomæ 2.2. q.153. art.9. Magistri in 4. dist. 41. incęstus sit tantum consanguineorum, & affinium, colligitur ex cap. Consanguineorum 4. 3. q.4. c. Nullum 7. & seq. 8. 9. & 10. 35. q.2. c. Ab isto 9. 35. q.7. Cap. Incęstuosi 3. 35. q.8. vbi tantum exprimitur consanguinitas, & affinitas, cum primis est Diana par.3. tract.4. resol.140. Vide dicta à me Resolut.48. non videtur ergò exprimenda circumstantia cognationis legalis.

Raptus tunc est explicandus, cum puella, vel mulier rapitur ad libidinem contrà suam voluntatem, si enim consentiat, raptus non est, sed fornicatio, si est soluta. Cottonus cum Diana v. Circumstantia nu.10.

Sacrilegium committitur cum habente votum castitatis siue simplicis, vel solemnis ex professione, vel ordine Sacro; sufficit exprimere, habui rem cum habente votum castitatis, non est necessè explicare, personam esse Religiosam, Sacerdotem &c. neq; Monialem, nisi ratione reseruationis, Sanch. lib.7. disp.27. num.27. Diana part.1. resol.3. & 4. de Circumstant. Item seminans in Ecclesia tenetur id exprimere, pariter habens rem cum cognata ex Sacramentis Baptismi, seu Confirmationis, facit enim iniuriam Sacramento; non est propriè incestus, sed tantum similitudinariè.

Conditio Nouitij non est manifestanda, Megal. lib.5. cap.11. n.7.

Conditio sponsalium non aperitur, Diana resol.5. de Circumst. & part.3. tract.4. resol.67. in resp.5. Cotonus v. Circumstantia nu.8.

Con-

Conditio Prælaturæ non exprimitur, Sanch. lib. 7. disp. 27. nu. 33. Diana resol. 6. de circumst.

Sodomia commixtio personarum eiusdem sexus in vase præpostero; non est necesse exprimere sexum, sed satis fit, commisi sodomiam, ex Caiet. de confess. q. 3. Cottonus v. Circumstant. num. 17. Nec tenetur quis confiteri circumstantiam agentis, seu patientis, Diana par. 3. tract. 4. resol. 159. & par. 5. tract. 14. resol. 56. q. 2. Cottonus v. eod. num. 97. tenetur exprimere alias circumstantias adulterij, incestus, sacrilegij, &c. non virginitatis, nec consanguinitatis, aut affinitatis, sed sufficit dicere sodomiam incestuosam, Cottonus num. 18.

In pollutione explicanda est, non solum circumstantia propriæ personæ, sed etiam illius, cum qua agitur, vt docent ferè omnes, excepto Layman, qui ait patientem mollitiem per manus professi, non teneri, quandò professi pollutio non sequitur, apud Dianam resol. 52. de Circumst.

Circumstantia Ordinis Minoris non aperitur, Cottonus v. eod. nu. 22.

Delectatio morosa consistens in actu efficaci voluntatis in ordine ad executionem actus, qui est obiectum delectationis, sumit speciem ab actu, ac proindè denominatur delectatio fornicaria ergà personam solutam, incestuosa ergà consanguineam, sodomitica ergà sodomiam, &c. Delectatio verò consistens in simplici complacentia, sine ordine ad actum non mutat speciem, sed est eiusdem speciei, quia omnis versatur circà eandem turpitudinem, loquendo de obiecto, si vero sermo sit de persona se delectante, sumit specificationem ab eius circumstantia, vndè delectatio coniugati est contrà iustitiam, professi contrà Religionem. Cottonus v. Delectatio nu. 3. & 4. Et sic eodem modo explicantur in confessione.

Circumstantia Confessarij non est manifestanda extrà Sacramentum, quandò non violatur Bulla Gregoriana, nisi ratione reseruationis, non enim est sacrilegium, nisi in actu confessionis, & propè Cottonus v. Circumstantia, num. 27.

Circumstantia personæ infidelis nō necessariò manifestanda, docent plures cum Azor. Alcocer, Filliuc. apud Dianam par. 3. tract. 4. resol. 158. Species animalis aperienda non est, sed sufficit dicere, peccasse cum bestia, Cottonus v. Circumstantia nu. 17.

DECISIO CDLXXX.

An Abbas solo Consilio Monasterij admittat Nouitium ad Professionem?

OCcasionem dubitandi præbet c. 3. Regulę S. Benedicti, ibi: *Et audiens consilium Fratrum, tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Auget difficultatem Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 1. num. 5. & 6. dicens, Fratres habere tantùm votum consultiuum, non autem decisiuum in terminis huius casus, ac proindè Abbatem teneri tantum requirere, & expectare consilium Monachorum, non tamen teneri illud sequi in admittendis ad professionem Nouitijs, quia consensum eorum non tenetur expectare, sed tantum Consilium, vbi id præcipitur, & non illum. Et licet ibi sermo sit de recipiendis Nouitijs ad annum probationis, tamē

in sequenti q. 15. ait idem procedere in receptione ad professionem, & pro se citat Panorm. & Perez in ca. 3. prędictum Regulę, asserentem, Monachos in receptione Nouitiorum ad professionem habere votum tantùm consultiuum, non decisiuum, & cum illis Nauar. Comment. 3. de Regular. nu. 5.

Responsio tamen est etiam ipsius Tamburini, quod de consuetudine, vel speciali statuto in qualibet Religione, non potest Abbas, aut Superior Nouitium recipere, nec admittere ad professionem sine consensu maioris partis sui Capituli, quicquid sit de iure communi, & speciali statuto prædicti capitis Regulæ, non enim rationabile est, associare perpetuò extraneum alijs sine illorum consensu, neque quis adscribi potest Collegio sine consensu collegarum, cum illis vniri non possit sine consensu, & bona gratia illorum. Est communis omnium.

DECISIO CDLXXXI.

An receptio Nouitij facta à Prouinciali cum vno ex tribus Collegis valeat?

NOn tenet; tum quia standum est maiori parti in omnibus negotijs cap. 1. 2. & 3. dist. 65. sicut minor cedit maiori, cap. Est ordo 12. 35. q. 5. Tum quia factum à minori parte in electionibus nullum est, cum electio solum sortiatur suum effectum à maiori parte vocalium, cap. Auditis 29. cap. In Genesi 55. de elect. & alibi sæpè, sed receptio Nouitij est quædam electio, ergò, vt habeat suum effectum requiritur consensus maioris partis. Tum quia electio, in qua sunt paria vota, non valet, Abbas in cap. Ecclesia vestra, de elect. num. 13. §. Si autem omnia sint hinc indè paria, Zabar. §. Sin autem, glos. v. Nunc ergò, cap. Obeuntibus, dist. 63. circa finem, vbi Archid. Præposit. & Gemin. ergò neq; receptio Nouitij; Ratio est, quia par non agit in parem, cap. Innotuit 20. de elect. vndè vna pars non potest alteram vincere contendentes, ac proindè nulla sequitur electio; in casu autem præsenti pares sunt partes, quia ex vna adest Prouincialis, & vnus socius, & altera duo socij, ergò nihil agunt. Tum quia secundùm Bullam Sixti V. incip. *Cum de omnibus*, 71. in B. N. nulli sæculares maiores sexdecim annis recipi possunt, nisi super ipsis informationibus præmissis, & approbandis in Capitulis Generali, aut Prouinciali, de consensu Superioris, & Definitorum, quod confirmatur in alia incip. *Ad Romanum*, eiusdem, & in alia incip. *Circumspecta*, Gregorij XIV. ibi: *Statuimus, vt Superiores illorum Monasteriorum de consensu sui Capituli, &c.* Eas Bullas extendit Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 4. & quod requiratur maior pars Definitorum, seu Sociorum, & Collegarum, in terminis docent Suar. & Vecchius apud Peyrinum de Prelato cap. 1. q. 3. num. 19. rem hanc luculentèr scrutatur Pelizzarius in suo eruditissimo Manuali tract. 2. cap. 2.

Peyrinus de Prelato q. 3. ca. 1. num. 21. dicit, quod ex tribus Socijs vno solo cum Prouinciali consentiente, alijs contradicentibus, potest Nouitius recipi, quia tale statutum est in eius Religione, quod dicit, non esse reprobatum, immò potiùs confirmatum in secunda Bulla Sixti V. ibi: *Satis esse volumus, si vocalium, & suffragiorum numerus*

tus legitimus à iure, vel per cuiuscumq; Ordinis Statuta præfinitus interuenerit. Dico, Sixtum approbare statutum in ordine ad sumendas informationes de volente ingredi Religionem, pro cuius intelligentia, scias duas requiri approbationes, vna est circà informationes, vt loquuntur Bullæ citatæ, altera est circà receptionem habitus, de hac secunda non loquitur Bulla declaratiua, sed tantum de prima, vndè in executione huius receptionis standum est iuri communi, de ijs, quæ fiunt à Prælatis cum consensu maioris partis capituli. Nec prodest cap. fin. de sent. & re iud. vbi dicitur, quod iudicibus in æquali numero discordantibus, tenet sententia pro reo, si sunt ordinarij, quia iura promptiora sunt ad absoluendum, quam ad condemnandum. Non prodest, inquam, nam ibi textus excipit causas fauorabiles, Matrimonij, libertatis, dotis, & testamenti, in casu autem nostro agitur de futuro Matrimonio, quod non subsistit altera parte repugnante. Hoc Decretum repugnat alteri Decreto Correctorij, vbi dicitur, receptionem Nouitiorum pertinere ad Prælatum vnà cum Socijs. Nec valet responsio eiusdem Peyrini dicentis, quod maior pars in hoc casu est illa Superioris cum vno Socio, siquidem Superioris votum non magis valet, quam Sociorum suffragia, cum in ratione suffragandi spectentur, vt collegæ, ac proindè pares in officio hoc; deindè maioritas in similibus accipitur non à qualitate, & dignitate personæ, sed à quantitate discreta, & numero, non à meritis eligentium, sed à materiali pluralitate vocantium, gl. v. Qui præstantior, ad finem, cap. Licet 14. 8. q. 1. Miranda tom. 2. q. 23. art. 27. Sigism. dub. 38. num. 7. Lauor. c. 19. de elect. nu. 89. ergò Superior cum vnico Socio nullatenus dici potest maior pars Capituli.

DECISIO CDLXXXII.

Quot Doctores requirantur ad Doctorandum?

NVllo iure numerus definitur, sed diuersimodè loquuntur Doctores, nam Accursius in l. Magistros, C. de professor. & med. lib. 10. Bartolus ibid. Ioan. Andr. in cap. 1. de Celebr. Missar. & Abbas in c. Proposuisti, de probat. nu. 8. requirunt septem Doctores, qui laureandi Doctrinam iudicent, & se fundant in l. Si quis, C. de professor. & med. lib. 10. quæ iubet in locum Archiatri defuncti eum suffici, qui à septem primi ordinis iudicatus fuerit idoneus. Sed puto cum Pancirolo de Claris legum interpretibus lib. 2. cap. 1. §. Idem volunt sufficere tres Doctores, eò quod tres faciunt Collegium, l. Neratius ff. de verbor. signif. gl. v. Vbi Congregatio cap. 1. 10. q. 1. Bartol. in l. Prætor, ff. vi bon. rapt. & in cap. 1. de elect. dicitur, quod duo, vel tres faciunt Congregationem; dictus Pancirolus respondet, eam legem non facere ad rem, quia loquitur de septem primis Curiæ, qui aliquandò erant plures, aliquandò pauciores. Tres ergò sufficiunt in Collegio, vnus erit Prior, alij duo de more arguant, & omnes simul iudicarunt, cum Cancellario, seu Episcopo per vota secreta de eius Doctrina, & idoneitate ad lauream;

Cc nec

nec Collegium tenetur vocare extraneos, si adest vnus, vel alter de Collegio. Qui habent priuilegium Doctorandi extra Collegium, tenentur vocare Doctores eiusdem professionis laurendi saltem sex, vt iudicent de Doctrina promouendi ad gradum, vt vidi practicari Mediolani, & interfui aliquando.

DECISIO CDLXXXIII.

An homo habeat dominium fluctuans, & turbidum?

TRia habet homo, Animam, Corpus, & Facultates, quarum rerum dominium fluctuans habet, & turbidum; de anima patet ex illo, Psalmi 6.4. *Anima mea turbata est valdè.* Confirmatur, quia reuera fluctuat in consilijs Theologorum moralium, dum quidam eorum asserunt, eam non peccare agendo talia, & talia, alij verò è contrà affirmant eam peccare, non ergò homo consistentiam habet de anima sua circà bonum, & malum, sed in his fluctuat. De corpore ex cap.14.2. Iob res est clara: *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Confirmatur, quia siuè sanus, siuè ægrotans se subijcit iudicio medicorum, quorum aliqui illud deducunt ad interitum, alijcasu retinent in hac vita militans sub diuersis periculis. De facultatibus idem Iob.1. 21. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illùc.* Vestitur homo post egressionem diuitijs huius sæculi, sed ab eo fluunt, quia in morte illis relictis nudus reuertitur, vndè exierat, & contristàtur relinquendo bona huius Mundi Marci 10. 20. Confirmatur, quia, vt plurimum bona subditorum placent Principib. iuxtà illud 1.Reg. 8.9. *Prædic eis ius Regis,* supple tyrannicum, vt interpretantur, adde tu ius latronum, & raptorum. Quare Iob Theologus excellentissimus benè c.7. 1. definiuit, quod vita hominis est militia super terram, milites enim sunt in continuo motu exercitij depopulationum, is enim est eorum finis, quid enim hactenus acquisierunt in tot annis Domino? certè nihil; eorum igitur Collegium ab exercitio deprædationis, rapinarum, homicidiorum, incendiorum, luxuriæ, & similium vocatur Exercitus, & Seminarium iniquitatis, proditores Principum, cui nihil acquirunt.

DECISIO CDLXXXIV.

An Baricellus, & Birruarij teneantur restituere acceptum, ne reum carcerent?

NOn tenentur, quia ex hoc præcisè nullius iustitia læditur, & dans licet ægrè sibi consulit à molestia carceris, nisi indè proximè damnum tertio sequatur, vt quandò Birruarius accipit à debitore carcerando ad instantiam creditoris, ita Nauar. cap.25. num.34. Graff. part.1. lib.2. cap.127. nu.28. Sylu. v. Pœna q.28. Aliquando exigunt pecuniam à rusticis, seu alijs personis de plebe, quam vocant Mercedem, vel propter inobedientiam Magistratui, qui illis præcepit aliquid præstandum, & negligentes fuerunt, si hæc merces sit in pœnam, & expressè mandetur huiusmodi exactio ab illis, qui iure pos-

sent condamnare ad illam, iustè exigitur, aliter iniqui sunt exactores, & exactam tenentur restituere, nec se possunt defendere titulo sui laboris, quia ex officio tenentur ad id, & stipendium habent recipere à communitate; si vero mittuntur ab aliquo creditore, cum ab hoc stipendium sui laboris recipiant, nihil exigere iustè possunt à debitore, sed debent pignus exigere, ne damnum inferant creditori mittenti. Birruarij dicuntur à bina ruina, quam inferunt sibi, dum malè agunt suum officium, omnibus odiosum, & illi, quem vexant exactione, seu extorsione rerum suarum.

DECISIO CDLXXXV.

An superior sub mortali teneatur procurare, vt Regula, & Statuta seruentur?

SVperior non procurans, sed negligens obseruationem votorum, & praeceptorum Regulae, seu Constitutionum, quae ad mortale obligant, tam in se, quam in suis subditis, peccat mortaliter in omnium sententia. Probatur. Tum quia est custos Regulae, & non destructor. Tum quia subditi peccant mortaliter stante conniuentia superioris non procurantis Regulae obseruationem, verbis, & factis, per poenitentias salutares, delicta autem subditorum imputantur Superioribus, cap. In tantum 36. de simon. Tum quia superior tenetur corrigere suos subditos, cap. Vt famae 35. de sent. excom. & cum negligentia non excusat à mortali, gl. v. reatu arg. cap. Ea quae 3. de off. Archid. per cap. Dictum dist. 81. pariter taciturnitas inducit peccatum mortale, gl. v. taciturnitas, cap. Si Papa 6. dist. 40. per cap. 1. dist. 43. & in cap. Sancta 16. 2. qu. 7. Confirmatur, quia, qui dat scandalum, tale peccatum committit, quale scandalizatus, sed subditus peccat mortalitèr, ergò & Praelatus permittens in eo transgressionem eorum, quae obligant sub mortali. Ita Peyrinus de Praelato q. 1. cap. 5. num. 63. citans Sanchez lib. 1. cap. 6. num. 19. Naldum v. Praelatus 12. & seq. cap. 7. nu. 15. Lezana to. 1. cap. 18. nu. 14. & 15. Diana resol. 38. de dub. regul. Idem dic respectu earum Regularum, quae obligant sub veniali, nam tenetur obuiare his transgressionibus licet leuibus, ex quibus potest sequi notabile detrimentum communitati, qui enim modica contemnit, paulatim decidet, vt tradunt ijdem Doctores, praesertim Naldus. Si vero sermo sit de obseruantijs, quae ad nullam obligant culpam, neque venialem, puto, Superiorem negligentem huiusmodi obseruantias erga subditos, tolerando eorum transgressiones, vt plurimum peccare, saltem venialitèr, eò quod Praelatus ex officio suo tenetur facere obseruare Regulam respectu omnium, quae in ea continentur, est enim illius custos, ideò inuigilare debet, vt ab omnibus in omnibus Regula obseruetur. Neque obstat, quod subditi non peccant, ergò, neque superior, quia peccatum nullius fouet. Respondetur enim, teneri ex officio procurare, ne disciplina Regularis relaxetur, quam obligationem cum non habeat subditus, ideò non peccat. Crederem tamen, excusari respectu earum obseruantiarum, quae

contraria consuetudine desierunt, quia consuetudo legitimè præscripta sustulit illas.

DECISIO CDLXXXVI.

Quomodò propositio indefinita definiatur?

PRopositio indefinita est illa, cuius subiectum terminus communis caret signo tàm vniuersali, quàm particulari, secundum Logicos; vt, Homo est rationalis. Homo est doctus. Quæritur ergò, quomodò definiatur, ac proindè fiat, seu æquiualeat vniuersali, aut particulari.

Respondetur, definiri per conditionem prædicati, quarè, si prędicatum sit essentiale, seu necessarium subiecto, tunc propositio indefinita æquiualet vniuersali, sicut & quandò habet prædicatum impossibile subiecto, vt patet in his exemplis, Homo est ens, animal, rationalis, risibilis, idem est, ac dicere: Omnis homo est ens, animal, &c. Homo non est asinus, idest, nullus homo est asinus. Quandò prædicatum est accidentale subiecto, tunc æquiualet particulari; vt, Homo est albus, rubeus, doctus, &c. Idest, aliquis homo est albus, rubeus, &c. Ita Logici omnes cum Arist. 1. Periherm. & Priorum, quibus adstipulantur Canonistæ, & Legistæ, gl. v. Aliorum, cap. Vt circa 4. de elect. in 6. vndè ex ea colligitur vniuersalis, gl. v. eod. cap. Saluator 8. 1. q. 3. & sic deducitur.

Axioma legale, quod propositio indefinita æquiualet vniuersali, gl. fin. in proem. Decretalium, & in cap. Si Romanorum dist. 19. gl. v. Diuersis, in quibus locis alia iura citantur, Barbosa axiom. 123. Sanch. lib. 3. disp. 44. §. Et confirmatur. Spectari autem potest, & verificari ex parte, tàm prædicati, quàm subiecti; do exemplum ex parte prædicati, nam ex parte subiecti dictū fuit cum Logicis. Si quis legatum faciat sub his verbis: *Lego libros meos, gregem meum Petro*, censetur omnes libros, & omnia pecora legasse, quia indefinita æquiualet vniuersali. Vide Couar. lib. 1. Variar. cap. 13. Procedit autem axioma, tàm in dispositionibus legis, quàm hominis, nam lex dicens, Epistolas decretales esse obseruandas, loquitur de omnibus, licet non vtatur signo vniuersali, ex cap. Si Romanorum 19. iuncta gl. v. Diuersis, Sanch. cit. in contractibus, renuntiationibus, & alijs dispositionibus, Fulgos. consil. 130. Alex. consil. 36. num. 8. lib. 2. Tuschus concl. 86. nu. 20. Seraphin. 1008. num. 2.

Deducitur hinc hanc propositionem: *Ordo est Sacramentum*, definitam de fide in Tridentino sess. 7. Can. 1. Iterùm sess. 23. Can. 4. æquiualere suæ vniuersali; *Omnis ordo est Sacramentum*, ac proindè omnes Ordines, tàm minores, quàm maiores esse Sacramenta, secundum fidem, non obstante, quod aliqui malè negent ab his rationem Sacramenti. Vide Marchinum de Sacram. Ordinis, vbi tract. 1. part. 1. ca. 8. non obstante hac doctrina, negat rationem Sacramenti Ordinibus, exceptis Sacerdotio, & Diaconatu, si benè legatur, magis enim huic falsæ opinioni fauet, quàm veritati, certum enim est, ex duabus de fide cognosci, conclusionem esse de fide, hac ratiocinatione. *Ordo est Sacramentum*, Æquipollet vniuersali; *Sed Subdiaconatus, &c. est ordo*. Ambæ præmissæ de fide, ergò

ergò est Sacramentum. Confirmatur; quia ratio inferens est de fide, ergò & ratio illata.

Axioma hoc locum non habet; Primò, ad destructionem actus, l. 2. de lib. & posth. Ruin. lib. 1. consil. 98. num. 4. Rota Rom. vol. 2. decis. 185. num. 4. Secundò, neque in probationibus, in quibus dictum debet esse concludens clarè, & distinctè, ex allegatis à Barbosa axiom. 123. num. 14. Tertiò, quandò nō est eadem ratio singulorum sub indefinita contentorum. Calder. consil. 494. de hæret. Signorol. consil. 69. num. 8. Quartò, in materia odiosa, Bart. in l. Si plures 98. ff. de legat. 3. Cardin. Tuschus, & alij apud Barbosa axiom. 123. num. 13.

DECISIO CDLXXXVII.

An Canonicus Regularis Lateranensis beneficiatus extrà desinat esse Religiosus?

INdubitatum est, huius Ordinis Religiosos capaces esse beneficiorum, tam simplicium, quàm curatorum, cū id exprimatur in forma professionis eorum sub his verbis; *Et quòd nunquam absque licentia Capituli Generalis dictæ Congregationis, aut eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo intùs, aut extrà Ordinem.* De quâ nonnihil dixi Resolut. 92. §. V. vbi eam ad verbum extendi.

Canonicus ergò assumptus ad beneficium extrà Ordinem suum, non desinit esse Religiosus, sed talis adhuc remanet; probatur; Tum quia professio Regularis est votum solemne perpetuò durans in vouente, vt patet ex forma, qua singuli Nouitij profitentur, ergò in quocumque statu ponatur iam professus, semper remanet obligatus professione. Tum quia nulla est causa destructiua voti solemnis, non enim voto obedientiæ, & paupertatis repugnat acceptatio beneficij, & illius retentio, & possessio, siquidem recipitur; & possidetur de licentia Superioris Generalis, ratione cuius dicitur beneficiatus obseruare votum obedientiæ, cum illud recipiat de licentia Superioris; & pariter obseruat votum paupertatis, cum possideat dependentèr à voluntate Generalis, non enim dicitur proprietarius, qui retinet dependentèr à voluntate Superioris; D. Augustinus relatus cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. ibi: *Certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine licentia Superioris.* Vnde Ioan. Andr. in cap. Cum ad Monasterium, dicit, illum Religiosum esse proprietarium, qui tenet contrà voluntatem Abbatis, ex ipso Graff. par. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 48. Subditur ergò in hoc etiam continuè votis obedientiæ, & paupertatis, cum fructus sui beneficij proijcere, & abuti non possit, siquidem à Superiore intelligitur licentiatus ad beneficium, vt eius fructus vtatur ad condecentem statum suæ personæ. Tum quia solus Papa Religiosos absoluit à voto professionis, vrgentissima subsistente causa, sed in casu nostro non constat de huiusmodi absolutione, quæ facienda esset per dispensationem; de quâ ne verbum quidem, ergò adhuc remanet Religiosus. Tum quia Religiosus factus Episcopus non absoluitur à voto professionis, vt docent sexaginta septē Doctores, quos contrà se citat Pasqualig. Decis. 267. pro se citans solum duo-

decim, nostris adde Tambur. tom. 2. disp. 22. q. 17. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 1. num. 9. Pellizzarius in suo Manuali tract. 8. cap. 6. num. 262. ergò multò minus absoluitur assumptus ad beneficium, cum magis distet Episcopatus à statu Religioso, quàm beneficiatus, nam Clericatus cum Clericatu non repugnat, sed benè identificantur maximè cum Canonicis Regularibus, qui ex natura rei Clerici sunt. Tum quia id expresse videtur colligi ex ca. De Monachis 3. 16. q. 1. *De Monachis, qui diù morantes in Monasterijs, si postea ad Clericatus Ordinem peruenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere.* Si Monachus, qui erat Laicus, assumptus ad Clericatum non desinebat esse Monachus, multò minus Clericus Canonicus Lateranensis assumptus ad beneficium, & factus Clericus, vt ità dicam, saecularis, desinet esse Religiosus. In terminis, quod Religiosus ad Parochiam vocatus remaneat Religiosus, docet Pellizzarius in Manuali tract. 8. cap. 6. num. 262. se referens ad dicta sub q. 6. lege tu illam. Benè Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 36.

Dices; iste Canonicus alias Lateranensis Religiosus in receptione beneficij deposuit habitum Regularem, modò subditur Episcopo, non amplius potest reuocari ad claustrum; nec amoueri à suo beneficio, vt clarum est, quae arguunt, ipsum non ampliùs esse Religiosum, sed absolutum fuisse à professione.

Respondeo, ex eo, quod non ampliùs defert habitum sui Ordinis, non benè infertur, non ampliùs esse Religiosum, quia habitus non facit Monachum, cap. Porrectum 13. cap. Ex parte 22. de Regul. Sed professio, de cuius irritatione non constat; ex eo paritèr, quod isti Canonici sunt capaces beneficiorum saecularium, non colligitur ex vocatione ad ipsa posse deponere suū habitum Regularem, & recipere Clericalem, siquidem nullo iure illis praescribitur mutatio habitus, sed deberent deferre Regularem, nihilòminus iure consuetudinis multum rationabilis, & valdè vtilis huic sacro Ordini Religioso conceditur mutatio habitus in vestem Clericalem, vt talis cognoscatur, qualem se gerit extrà claustrū. Subiectio Episcopo non arguit absolutionem à Regulari professione, quia olim Religiosi omnes de iure communi erant subiecti Episcopis, sicut modò sunt etiam Religiosi morantes extrà Claustra, in Tridentino sess. 6. ca. 3. sess. 7. cap. 14. ex quo etiam sequitur, non benè inferri, ex eo quod non possunt reuocari ad Claustrum, eos non esse Religiosos, & quia tales dicuntur adhuc à Concilio locis citatis, & quia sunt extrà perpetuò, & legitimè, ex quo non tenentur in hoc obedire Praelato Regulari, qui semel illos perpetuò dimisit ex perpetuitate beneficij, si tamen huiusmodi Canonici priuarentur suis beneficijs, reuocandi essent à Generali sub obedientia actuali Abbatis, nam anteà habitu, & virtute erant subditi, quod sufficit ad rationem Religiosi; demùm verum est, quod non potest priuari, nec amoueri à beneficio à Praelato Regulari, quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, non enim beneficium accepit ab eo, sed ab Episcopo tantùm, à quo solū priuari potest; nec hunc sequitur absolui ab obedientia, & proprietate, quia beneficium recepit de licentia Ge-

Generalis irreuocabili, sic exigente natura beneficij sæcularis, à quo beneficiarius non est amouibilis ad nutum superioris, sed ex causa tantum; adde, Religiosus non potest ad libitum, & sine causa amoueri ab officijs Regularibus electiuis ex communi Doctorum, quos citaui Resol.58. q.22. num.53. & tamen non absoluitur ab obedientia simpliciter, ergò neque in casu nostro. Quæ possent afferri in contrarium, iam sunt in præcedentibus soluta, quibus etiam occurri potest distinguendo, objicienda procedere contrà Religiosos manentes intrà claustra, non vero contrà legitimè dimissos ad manendum extrà, pariter procedere de officijs, & beneficijs Regularibus, non autem sæcularibus. Vide Consilium Vincentij Parensij fauore horum Canonicorum ad beneficia sæcularia, quod extensum habes apud Tambur. tom.3. disp.9. q.8. post nu.13.

DECISIO CDLXXXVIII.

An Canonicus Lateranensis extrà manens cum beneficio stare possit in iudicio?

QVamuis Religiosus non possit stare in iudicio, nec pro se, nec contrà se, non possit esse actor, nec reus; nec conuenire, aut conueniri, quia omnia sua iura, tam actiua, quam passiua, transtulit in Monasterium sub dominio Superioris, ita quod in hoc comparatur filiofamilias, & seruo, qui non possunt conuenire, nec conueniri, per l.Lis nulla, l. Vix, ff. de iudic. l. Seruis, C. eod. de Religiosis, gl. v. possidere, cap. Non dicatis 12. q.1. Nauar. tomo 2. comment.2. de Regular. num.65. Sanch. lib.6. cap.12. nu.1. & 2. Layman lib.4. tract.5. cap.11. Nihilominus beneficiarius extrà claustrum manens potest agere, & pati, conuenire, & conueniri respectu cuiuscumque negotij, & contractus, & non tantùm respectu sui beneficij, probatur auctoritate Tridentini sess. 7. cap.14. vbi decernitur, quod causæ ciuiles Clericorum sæcularium, & Regularium degentium extrà Monasterium videantur ab Episcopis, vti à Sede Apostolica deputatis; in hoc enim comparantur vtrique Clerici; sed sæculares nomine proprio conueniunt, & conueniuntur, ergò, & Regulares, atque id etiam supponitur iure communi ex cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confirmat. quæ iura citat Nau. tom.2. com.2. de Regular. num.65. §. Adde Sanchez lib.6. c.12. num.17. Layman lib.4. tract.5. c.11.

DECISIO CDLXXXIX.

An renuntiatio Nouitij suppleri possit per Conuentum post professionem?

NOuitius in ordine N. tempore præscripto in Tridentino sess. 25. cap.16. non fecit suam renuntiationem, quam poterat intra bimestre proximum professioni, ac proindè eamdem facere non poterat validè post emissam professionem, nihilominus ipse cum suis parentibus rogauit patrem Abbatem cum Monasterio, vt dignaretur præstare suum consensum simul cum Monasterio, & iuuene professo, quod factum fuit, nam

Monasterium simul cum iuuene renuntiauit omnibus iuribus, quę acquisierat intuitu ingressus, & professionis factæ per dictum iuuenem. Accidit autem huiusmodi renuntiatio, & cessio de anno 1602. Modò mouetur difficultas, an subsistat, ratio dubitandi est, tum quia renuntiatio hæc non fuit facta iuxta formam Tridentini præscriptam in loco citato, nam in duobus peccat; primò, quia non fuit facta à Nouitio, vt præscribit Tridentinum, sed à Professo, vt constat; secundò quia fuit facta extra illud bimestre antecedens professionem, nimirum post professionem, est autem manifestum, apud omnes, quod nulla est renuntiatio facta extra illud bimestre, vt ipsum asserit Concilium, & ibi Doctores, quos citat Barbosa ad dictum cap. 16. num. 38. Tum quia fuit facta sine licentia Episcopi, quod necessarium est ad eius valorem, ex eodem capite, quod etiam decisum in Romana fideicommissi 15. Nouembris 1624. coram Pirouano, refert idem Barbosa n. 30. Tum quia consensus Abbatis, & Monasterij nihil operatur, quia factum hominis non potest supplere formam à iure requisitam, nec illam mutare, l. Iulianus, §. fin. ff. ad exhibendum Viuius decis. 351. vol. 1. neque per æquipollens suppleri, cum debeat ad vnguem seruari, gl. v. Transponentes, cap. Cum dilecta de rescr. Osasch. Pedemont. decis. 163. num. 4. Iason Authent. Quæ supplicatio, C. de precibus imper. offer. Bald. in cap. Sciscitatus, de rescript. Quibus tamen non obstantibus.

Dico, eam renuntiationem valuisse, non, vt renuntiatio ad formam Tridentini, qua caret, vt probant allegata in contrarium, sed, vt cessio, & quædam alienatio iurium, quæ acquisierat Monasterium intuitu personæ profitentis, cuius bona, & iura per professionem transierant in Monasterium, benè autem potuit Abbas cum suo Conuentu illis renuntiare, quia licet de iure communi alienatio, & cessio iurium sit Regularibus prohibita per extrau. *Ambitiosæ*, iure tamen priuilegij potuit tunc Abbas cum Monasterio huic iuri cedere, habet enim priuilegium concessum à Pio V. incip. *Decet & expedit*, citatum à Tambur. tom. 3. disp. 13. q. 6. Nec obstat Decretum Vrbani VIII. reuocantis omnia priuilegia, quia sortitur reuocatio suum effectum respectu alienationum in futurum, non in præteritum; lex enim futura tantum respicit, cap. 2. & fin. de constitut. ea autem alienatio, de qua loquimur, satis antiqua est, facta, vt dictum fuit de anno 1602. & ex his patet ad rationes dubitandi.

DECISIO CDXC.

An simoniaca sit permutatio beneficiorum, cum pacto quod sub ea non comprehendantur fructus?

DVo Parochi intendunt permutare, ad inuicem suas Ecclesias cum beneficijs, sed quia vnius possessio, quasi inculta remansit, ac proindè pauci fructus sperantur, multi vero ex alterius possessionis cultura, ideò conueniunt in eo, quod permutatio non extendatur ad collectionem fructuum, sed vnusquisque Rector persistat in suis fructibus pro eo, anno,

anno, ac si nulla fuisset facta permutatio, obtinuerunt licentiam à Sede Apostolica permutandi, nulla facta mentione dictæ conuentionis fructuum. Quæritur, an sit simoniaca?

Respondetur, illam conuentionem non esse simoniacam, sed licitam, quisque enim iure naturæ potest se seruare indemnem. Confirmatur; quia, licet prouentus beneficij titulo debeantur, ac proindè illud sequantur, tamen cum separabiles sint, & consequentèr spectari possint, vt quid temporale, permutari possunt ad inuicem per Clericos patronos absque permutatione Ecclesiarum, eò quod nulla est simonia permutatio temporalis cum temporali, sed horum permixtio, & sicut nolentes permutare Ecclesias possunt permutare fructus suorum beneficiorum propria auctoritate, ita etiam idē præstare poterunt secuta permutatione Ecclesiarum, cum fructus semper sint fructus, & suam naturam non mutent. Et ita videtur decisum cap. Ad quæstiones 6. de rerum permutat. vbi dicitur, quod Ecclesiæ iure proprietatis possunt ad inuicem permutari, & possessiones earum etiam permutari, & pro minus valentibus pretium suppleri. Ita Panorm. in citatum ca. Cum eo, Angel. v. Permutatio 6. Sylu. q. 6. Tabiena v. Beneficium 3. nu. 18. Caietanus 2. 2. q. 100. art. 4. Contrarium sentiunt Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 17. Vasq. in opusc. de Benef. cap. 2. §. 4. dub. 3. Bonac. de simon. q. 4. §. 12. n. 10. Respondentes ad supracitatum textū, Papam loqui de possessionibus, quæ non sunt annexæ titulo beneficij, sed in totum temporales sunt, & extrà titulum spirituale beneficij. Sed ex textu verborum non colligitur talis distinctio, consequentèr, neq; nos distinguere debemus, immò ex contextu capitis potiùs colligitur, eas possessiones fuisse titulares, tum ex illis verbis: *Quarum vtraq; Parochialem habet Ecclesiam cum possessionibus*; Tum ex modo contrahendi permutationem extremis verbis: *Sic tamen, quod illi contractus nequaquam sibi inuicem misceantur*. Prohibetur mixtio, ne contractus temporalis prouentuum ex refusione pecuniæ inficiat permutationem Ecclesiarum labe simoniaca per mixtionem vtrumque ad inuicem. Inspectā autem conuentione præsenti, nullum hic apparet vestigium simoniæ, tum quia recompensatio non fit pecunia, sed ex eo, quod vnusquisque sit contentus fructibus prioris beneficij, quis enim prohibet, posse duos Rectores permutare ad inuicem fructus suorum beneficiorum, tàm antè, quàm post, simonia enim est, cum permutatio fit spiritualis cum temporali, ex communi Doctorum. Tum quia simonia non est, quandò quis releuat damnum emergens, dando aliquod temporale pro temporali ordinato ad spirituale, inquit noster Cottonus in summa Dianæ v. Simonia nu. 6. Tum quia simonia non est recipere aliquid pro labore circa spiritualia, gl. v. Sanitatis, cap. Qui studet 11. 1. q. 1. ergò neque pro damno emergente; Tum quia sicut vendi potest Calix, non obstante consecratione, quæ illum non fecit spiritualem quò ad materiam, sed reliquit in suo esse temporali, ita prouentus beneficij contrahi possunt, non obstante titulo spirituali, cui sunt annexi. Nec quidquam prodest responsio Vasq. loco citato, dum sub num. 184. dicit, quod ideò Calix vendi

potest,

potest, quia non est spiritualis ratione iuris, sed ratione benedictionis, sicut enim in se materia eius est temporalis, ita & ius illius, ac proindè vtrumque vendi potest; at verò fructus beneficij vendi non possunt absque eo, quod ius vendatur, hoc autem est spirituale, ideò non vendi potest, nec fructus illius. Non prodest, inquam, hæc responsio, quia idem ius, quod est in materia Calicis, est etiam in materiali fructuum, aliàs Clericus non posset locare fructus fundi sui beneficij, gratis ergò aufertur ius materiale ab his fructibus. Demùm quod beneficium N. habeat pinguiores prouentus, nō prouenit ex fundo, sed ex industria Rectoris, qui fecit colere fundum, & in eo seminare, &c. Alter verò Rector proptèr suam absentiam non procurauit culturam sui fundi, ideò disparitas fructuum consistit ab extrinseco, & penitùs materiali, consequentèr hic nullam video simoniam, sed compensationem iure debitam, non enim vnius negligentia alteri nocere debet.

DECISIO CDLXXXXI.

An nóua reseruatio casuum ab homine destruat reseruationem à lege?

NEgaui Resol. 61. num. 31. quia factum hominis nil potest contrà factum legis. Pasqualig. q. 165. se opponit, citando pro se Comitolum, Homob. Floronum, & Lezanam, probans; *Primò*, quia reseruans sibi aliquos casus, censetur alios negligere. *Secundò*, quia inclusio vnius est exclusio alterius. *Tertiò*, quia tunc casus nominati stant taxatiuè, ad quos solos coarctat reseruationem. *Quartò*, reseruatio hæc non est per additamentum, sed simplex reseruatio casuum. *Quintò*, quia non expressum habetur pro omisso.

Quibus non obstantibus persisto in mea opinione. Tum quia lex semper loquitur, l. Ariani, C. de hæret. l. Cum eorum, C. de sent. & interlocut. ac proindè perpetuò durat, vt dicit ipsemet Pasqual. q. 126. num. 4. ergò lex, seu statutum de reseruatione non cessat per reseruationem factam ab homine de alijs casibus, nisi expressè reuocetur, de quo non constat in casu nostro, reuocatio enim contingit per actum contrarium priori voluntati, ex cap. Si delegatus, de off. deleg. in 6. Bartol. in l. More maiorum, ff. de iurisd. om. iud. Tum quia lex, ac etiam statutum, in hoc enim æquiparantur, cessant vel per contrariam legem, & statutum, vel per consuetudinem oppositam, vel per dispensationem, ex allatis à Bonac. de leg. p. fin. sed per nouam reseruationem non cessat antiqua, cum illi non aduersetur, vt notum est, non enim reseruatio reseruationi opponitur, cum ad inuicem sint simbolæ, neq; dispensatione, aut consuetudine, vt supponitur, ergò adhuc viget; Tum quia sicut lex non tollitur per rescriptum, gl. v. Fecerint mentionem, cap. Nonnulli 28. de rescr. quia illa fortior est hoc, ita neq; reseruatio legalis tollitur per reseruationem ab homine, quia hæc illa est minus fortis, reseruatio enim ab homine, & à lege comparantur ad inuicem sicut præceptum, & lex, illud enim vti perpetuò non durans, sed ad tempus non potest destruere legem, cuius esse est perpetuū, ergò nec reseruatio hominis reseruationem legis. Tum quia intèr casus reser-

reseruatos Sedi Apostolicæ alij sunt à iure, alij ab homine, vt sunt illi, qui reseruantur in Bulla Cœnæ, quæ à singulis Pontificibus successiuè renouatur, & tamen per hanc reseruationem ab homine non tollitur reseruatio à lege, ergò idem dicendum est respectu inferiorum. Demum sequeretur nullum peccatum iure specialis statuti esse reseruatum in diœcesibus, & prouincijs, quia vbique Episcopi faciunt reseruationem ab homine.

Ad argumenta Pasqualigi respondeo illi opponendo Naldum v. Casus reseruatus nu.8. §. Quæ sanè,& huius opinionis sunt omnes illi, qui distinguunt, per mortem Episcopi cessare reseruationem respectu casuum ab homine, non à lege, seu statuto sinodali,quos pro se citat Auersa q.17. de Pœnit. sect.3. §.Episcoporum. *Ad primum*, gratis asseritur huiusmodi negligentia, immò id dicere absurdum est, cum leges ex negligentia non sint contemnendæ licet ex potestate reuocari possint. *Ad secundum*, inclusio vnius est exclusio aliorum similium non expressorum, hoc est, si fiat renouatio ab homine, censentur exclusi casus, qui non exprimuntur, licet alias essent ab homine reseruati, igitur inclusio aliquorum casuum reseruatorum ab homine, est exclusio aliorum alias ab homine reseruatorum, non autem reseruatorum à iure, siquidem inclusio est exclusio similium conceptorum sub eadem ratione, non verò conceptorum sub alia ratione. Vel dic, argumentum esse inutile, quia reseruatio ab homine, non solum excludit alios casus ab homine non expressos sed etiam excludit casus reseruatos à iure, non hinc tamen sequitur, casus reseruatos à iure desinere esse, quia ea exclusio est à reseruatione ab homine, non à iure, quæ non prohibetur stare, quandòcumque non probatur expressè reuocata. *Ad tertium*, dico reseruationem stare taxatiuè, quo ad casus similes, idest reseruatos ab homine, circa alios nil disponit, sed relinquit in suo esse, cum reseruatio sit compositiua, non destructiua. *Ad quartum*, dico, reseruationem ab homine posse dici additamentum reseruationi à iure, quia augetur reseruatio à iure per reseruationem ab homine, nec nimis excrescit reseruatio, cum vterque modus reseruandi sit legitimus, & à Doctoribus approbatus, quicquid dicat Pellizzarius in suo Manuali tractat.6. cap.2. q.16. num.90.qui tandem non videtur recedere à nostra sententia, sed eam approbare. *Ad quintum*, denique, verum est, quod non expressum habetur, pro omisso, hoc est, de casibus à iure reseruatis non expræssis, sed omissis nihil dispositum fuit per reseruationem ab homine, ergò remanent in suo robore. Adde, quod casus omissus relinquitur sub dispositione iuris, l. Si extraneus 6. de condition. causa dat. l. Commodissimè, ff. de libert. & posth. ergò non perit, quamuis omittatur, sed sub priori dispositione remanet.

D E-

DECISIO XDII.

An reseruatio casuum comprehendat peccata commissa antè eius promulgationem?

AFfirmaui Resol.38.num.47. cum Florono, Vgolino, & Naldo, quia in reseruatione attenditur tempus absolutionis, non perpetrationis peccati. Confirmatur, quia reseruatio est restrictio iurisdictionis Confessariorum, vt de communi docet Pasqualig.q.164. num.4. ergò reseruatio videtur magis afficere Confessarium, quàm pœnitentem, ac proindè parum refert, quod peccatum sit commissum antè, vel post promulgationem, cum vtroq; modo subijciatur absolutioni. Declaro, seu limito, hanc responsionem locum habere, quandò reseruatio loquitur in rem, vel in tempus præsens, hoc modo; Blasphemia hæreticalis. Iuramentum falsum. Item: Qui sunt excommunicati. Qui commiserunt sodomiam. In his reseruatio respicit præteritum, & futurum, cum verba vtrumq; respiciant. Si verò casus loquatur in personam cum verbo de futuro, tunc reseruatio respicit futura tantùm peccata commissa post promulgationem, his modis. Qui in iudicio falsum deposuerit. Qui sodomiam commiserint. Hanc nostram responsionem amplectitur Auersa de Sacram.Pœnit.q.17.sect.3. in fine, vbi dicit, id esse consonum iuri, & rationi, Diana par. 8. tract.7. quem me citato sequitur Pellizzarius tract. 6. cap. 2. num.126.§. Addo.

Insurgit Pasqualigus q. 166. probando, reseruationem non extendi ad commissa; primò quidem, quia lex non plus extenditur, quam se extendat finis, & ratio ipsius, ob quam proximè legislator mouetur, ac proindè cessante ratione legis, & causa finali, cessat etiam lex; ad hanc maiorem congerit leges, & Doctores; sed finis reseruationis est obuiare peccatis, vt docent omnes, ergò reseruatio comprehendit tantùm futura, & non iam commissa, cum istis nullus obuiare possit. Secundò, quia reseruatio legem imitatur, sed lex respicit tantùm futura, ex vulgatis iuribus, ergò idem facit reseruatio, siquidem præterita iudicanda sunt secundùm legem antiquam, non secundùm nouam, consequentèr reseruatio restringit quidem iurisdictionem Confessarij, sed tantum in ordine ad committenda.

Occurritur argumentis, dicendo ad primum, verum esse, quod lex non plus se extendit, quam faciat finis, à quo legislator mouetur ad legem condendam, consequentèr, quandò condit legem reseruationis à prædicto fine obuiandi peccatis, mouetur, quoniam autem obuiatio non specificatur ab hoc, vel illo peccato in specie, sed in genere non spectatis peccatis commissis, vel committendis, ideò sub eadem reseruatione cōprehendit vtrumque genus peccati, licet enim obuiatio habeat pro obiecto peccatum futurum, nihilòminus extenditur etiam ad præteritum, in quantum pœnitens reddendo se difficilem, & incommodum ad inueniendum Pœnitentiarium, vel Superiorem pro absolutione à reseruatis, retrahitur à futuris culpis, cōsequentèr peccatum iam commissum inuoluit motiuum, quod inducit legislatorem ad reseruationem. Deindè finis reseruationis non tantùm est obuiare

niare peccatis futuris, sed etiam vt per illorum absolutionem faciendam tantum ab Episcopis, vel ab eis specialitèr deputatis, occurratur prudentius cum meliori medicina attrocioribus peccatis, vt enim dicitur sess. 14. cap. 7. reseruatio fit, vt *atrociora quadam, & grauiora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur*. Nam melius consilium, & aptior medicina conferri potest ab Episcopis, & ab eisdem deputatis, quam à singulis Confessarijs indifferentèr; sed consilium, & medicina omnibus peccatis indifferentèr est applicabilis, ergò reseruatio ad hunc finem facta comprehendit peccata, tàm futura, quàm præterita. Prætereà, legislator potest peccata etiam commissa antè promulgationem nondùm remissa per absolutionem sibi expresè reseruare, vt omnes debent concedere, ergò in reseruatione non est necessarium, vt legislator moueatur à sola obuiatione, sed aliundè etiam moueri potest, nempè, vt melius agatur cum peccatore per Prælatum, aut Pœnitentiàrium prudentiorem. Insupèr, quod cessante causa, cesset lex, res hæc est satis dubia, & variè interpretatur, atq; pro negatiua referuntur quamplures Doctores à Diana resol. 28. de legib. Neque enim tollitur lex, si causa cesset in multis, vt accidere potest in casu nostro, multi enim sunt homines pij, qui nunquam incurrunt reseruationé, & sic quamvis reseruatio illos non afficiat, non ideò tamen destruitur in se lex, sed remanet in suo robore.

Ad secundum, lex respicit tantum futura, dico, hanc legem habere suas declarationes, & legem comprehendere præterita; *Primò*, quandò ipsa loquitur generalitèr, & indifferentèr, tunc enim refertur ad vtrumq; tempus, Roman. in cap. 1. de Summa Trinit. in 6. §. Item hoc verum, Gabriel. commun. opin. de regul. iur. concl. 3. num. 11. in casu autem nostro supponimus, tenorem reseruationis esse generalem, & indifferentem, ac proindè vtrumq; tempus includit. *Secundò*, lex non trahitur ad præterita, quandò iam decisa fuerunt, im nò licet lex de preteritis loquatur, l. Causas, C. de transact. Bartol. in l. Omnes populi, de iust. num. 41. Crottus num. 137. Abbas in cap. fin. de constit. num 9. Felin. nu. 3. constat autem preterita peccata nondùm confessa dici indecisa, ac proindè lex ad ea extenditur. *Tertiò*, lex comprehendit præteritum, quandò respicit actus futuros ex illo præterito, Felin. in cap. fin. de constitut. colum. 11. est autem manifestum, absolutionem à quocumq; peccato respicere preteritum, ergò & reseruatio. *Quartò*, Papa cap. 2. de constit. reddit rationem, cur lex non trahitur ad preterita, nimirùm: *Ne detrimentum antè probibitionem possint ignorantes incurrere*, quæ ratio nullius est momenti in casu nostro, nam ignorantes reseruationem adhuc illi subijciuntur, ex cõmuni Doctorum apud Mazuchellum de casib. reser. disp. 1. q. 2. num. 16. vbi citat Vgolinum, Homobonum, & Sanchez, nouissimè Illuminatus Moronus Reformatus Minorum Responso 19 num. 23. Diana part. 6. tract. 6. resolut 42. vocat communem, & par. 8. tract 7. resol. 70. & sequitur, Nald. num. 7 Lupus par. 1. dist. 4. art. 2. diffic. 1. Floronus part. 1. cap. 3. num. 14. Auersa q. 17. de Pœnit. sect. 1. §. Satis tamen, ergò, sicut non sunt excusandi à reseruatio-

uatione propter ignorantiam, ita neque propter tempus antecedens promulgationem reseruationis ideò ignoratæ. Quarè peccata commissa, antè reseruationem iudicanda sunt, non secundum legem, quæ vigebat tempore delicti, sed per nouam legem, quæ est in obseruantia tempore absolutionis, nam Confessarius debet inspicere, & obseruare legem, quæ illi prohibet absolutionem à talibus peccatis, ita quod omnia, & sola peccata, quatenus commissa, cadunt sub iudice absoluenda, prout iam commissa sunt, & non committenda.

DECISIO CDXCIII.

An Parochus possit sibi reseruare casus?

PAter F. Illuminatus Moronus Reformatus Minorum Responso 19. num. 11. dicit, quod Parochus in sua Parochia potest sibi reseruare casus, licet consuetudine sit effectum, vt tali iure sibi competente non vtatur, quis enim neget Parochum assumentem sibi socium ad audiendas Confessiones tempore aliquarum solemnitatum posse illi conferre tantum illam facultatem, quæ sibi magis expedire videbitur; & pro se citat Capeauillam, Suarez, & Reginaldum.

Dicendum tamen est, Parochum, & nullo iure vmquam habuisse facultatem reseruandi sibi casus, & non posse limitare facultatem Confessariorum, quos sibi vocat in Socios.

Primum suadetur, quia omnes Doctores excludunt ab hoc iure Parochos, Homobonus de casib. reseru. part. 1. cap. 2. cum eo Mazuchellus disp. 1. q. 1. nu. 7. citans pro se dictum Capeauillam, Fabr. de Pœnit. disp. 27. num. 21. Ratio est, quia ad reseruationem requiritur potestas Episcopalis, vel quasi, nam reseruatio dicit ademptionem iurisdictionis à Confessarijs respectu illorum peccatorum, qui sunt reseruati, quarè nullus potest sibi casus reseruare, qui non habet sub se alios Confessarios; Parochi autem, nec habent iurisdictionem quasi Episcopalem, nec sub se alios habent Sacerdotes, ergò nullum ius habent reseruandi sibi casus. Confirmatur, quia in iure tam veteri cap. 2. de Pœnit. in 6. quam nouo Tridentini sess. 14. cap. 9. & can. 11. atque alibi, fit tantum mentio de Episcopis reseruantibus, ergò alij inferiores excluduntur à iure reseruandi.

Secundum, quod Parochus non possit limitare potestatem Confessarij à se vocati, clarum est, quia non potest vocare, nisi iam approbatum ab Episcopo, qui illi, vt suppono, dedit facultatem absoluendi ab omnibus non sibi reseruatis, sed inferior non potest limitare gratiam alteri factam à Superiore, cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de maior. ergò Parochus cum sit Episcopo inferior, & subditus non potest vocare Confessarium cum huiusmodi limitatione, & ita in terminis Megal. lib. 1. de Pœnit. cap. 11. nu. 2. §. Dices. Confirmatur, quia Parochus non dat illi iurisdictionem, quam iam habet ab Episcopo excipiendi Confessiones, aliter ab eo vocari non posset in seruitium suæ Ecclesiæ, ergò nec auferre potest, seu limitare, ad quod facit illa communis regula, quod res

per

per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.

DECISIO CDXCIV.

An Reliquiæ sint inalienabiles ex Bulla: Ambitiosæ, de rebus Eccl. non alienan.

POssunt alienari sine solemnitate illius, vt probaui Resol.27.n.62. quia in ea Bulla prohibetur alienatio rerum pretio æstimabilium. Confirmatur ex textu eiusdem extrauagantis illis verbis: *Ambitiosæ cupiditati*, quæ propriè referuntur ad auaritiam, quæ respicit æstimabilia pretio, & pecunia, nam auarus dicitur ab auro, & vocatur ambitiosus, cap. Auaritiæ 5. de elect. in 6. ibi glosa v. Cæcitas, glosa v. Prodigalitatis vitio cap. Ex parte 10. de consuetud. Deindè textus habet, quod ex immobilibus, & prætiosis mobilibus Ministri Ecclesiarum sibi alimoniam vindicant, alimenta autem habentur ex rebus pretiabilib. non ex reliquijs impretiabilibus.

Pater Pasqualigus q.181. nostram opinionem putat improbabilem, probat *primò*, quia in Paulina prohibetur alienatio, non solum bonorum, sed etiam rerum Ecclesiæ, non distinguendo de rebus pretio æstimabilib. à rebus impretiabilibus, ideò neque nos distinguere debemus. *Secundò*, quia nomine *rei* venit omne id, quod est aliquid, ac proindè sub illa dictione, *Omnium rerum*, veniunt etiam Reliquiæ, maximè cum lex fauorabilis, qualis est Paulina, comprehendat omnia, quæ sub aliqua significatione verborum, siue naturali, siue ciuili includuntur; quod adeò verum est, vt etiam in pœnalibus fiat extensio ad casum, qui sub larga significatione verborum comprehenditur; & multa alia cumulat ad probandam huius Paulinæ extensionem, seu potius comprehensionem Reliquiarum, ita quod extensio comprehensiua, attendi non debet secundum ipsa verba, sed secundum ipsam rationem, quæ in eo consistit, vt Paulus II. motus fuerit ad prohibendam alienationem omnium rerum, etiam Reliquiarum, ne Ecclesia suis ornamentis, quibus illustratur, priuetur, & detrimentum patiatur.

Quibus tamen non obstantibus, persistendum est in decisis, quæ confirmantur resolutione obiectorum, nam ad primum respondeo, licet nomen *res* sit generale omnia comprehendens, l.1. ff. si certum petat. Rota Romana vol.2. decis.72. nu.3. Barbosa hac appellat.235. quia tamen verba generalia pariunt obscuritatem, l. Ita fidei ff. de iure fisci, ideò restringenda sunt ad formam alterius legis declarantis, quæ declaratio in casu nostro habetur cap. Nulli 5. de rebus Eccles. non alien. vbi nomine alienationis venit donatio, venditio, permutatio, emphyteusis, & similia, quæ referuntur ad res temporales, & prætio æstimabiles, vt colligitur ex antecedentibus, & sequentibus textibus, qui semper loquuntur de huiusmodi rebus temporalibus, & nunquam de spiritualibus ratione sui. Deindè distinctio horum duorum terminorum *rei*, *&* *bonorum*, quasi sub primo comprehendantur etiam reliquiæ, & non sub secundo, inefficax est ad probandum suum intentum, quia etiam sub secundo venire possunt,

sunt, quia res, & bonum conuertuntur secundum Philosophum, ita quod æquipollent ambo in iure secundum allegata per Barbosa Appellat.75. & 235. ideò nihil concludit. Præterea inquit, quod, vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; Ipse distinguit, reliquias venire sub nomine rei, si non possunt venire sub nomine bonorum, redarguit nos in eo, in quo ipse peccauit, licet autem nobis distinguere, tum propter rationem allatam de rebus temporalibus, quia de illis solis fit mentio in titulis de hac materia, tum quia distinctio locum habet, quandò lex circà speciales casus prouidit, ex l. Stichus, ff. de alim. cibar. leg. ibi Legistæ, vndè lex generaliter loquens non refertur ad specificata, l. Stipulationes 53. ff. de verb. signif. l. Doli 119. eod. sed lex iam anteà prouidit specialiter circà Reliquias transferendas de licentia etiam Episcopi, cap. Corpora 37. de consecr. dist.1. & in titulis, de Reliquijs, vbi capite 2. prohibetur eorum venditio, non autem translatio per donationem, ex quo ille antiquus canon subsistit, neque per subsequentem Extrauagantem Pauli II. *Ambitiosæ*, illis derogatum fuit, cum ne verbum quidem de iuris reuocatione, quod etiam suadetur, quia lex Generalis noua non tollit casus speciales legis antiquæ, gl. in l.3. C. de Silentiar. lib.12. Gonzal. ad Reg. Cancell. §.7. proœm. num.75. ex eo Peyrin. tom.3. priuileg. cap.5. nu.1.

Ad secundum respondetur ferè eodem modo, falsum namq; est, sub nomine generali, *Rerum omnium*, venire etiam Reliquias, quia quæ habent proprium nomen specificum, & elegans non veniunt sub generalissimo vocabulo, l. Item apud Labeonem §. Prætor, ff. de iniurijs, vndè sub reuocatorijs dispositionibus non veniunt Indulgentiæ, nisi proprio nomine exprimantur, Lezana cap.3. de obligat. regul. num.19. Deindè ex allatis ab ipso videtur sub nomine rerum venire Reliquias non propriè, sed sub lata significatione, ex quo sequitur contrà ipsum, sub Extrauaganti non comprehēdi Reliquias, quia in odiosis, & pœnalibus verba non impropriè, sed propriè accipienda sunt secundum eorum germanam significationem, l. Non alitèr, ff. de legat.3. l. Cum lege, ff. de testam. Craueta consil.20. num.9. consil. 105. num.2. Decius consil.113. num.6. Surd. consil.140. à num.63. consequentèr lex odiosa, cuiusmodi est hæc Paulina, est explicanda, & extendenda quantum important verba secundum propriam eorum significationem, & non vltrà, vt docent omnes apud Suar. lib.6. de legib. cap.1. Bonac. q.1. de legib. p.8. num.8. Rodr. tom.1. q.11. art. 6. Regula 14. & q.47. art.1. ad finem, Sanchez lib.10. disp.4. num.3. qui dicit cum glosa, Antonino, Castrensi, & alijs, multò verius esse, legem pœnalem non extendi de vna re ad aliam, de vna persona ad aliam, de vno casu ad alium, ab identitate rationis, à simili, à contrario, aut alio quovis motiuo, etiam si appareat similitudo rationis expressæ, quia expressio rationis non extendit legem, ex quadam glosa, & Nauarro ex Rodriq. tom.2. q.67. art.2. §. Si enim, Diana resol.26. de legib. Et ex his patet probabilitas nostræ sententiæ, etiam secundum prædictos Doctores, Bonacinam, & Dianam part.4. tract.4. resolut. 223. quam sequi-

quitur Pellizzarius tract. 6. cap. 8. qu. 32.

DECISIO CDXCV.

An attentans Assassinium, morte non secuta, gaudeat immunitate?

RESpondetur affirmatiuè, quia ad assassinium pœnam iuris inducens, tria sunt necessaria regularitèr, Mandatum, Pretium, & Homicidium, ex communi Doctorum Couar. lib. 3. Var. cap. 20. num. 9. Ita docet Diana par. 6. tract. 1. resol. 11. §. Verum; Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 9. contrà multos alios; cum quibus est Pellizzarius in Manuali, tract. 8. cap. 5. q. 10. Dixi, *Regularitèr*, quia quandoq; leges volunt Assassinium incurrere pęnas, licet non sequatur mors, vt in cap. 1. de homicid. in 6. Quandò igitur lex non se explicat; Assassinium in ordine ad pœnas intelligitur, sequuta morte.

DECISIO CDXCVI.

De illicitis electionibus per ambitum, & fauores.

AD sequentia dubia. *Primum*, an Religiosus procurans officium per fauores extrà Religionem incurrat aliquam pœnam? *Secundum*, an electio per huiusmodi fauores nulla sit? *Tertium*, an sic electus teneatur à se abdicare officium? *Quartum*, an gesta ab huiusmodi electo, qui non vult renuntiare, valeant? *Quintum*, si pœna sit excommunicationis, an absoluere possit suos subditos, & absolui? *Sextum*, an nolens dimittere officium ex ambitu quæsitum sit in statu peccati mortalis? Respondetur.

Primò quidem, contrà ambientes sunt plures Bullæ contrà particulares Religiones, contrà Camaldulenses Clem. VIII. Bulla 43. incip. *Ambitiosam*, infligit etiam complicibus, & fautoribus pœnam priuationis obtentorum, cum inhabilitate de cętero, atque vocis actiuæ, & passiuę, promotiones alitèr factas irritando. Contrà Canonicos Regulares S. Saluatoris Paulus V. Bulla 35. incip. *Quoniam nemo*, afficit illos excommunicatione, irritando eorum electiones extrà emendicatas. Contrà Carmelitas Clemens VIII. Bulla 23. incip. *Quoniam nemo*, easdem pœnas infligit. Contrà Cruciferos Clemens VIII. Bulla 109. incip. *Quoniam nemo*; easdem pœnas. Contrà Dominicanos Gregorius XIII. Bulla 62. incip. *Cum nihil magis*. Confirmata à Clemente VIII. Bulla 7. incip. *Religiosos viros*. Ambas ampliat, & approbat, addendo pœnam excommunicationis Paulus V. Bulla 39. incip. *Admonemur*. Contrà Eremitas S. Hieronymi de obseruantia Gregorius XIII. Bulla 90. incip. *Ea, quæ*. Contrà Cęlestinos Paulus V. Bulla 10. alias 98. incip. *Quoniam nemo*. Contrà Cassinenses Gregorius XIII. Bulla 16. incip. *Nihil in vnaquaque*. Contrà Cistersienses Italos Paulus V. Bulla 79. incip. *Alias per nos*. Contrà Minores de obseruantia subornantes, & ambientes Pius V. Bulla: *Pastoralis officij*, 128. de qua Rodr. tom. 2. q. 56. art. 2. alia incip. *Admonemur*. Pauli V. explicata à Portello v. Officia Ordinis. Contrà Minimos

eiusdem Pauli incip. ***Admonemur***, quã extendit Peyrinus de Priuileg. ad Constit. 5. Pauli V. Sunt contrà ambientes extrà ordinem, quibus pœnis, & quomodò transgressores eisdem afficiuntur, lege easdem Bullas. Sed frustrà album denigro, praxis enim certissima vbique aduersatur. Pœnæ autem inflictæ contrà Religiosos vnius ordinis non extenduntur ad Religiosos ambientes alterius ordinis, qui carent Bullis prohibitiuis, vt docet Sigismundus Capuc. dub. 56. de elect. n. 10. in meo ordine nulla extat Bulla prohibens ambitum. Verum quidem est, quod omnibus Regularibus prohibetur ambitus, & procuratio vocis sub pœna priuationis officiorum obtentorum cum inhabilitate à nomine dispensandis, nisi à Sede Apostolica, vt legitur in constitut. Clem. VIII. nu. 35. de quibus esto idem iudicium, ac de supradictis Bullis. Vide Pellizzar. tract. 6. cap. 14. q. 47. Lezanam tom. 1. cap. 10. nu. 17.

Qui in ordine Minorum de obseruantia procurat officium per fauores extrà ordinem, seu oblatos recipit, est ipso iure excommunicatus, priuatus vocibus, & effectus inhabilis, per citatam Bullam Pij V. & adiunctam declaratoriam Gregorij XIII. incip. *Ad tollendam*, & Pauli V. de qua suprà. Incurrit autem pœnas ille Religiosus, qui solum litteras accepit, licet nondum peruenerint ad manus Superiorum, qui electuri illum sunt, quia fauor dicitur procuratus, aut receptus per solam expeditionem litterarum, quas recepit in suis manibus fautorius, Rodriq. tom. 4. Sum. cap. 141. corrigens se de eo, quod dixerat citata q. 56. art. 2. tom. 2. cum suo compend. resolut. 48. num. 48. Portellus v. officia ordin. nu. 35. etiam qui oretenus procurant, contra Nauar. consil. 19. de excom. nu. 2. Peyrinum de subd. q. 2. cap. 2. §. 10. ex illis Lezanam tom. 1. cap. 15. num. 27. asserentes, pœnas non incurri, quandò litteræ non peruenerunt ad manus Superiorum.

Secundò, electiones procedentes ex ambitu sunt ipso iure nullæ, vt colligitur ex supracitatis Bullis, non solum, quia ita decernitur in dictis Bullis, verum etiam ratione excommunicationis contractæ in procuratione huiusmodi officiorum, ad quæ ambitiosi fuerunt assumpti, licet excommunicatus nondum sit denuntiatus, nam electio excommunicati est ipso iure nulla, & communi Doctorum in cap. Constitutus, de appellat. cap. Postulasti, de cler. excom. min. Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 7. num. 1. Nau. cap. 27. nu. 21. Sigism. dub. 66. de elect. num. 2. Lauor. tit. 4. de elect. c. 16. num. 85. Bonac. q. 2. de excom. p. 4.

Tertiò, non ideò tamen ex hac nullitate sequitur, quod assumptus ad officium, licet peccet, teneatur à se officium abdicare antè sententiam Iudicis, coram quo probandum est, officialem tale delictum commisisse, propter quod incurrit eas pœnas priuationis, ita in terminis Peyrin. de Subdito q. 2. c. 2. §. XI. ad finem Portellus v. officia ordinis num. 5. quò ad abdicationem officij, quibus adde Sayr. lib. 3. in Claui c. 9. num. 35. de pœna vocis, Sotum lib. 1. de iustit. q. 6. art. 6. ex illo Rodriq.

tom. 2.

tom.2. q.56. art.1. fine, Sanch.lib.9. disp.30. de pœna inhabilit. Nau.to.3. de Datis notab.31. num.44. Sanch. lib.7.disp.13.n.1. Diana p.2.tract.17. resol.67. Pellizzarius in Manuali tract.6. cap.1. nu.66. Lezana tom.1. cap.8. 33. & cap.10. nu.31. & tom.3. v. Pœna Ecclesiastica à num.8.

Quartò, sequitur ex mox dictis, cum officialis non teneatur à se abdicare officium, sed requiratur sententia Iudicis, ideò ex hoc capite gesta ab illo tenent in vtroque foro, & id confirmatur, quia licet electio nulla sit in foro externo, sustinetur tamen pro valida in foro conscientiæ, quandò est valida de iure naturæ, cui nec tenetur renuntiare electus, Rosella v.electio 1.nu.29. Sylu.num.11. Nau. consil.8.de elect. Innoc.in cap. Quod sicut, de elect. num.7. Peyrin. de subdito q.1. cap.31. §.VI. concl.5. Megal. lib.2. de contract. c.7. nu.56. ergò acta à sic electo valida sunt, quia sui valoris radicem habent à vero officiali potestatem habente. Ex parte etiam excommunicationis, quandò officialis nondum fuit denuntiatus, gesta per illum tenent, quia excommunicatus tantum vitandus perdit iurisdictionem, & nulliter agit, non vero toleratus, vt docent omnes cum Nauar. cap.27. nu.21. Guttier. lib.1. canon. cap.1. num.82. Vasq. de excom. dub.5. nu.6. Sayr. libr.2. de censur. cap.6. Bonac. q.2. de excom. p.5. propos.2. Scrofa q.6. num.3. in suis Solution. Moralibus.

Quintum deducitur ex præcedentibus, nimirum posse huiusmodi Superiores suos subditos absoluere eo modo, quo alij Superiores legitimè sine ambitione assumpti ministrare possunt Sacramenta suis subditis, cum, vt probatum fuit, sint verè Superiores potestate non carentes.

Quamuis sic electi per ambitum aliqui sint excommunicati, priuati vtraque voce, & inhabiles ob crimen ambitus iuxtà tenorem Bullarum, vt patet excommunicatio reseruata cōtrà Minores de obseruantia ex Pio V. & Gregor. XIII. altera vero Pauli V. non reseruatur ex tenore Bullæ, & obseruat Portellus v. Officia Ordinis num.11. nec illa contrà Minimos, tamen adhuc absolui possunt à suis Superioribus, præsertim vigore Tridentini sess.24. cap.6. nam facultas ibi concessa Episcopis comprehendit etiam Superiores Regulares ergà suos subditos, quia Prælati Regulares habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem, vti Generalis, & Prouincialis veniunt sub nomine Episcopi, vt docent Rodr. to. 1. q.61. art.9. Beia par.4. casu 37. Faustus lib.3. Thesauri q.125. Portellus v. Prælatus num. 36. quos pro se citat Diana par.7. tract.2. resolut.5. necessè tamen est, quod casus sit occultus ad formam Tridentini, si verò sit publicus, Superior tunc vtatur priuilegijs, iuxtà quod dixi Resol.3. q.2. 6. & 11. Nec obstet, quod supradictæ Bullæ sint posteriores ad Tridentinum, quasi illud non comprehendat casus post à Sede Apostolica reseruatos; est enim opinio communior Bonacinæ, Mazuchelli, Peregrini, Bossij, Gauanti, Suarez, quos pro se citat Diana par.7. tract. 2. resol. 20. quod illud priuilegium comprehendit quoscumq; casus, siuè antè, siuè post Concilium Papæ reseruatos.

Sextò demum sic electus, & toleratus potest perseuerare in officio, quia illud, vt dictum fuit, à se abdicare non tenetur, non solùm, vt non se infamet, si casus sit occultus, sed etiam, quia ita practicatur à multis, stante validitate electionis iure naturali, & nõ obstante inualiditate iure positiuo, siquidem Bullæ huiusmodi, aut simpliciter receptæ non fuerunt, cum passim illis obuietur, scientibus, & conniuentibus Superioribus, aut non obseruantur cum tanto rigore apud Regulares, & reuerà non sunt animæ eorum tàm acriter onerandæ, attenta temporum conditione, & Religiosorum procliuitate ad officia, bonum enim opus desiderat, qui Episcopatum desiderat.

DECISIO XDVII.

An Superiores Regulares propria auctoritate sibi possint reseruare casus?

PRobaui Resolut. 37. q. 30. Superiores Regulares, non posse propria auctoritate reseruare sibi casus enumeratos à Clemente VIII. sed in illorum reseruatione debere seruare formam ibidem præscriptam, quæ cõmunis est, tàm non enumeratis, quàm enumeratis sub his verbis: *Si quod aliud prætereà peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur; id non alitèr fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu*. Hæc est forma seruanda, cuius omissio certè inducit nullitatem, tum ex illis verbis: *Id non alitèr fiat*, quæ important nullitatem actus, si forma præscripta non seruetur, Bart. in l. fin. C. de vendicat. rer. ciui. lib. XI. Felin. in cap. Cum dilecta, de rescr. col. 19. §. Septimum signum; Rota diuers. decis. 446. num. 5. par. 1. Gratian. Disceptat. 949. nũ. 78. Tum ex illis: *Matura discussione, & consensu*; quæ paritèr indicant formam substantialem, & sine illis nihil fit validum, cap. Cum consuetudinis, de consuetud. cap. 1. cap. Ea noscitur, ca. Tua nupèr, de ijs, quæ fiunt à Prælat. Sigism. dub. 111. de elect. Riccius par. 3. Resolut. 300. nu. 7. & 8. Neque dicas, hanc doctrinam restringi ad casus tantum non numeratos. Quia certè ea clausula: *Si quod aliud prætereà*, extendit se ad vtrosq; nam facit positionem eiusdem qualitatis, & formæ ad præcedentia, l. Quidam relegatus, ff. de rebus dub. ibi Bartol. Doctoribus allegatis à Barbosa dict. 26. num. 1.

Pater Auersa q. 17. de Pœnit. sect. 2. fine, agente P. Diana, cuius labores in Vrbe, & orbe plausibiles, part. 8. tract. 7. resol. 69. auertit se à nostra opinione ex triplici capite, & quia apparet manifestè ex tenore eiusdem Decreti, posse Prelatos reseruare sibi propria auctoritate illos casus expressos; & quia in praxi ab omnibus Regularibus obseruatur; & quia Doctores à me citati meam opinionem non docent. Ad primum dico, suum dictum non magis colligi, quam meum, immò magis meum ex rationibus adductis loco citato, tàm enim imprudens potest esse reseruatio casuum expressorum, quam non expressorum, ideò sub eadem matura discussione, & consensu reseruandi sunt expressi, quibus reseruan-

uantur non expressi. Nec te conturbent illa verba: *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet.* Quasi id facere possint à seipsis, siquidem tantū iudicant denominationem tribui principali, sed cum debitis requisitis, de quibus in fine casuum enumeratorum.

Ad secundum, non video hanc praxim, nam Bartolucius in cap. 7. Regulæ S. Francisci, testatur, illos casus expressos fuisse reseruatos primò in Capitulo Generali de consilio, & consensu Patrum assistentium. Quod paritèr eodem modo renouatum fuit in Constitutionibus Vrbanis supèr dictū cap. folio mihi 223. Ita practicatur etiam in mea Prouincia Bononię, nam in multis Capitulis interfui, in quibus prædicto modo proceditur in reseruatione casuum numeratorum.

Ad tertium, citaui pro me Sorbum v. Absolutio ordin. quò ad Fratres, §. Et sic, §. Et tunc. Coriolan. sect. 1. art. 4. num. 2. & 3. Floron. cap. 2. num. 21. §. Quarè si, Beia casu 16. part. 3. Confect. tit. 17. cap. 8. Respondeo, pręfatos Doctores subobscurè loqui, nihilòminus trahi possunt ad nostram sententiam, ambigua enim locutio stat ad vtrumque. Doctoribus citatis ab Auersa, & pro ipso adde Moronum Resp. 86. Pro me Peyrinum de Pręlato q. 3. cap. 2. num. 7. & P. Raymundum Cassiuam in sua Mistagogica v. Absolutio nu. 7.

DECISIO CDVII.

An Regulares cogantur ad processiones censuris?

Affirmaui Resol. 7. num. 9. & hic Decis. 92. & pro hac parte Diana par. 8. tract. 7. Resol. 5. citat vigintitres Doctores, ipse tamen oppositum sentit, & probat sequentibus argumentis. *Primò*, quia non obstante, quod Concilium det facultatem cogendi Regulares ad processiones, non ideò tamen sequitur, illos cogi posse censuris, lex enim noua simplicitèr loquens accipit determinationem à lege veteri, quæ cap. 1. de priuileg. in 6. disponit, ne Regulares ab Episcopis posint censurari, ergò alijs pœnis sunt plectendi. *Secundò*, quia quandò Concilium voluit Episcopos censurare Religiosos, id expressit, quod non fecit in hoc casu, ergò signum est, quod noluit tribuere illi hanc facultatem, & sic intrat Regula illa, quod expressum facit cessare tacitum. *Tertiò*, nec obstat cap. fin. sess. 25. quatenus mandat obseruari omnia Decreta de Regularibus, non obstantibus priuilegijs; nec Bulla Pij IV. quæ reuocantur omnia priuilegia contraria Tridentino, quia non sunt contraria, immò conformia, nempè quod in aliquibus possit procedere per censuras, in alijs verò, quòd abstineant. *Quartò*, ex his conciliantur Responsiones S. C. quæ videntur pugnare intèr se, nam affirmantes responsiones, posse nimirùm Regulares pèr censuras ligari ab Episcopis, intelligendæ sunt in casibus expressis in Tridentino, negantes verò intelligendæ sunt respectu casuum, in quibus Tridentinum non facit mentionem de censuris, vt in casu de processionibus. Pro se autem Diana citat sexdecim Doctores.

Ad primum respondetur, immò sequi oppositum, ex eo enim, quod Concilium statuit, Episcopos posse com-

pellere Regulares ad processiones, nō determinando, quo genere pœnę possit illos cogere, in eius erit optione eligere pœnam, siuè spiritualem, siuè temporalem, ac proindè poterit eligere censuram, pœna enim est arbitraria, quandocumque iure certa non statuitur, ca. De causis 4. §. Illis etiam, de offic. deleg. cap. Super his 16. de accusat. glos. vtrobique verb. Arbitrium. Sed à Concilio certa pęna non statuitur ad compellendum Regulares ad processiones, ergo in arbitrio est Episcopi eligere censuram, si non vult vti temporali. Ad eam Regulam: Lex noua simplicitèr loquens accipit determinationem à lege veteri; Dico, intelligi respectu subditorum, non respectu iudicis, quandò aliunde colligitur, determinationem pendere ab arbitrio Iudicis exequentis præscriptum legis. Ad cap. 1. de priuileg. in 6. dico, ea priuilegia, vt Religiosi non possint censurari ab Ordinarijs, intelligenda esse respectu earum rerum, quibus illis non subduntur, nam, si delinquant in subiectis adhuc censurantur, vt ibidem dicitur expressè, vnde benè gl. in cap. Placuit 4. 6. q. 3. dicit, quod exemptus in re non exempta delinquens potest excommunicari ab Episcopo, iuribus ibi allegatis.

Ad secundum, in aliquibus locis Tridentini datur facultas Episcopis compellendi Regulares opportunis remedijs, cap. 1. sess. 5. ad habendam lectionem Sacræ Scripturæ in suis Monasterijs cap. 2. eiusdem sessionis negligentes compelluntur prędicare in suis Ecclesijs, si sunt Parochiales. Cap. 14. sess. 7. Regulares extrà morantes compelluntur coram ordinario in causis mercedum, in quibus nulla fit mentio de compulsione per censuras, solum verò huius fit mentio respectu Regularium in c. 16. sess. 25. vbi sub censuris potest Episcopus cogere Regulares ad restituendum omnia, quæ Nouitius volens ad sæculum redire, intulerat in Religionem. Vnus autem flos non facit ver, vt aiunt, ergò neque vnum expressum facit cessare tacitum; prætérquàm quod hoc axioma intelligitur habere locum in eodem contextu dispositionis, non in diuersis.

Ad tertium benè obstat cap. fin. & Bulla Pauli IV. quia mox probatum fuit, hanc opinionem aduersari Tridentino, eo ipso enim, quod Regulares, quò ad processiones subijcit Episcopis, consequenter intendit, illos posse coercere etiam censuris, si resistant; neque enim Concilium negat Episcopis vsum censurarum contrà Regulares in eo, in quo illis subijciuntur, sunt enim censuræ arma propriè Episcoporum.

Ad quartum, quicquid sit de illis Responsionibus, dico illam conciliationem non facere ad rem, quia solum in dubijs petuntur Responsiones, non in claris, est autem clarum, & manifestum, Episcopum ex cap. 16. citato sess. 25. posse censuris cogere Regulares ad restituenda illata in Monasterium Nouitio redeunti ad sæculum, vnde non potuit peti Responsio super dictum locum clarum, sed tantum super alia loca, quæ nihil exprimunt circà modum, & remedium cogendi, & compellendi Regulares ad obediendum Episcopo, inter

inter quæ loca est præsens noster casus, vnde Responsio S. C. quod Regulares censuris compelli possint, intelligi potest respectu Processionum, non enim est maior ratio de vno, quam de alio, cum nullibi exprimatur remedium, quo possint Regulares compelli.

DECISIO CDXCVIII.

An Confessarij vi suorum priuilegiorum absoluere possint à casibus iure reseruatis Episcopis?

DOcui Resolut.6. qu.9. num.11. Regulares vi suorum priuilegiorum non posse amplius absoluere à casibus reseruatis Episcopis, siue sint ab homine, de quo nullum est dubium, quia ad hoc extat Decretum Clem.VIII. extensum apud Tambur. tom.2. disp.13. q.13. siue à iure, quos septem ibi numeraui, quia ad hoc extant duo Decreta vnum Pauli V. alterum Vrbani VIII. illud Pauli extensum ibidem, & apud Peyrinum ad constit.1. Iulij II. n.63. Aliud Vrbani extendit Synodus Comensis fol.159. & Cespedes dub.142. Nec licet respondere, Decreta Pauli, & Vrbani intelligenda esse iuxta decretum Clementis VIII. vt quæ huius sunt declaratiua, siquidem ad minus illud Vrbani non est declaratiuum illius, cum de eo nullam faciat mentionem, sed simpliciter declarat, Regulares Confessarios ex confirmatione suorum priuilegiorum non posse absoluere, *à casibus Ordinario loci reseruatis*, quæ verba, cum sint generalia, intelligenda sunt generaliter de omnib. casib. reser. Auersa qu.17. de Pœnit. sect.6. §. Admitti, cum Diana par.3. tractat.2. resol.13. & p.8. tractat.7. resolut.71. quibus tandem videtur adhærere Cespedes de exempt. Regul. ad finem dub.142. docet, Confessarios Regulares ex vi suorum priuilegiorum, quoad hoc non reuocatorum posse absoluere à casibus Episcopis iure communi reseruatis. *Primò*, quia in Decreto Clementis VIII. in quo reuocantur priuilegia absoluendi à reseruatis, fit mentio tantum de casibus ab homine reseruatis Episcopis, & non à iure, iuxta quam restrictionem intelligenda sunt subsequentia duo Decreta Pauli, & Vrbani, ex eo quod sint illius declaratiua. *Secundò*, quod est illatio Dianæ ex Sanchez libr.2. cap.54. nu.27. si Regulares habebant priuilegium absoluendi à casibus Papæ reseruatis, à quibus possunt absoluere Episcopi ex Tridentino sess. 24. cap.6. sequitur, eosdem modò posse absoluere ab illis, quia facti sunt casus reseruati de iure Episcopis; confirmat Auersa, quia eamdem facultatem, si antè habebant, videtur reliquisse Regularibus, licet eos reseruauerit Episcopis in Tridentino; limitat, nisi Episcopi in suis Edictis speciali reseruatione comprehendant quia tunc non poterunt absoluere. *Tertiò* ex Cespedes, Regulares ideò non possunt absoluere à casibus reseruatis in Synodis, &c. quia tales casus sunt sibi ab Episcopis reseruati; sed casus reseruati in Synodis non sibi propriè reseruant Episcopi, ergò ab eis absoluere possunt Regulares. Minorem probat ex differentia casuum reseruatorum à iure, & ab homine,

quia illi mortuo legislatore durant, isti cessant ea differentia, quia leges Canonicæ sunt à potestate procedente à Christo, qui non moritur, ideò nec leges reseruationis à iure, & lege prouenientes à prima potestate, desinunt esse, sicut casus ab homine ordinati cessant, eo extincto; non sunt igitur casus à iure reseruati per Episcopum, sed per legem.

Ad primum patet ex dictis, saltem Decretum Vrbani non esse intelligendum ad præscriptum Decreti Clementis VIII. sed absolutè explicandum respectu cuiuscumque casus, siue iuris, siuè hominis, vbi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, & lex generaliter loquens, generaliter intelligenda est.

Ad secundum concedo, per facultatem casuum Papalium concessam Episcopis in Tridentino non tolli priuilegia Regularium absoluendi à casibus Papalibus, quia ex diuersis non fit illatio, aliud enim est, Papam, seu Concilium concedere Episcopis priuilegium absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ, aliud auferre simile priuilegium Regularibus, de quo non constat, nisi in Decreto Clem. VIII. per quod sublatum fuit Regularibus priuilegium absoluendi sæculares à casibus Cœnæ Domini, & ab alijs quinque tantum extrà Bullam Cœnæ, signum ergò est, per Concilium in illo capite nullum priuilegium fuisse Regularibus Confessarijs sublatum. Quarè si Regulares Confessarij modo absoluunt à casibus Papalibus per Concilium concessis Episcopis, id faciunt iure suorum priuilegiorum, non verò, quia præfati casus Papales, dicantur modò casus Episcopales, seu iure Episcopis reseruati, siquidem reuera non dicuntur reseruati Episcopis, sed illis concessa facultas absoluendi, & adhuc retinent suam denominationem casuum Papalium, cum simpliciter non sint sub potestate Episcoporum sed limitatè, & sub certis circumstantijs simpliciter Papales.

Ad tertium Patris Cespedes dico, adhuc casus synodales, vel in Concilijs Prouincialibus editos sub perpetua lege dici reseruatos per Episcopum, & Episcopos, quia quovis modo agat legislator, dicitur sibi reseruare casus simpliciter, differentia solum est in modo reseruationis, non in reseruante, qui denominatur reseruans, siuè id agat ab homine, & per modum præcepti extinguibilis cum ipso, siuè à iure per modum legis, & statuti perpetuò durabilis. Neq; ea differentia primæ potestatis à Christo quicquam facit, quia Episcopus quovis modo sibi casus reseruet, siuè à iure, siuè ab homine, semper in potestate dependet à Christo, vt non negaret Pater Cespedes. Reseruatio per legem ideò semper durat, quia lex semper loquitur ex vulgatis iuribus, & non continuè pendet à legislatore, sed sufficit ad sui existentiam, quod semel posita sit; reseruatio verò per hominem, eo mortuo statim euanescit, eò quod in suo existere continuè pendet ab eius voluntate, quæ cum morte extinguatur, ideò & reseruatio ipsa cessat, non amplius influente legislatoris mortui voluntate.

DECISIO CDXCIX.

An applicans pluribus vnicam Missam putans, se id posse, teneatur restituere?

RESpondi Resolut. 25. q. 13. illum, qui bona fide, & probabilitèr putabat, se posse vnica Missa pluribus satisfacere stipendijs, ignorans Decreta de Celebratione Missarum, quod potuit accidere primo anno publicationis eiusdem, non teneri ad restitutionem, quia sic agendo nullius iustitiam formalitèr læsit, requiritur enim formalis læsio iustitiæ ad restitutionem, ex probatis ibidem.

Auersa qu. 11. de Sacrificio Missæ sect. 17. §. Quod si Sacerdos, agente Diana part. 8. tract. 7. resol. 75. asserit, teneri ratione rei acceptæ, sicut quandocumq; quis bona fide accepit rem, quam putauit suam, vel putauit iusto titulo acquirere, si posteà deprehēdit, rem non fuisse suam, aut non iusto titulo acquisitam, tenetur vtiq; restituere, seu satisfacere, nisi factus sit impotens. Respondeo, ad nihil teneri, quia sufficit, vt non contrahat obligationē restituendi, quod primò iustè acceperit titulo fundato, vel in opinione tunc multum probabili, vel in priuilegijs Regularium, licet posteà lege aliud statuatur, per hoc enim non dicitur deuenire in malam fidem, quia Decreta de Celebratione Missarum nil statuerunt circà Missas iā anteà receptas, neq; Sacerdos ex cognitione illorum Decretorum dicitur, bonam fidē mutasse in malam, quia ab initio alienum non habuit, nec retinuit, sed sibi illud stipendium proprium fecit, eò quod suæ obligationi satisfecerit, Auersa autem supponit, Sacerdotem ex bona fide deuenisse in malam fidem, quod est falsum, quia hæc mutatio fidei supponit iniustum titulum, non cognitum à recipiente, in casu autem nostro titulus ille ex opinione, vel priuilegio ex tunc ab initio cognitus fuit vti bonus, & iustus, & non fuit mutatus per eam legem, quæ prouidit in futurum, ergò nunquam potuit transire de bono in malum, ac proindè nulla est obligatio restitutionis, etiam si casus occurrerit post promulgationem huius legis, respectu ignorantis, quem nulla lex afficit in foro conscieutiæ. Deindè non tenetur, restituere ratione rei acceptæ, quia non mutuum, non pignus, non commodatum, non locatum, &c. accepit; Neq; ratione contractus, quia in hoc nullius iustitiam læsit, sed suæ obligationi satisfecit, ergò ad nihil tenetur.

DECISIO D.

Propugnat Autor proprias sententias contrà Responsiones Cespedianas.

PAter D. Franciscus Cespedes natione Hispanus, professione Theologus, Religione Theatinus, apud omnes Religiones benemeritus, quia diligentissimè, regularitèr, & doctè reduxit in vnum omnia dubia spectantia ad Regulares in materia exemptionis; nonnulla ex nostris dubia, & resolutiones impugnauit, quibus respondere nunc proposui sub hac vnica Decisione, sicut feci in nonnullis ex præcedentibus contrà alios. Nullus miretur,

retur, quia leges scholasticæ sic ferunt, nemini fit iniuria, cum id lege fieri cōtingat, eius impugnatio non mihi fuit iniuriosa, neq; ipsi mea propugnatio vitio est ascribenda; acuuntur ingenia, multiplicantur opiniones, veritas, quæ vna est, & indiuisibilis, quæritur, sed rarò inuenitur, cum sub opinionibus abscondatur.

Dixi primò c.4. de Profess. Regul. q. 30. quod recipiendi ad Religionem non sunt examinandi à Congregatione Reformationis, neq; ab Ordinarijs locorum, nam Vrbanus VIII. in Decretis, de Apostatis abstulit Decretum Clem. VIII. quò ad hoc. Et nil vltrà.

Cespedes dub.24. ad finem, putat etiam sub Clemēte potuisse recipi Nouitios sine examine Ordinariorum per aliud Decretum incip. *Sanctissimus*, 1603. vbi datur facultas Fratribus Reformatis de obseruātia recipiendi Nouitios cum solo examine suorum Prælatorum, ergò Clemens VIII. non requirebat examen Ordinariorum, neq; hoc erat pro illa particulari Religione, cum, tamquam priuilegium, esset omnibus alijs communicabile.

Respondeo, me simpliciter dixisse, Vrbanum sustulisse illam partem illius Decreti incip. *Sanctissimus*, sub datum 19. Maij 1602. quod verò Regulares possent recipere Nouitios sine examina ordinariorum per dictum priuilegium citatum à Cespedes, ne verbum quidem. Immò hoc Decretum concessum Reformatis nulla ratione sustulit illud primum, quò ad hoc examen; tum quia de huius reuocatione non fit mentio; tum quia cum sequenti anno emanauerit, non est verisimile, Pontificem voluisse illi tam citò derogare; tum quia cum illi derogauerit Vrbanus, signum est antè viguisse; tum quia Reformati nunquā fuerūt subiecti Decreto illi de Examine ordinariorum, nam id intelligendum est ad tenorem alterius incip. *Sanctissimus*, editi 20. Iunij 1599. excipientis nonnullos ordines, inter quos enumerantur Fratres Minores de strictiori obseruantia, qui idem sunt, quod Reformati; licet ipse Cespedes in enumeratione sua omittat istos, vt videre est in eodem dubio. Non fuit igitur communicabile illud speciale Decretum, cum propriè non fuerit priuilegium, sed quædam Regula recipiendi Nouitios, cum non comprehenderentur Reformati sub illa communi Regula aliorum ordinum.

Dixi 2. resolut.23. q.2. Religionem posse reclamare contrà nulliter professum virtute Tridentini, sicut reclamat professus. Cespedes negatiuæ adhæret dub. 50. num.3. his rationibus. *Prima*, quia ex vi Concilij id expresse conceditur tantùm professo. Verum dicit, sed ex hoc non sequitur, Religionem eodem iure non posse reclamare, quia dispositum pro vno correlatiuorum censetur, & dispositum pro altero, licet de eo non fiat mentio, ex iuribus, & Doctoribus allegatis à Barbosa Axiom.61. & à Vaz lit. C. nu.76. & facit illa regula, quod eadem est virtus taciti, & expressi, in eo ergò expresso continetur hoc tacitum. *Secunda*, quia Prælatus debet esse coniudex in hac causa, quomodò ergò si reclamat coràm Episcopo poterit esse coniudex, cum sit etiam pars? Facilis responsio, si dicamus, Prælatum fungi duo officio Iudicis, actorem verò esse

Pro-

Procuratorem Monasterij agentem contra nullitèr professum pro suo Monasterio, & sic tollitur obiectio. *Tertia*, ex Decreto clarè habetur, reclamationem faciendam esse à Prælato coram Sacra Congregatione, ergò ex eo Bordonus non potest colligere, Religionem posse reclamare eodem modò, ac reclamat inualidè professus, scilicet, coram Ordinario. Potest igitur reclamare coram Congregatione, & sic tolluntur omnia inconuenientia. Respondeo, non dico, illud Decretum hoc determinare, quod ego resolui, sed colligi ex comparatione, quam facit inter Religionem, & Religiosum respectu reclamationis, illis verbis: *Quod si aliqui contra formam præfatorum Decretorum recepti, & professi è Religione infrà quinquennium exire, vel Superiores extrà eam respectiuè eos eijcere voluerint.* Eo igitur modò, quo professus nullitèr potest reclamare, potest quoque Religio reclamare, excepto hoc speciali casu.

Dixi 3. Resol.7. q.31. Episcopum posse in Ecclesijs Regularium ordinare. Sed postea hanc sententiam renouaui in 2. tomo Resol.67.q.10. Nihilominus attenta prima responsione Cespedes dub.77. arguit ad hominem, *Primò*, ex eadem Clementina habetur, vt possit Episcopus in locis exemptis populo benedicere, audire diuina officia, & ea celebrare, & in sua præsentia facere celebrari, ita quod in huiusmodi locis nullam aliam iurisdictionem exerceat, quarè, cum Clementina exprimat, quid possit facere Episcopus in Ecclesijs Regularium, & non loquatur de ordinatione, non video, quomodò ex tali loco contrariam sententiam colligat Bordonus. Respondeo, subintelligi ordinationem ex illis verbis: *Et ea etiam in Pontificalibus celebret*, ordinatio enim venit sub nomine Diuinorum officiorum. Deindè textus dicit, quod nullam aliam iurisdictionem Episcopis tribuit in Ecclesijs exemptis, ergò concedit potestatem ordinis, cum illi hanc non deneget, sed colligatur ex vsu Pontificalium. Præterea gl. v. Etiam celebrare, facit mentionem de prædicatione, & ordinatione. Insuper textus extremis verbis dicit: *Nec personis exemptis, vel priuilegiatis molestiam inferat, vel grauamen*, ordines autem conferre, non est molestia, nec grauamen exemptis, sed beneficium maximum. *Secundò* ex ijs, quæ habeo in eadem Resolut. num.108. vbi dico, Episcopum non diœcesanum non posse ordinare in Ecclesia Regulari sine licentia Superioris Regularis, ergò neque diœcesanus; & ad disparitatem inter Episcopum Diœcesanum, & non Diœcesanum respondet, Episcopum non diœcesanum habere licentiam ab Episcopo, in cuius diœcesi est situm Monasterium, ordinandi in sua diœcesi, frustra ergò requiritur licentia Superioris Regularis. Respondeo, eam disparitatem esse optimam, ita quod non sufficit Episcopo extraneo licentia Diœcesani, sed præterea necessaria est licentia Prælati Regularis, quod ipse gratis negat sine probatione, siquidem ipse Cespedes concedit, Episcopum Diœcesanum posse celebrare iuxtà dictam Clementinam in Ecclesia exempta, id tamen non diceret

ceret de Episcopo extraneo, nisi accedente consensu Prælati Regularis, & hoc clarum est.

Dixi 4. Resolut. 6. num. 22. Episcopum concedendo in certis solemnitatibus suos casus Parochis, in eis non includere Regulares, quandò de illis non facit expressam mentionem, Insurgit Cespedes dub. 115. distinguendo, si Episcopus in concessione facta Parochis excludit Regulares, tunc non possunt absoluere, aliàs possunt, requirit ergò exclusionem formalem, itaque sentit cum Peyrino, huiusmodi gratiam Parochis factam esse communem Confessarijs Regularibus, rationem subiungit, quia, non est iudicandum velle Episcopum tollere paritatem, quam vtrisque dat ius commune, nisi exprimat, Et ad Regulam iuris, quam adduco, dicit, causam limitatam producere effectum limitatum, dum illa, in quibus causat effectum, non æquiparantur. Et ad id, quod dico, eam gratiam esse odiosam, ac proindè strictè intelligendam, respondet primò, non esse odiosam; secundò, non est adeo odiosa, vt magis odiosa non sit respectu Regularium, qui prætendunt æqualitatem cum Parochis; tertiò, licet sit maior ratio concedendi eam gratiam Parochis, adhuc non est ratio excludendi Regulares. Sed contrà est. Tum quia in claris non est locus coniecturis, vndè, si Episcopus exprimit Parochos, nulla facta mentione Confessariorum Regularium, certè isti excluduntur, cum sub nomine Parochorum non veniant Confessarij Regulares, qui non sunt Parochi, & mihi contrarium persuadere non possunt; & quia ex diuersis non fit illatio; & quià priuilegium vni concessum ad alios non extenditur etiam ex identitate, rationis, cap. Sanè 9. de priuileg. gl. v. Sigillatim, cap. Hinc 39. 16. q. 1. & quia in concessionibus, & priuilegijs omissum censetur denegatum, Ripa in l. Qui Romæ, §. Dico fratres, ff. de verb. oblig. Surdus decis. 69. num. 5. Craueta consil. 320. Tum quia vis omnium argumentorum Cespedes fundantur in paritate Parochorum, & Religiosorum, iure communi illis concessa, quæ in casu nostro non facit ad rem, nam Papa in Clementina, *Dudum*, vt dixi, pares facit in eo, quod per admissionem ad audiendas confessiones sæcularium, illis non intendit tribuere maiorem potestatem, quam habeant Parochi, & reuera ea paritas attenditur respectu reseruationis, non absolutionis; præterquamquod ea Clementina, quò ad Confessarios reuocata censetur in Tridentino iuxtà dicta suprà Decis. 468. ideò ea paritas euanuit. Tum quia absolutè verum est, causam limitatam limitatum producere effectum, aliàs causa non esset limitata, sed indefinita, immò in eius sententia debebat respondere, causam esse illimitatam hoc ipso, quod vult sub ea gratia comprehendi Regulares, si .n. causa est limitata, ergò ad aliquos, siuè sint pares, siuè non. Tum quia cõcessio casuum reseruatorum est odiosa, cum reseruatio sit odiosa. Floron. p. 1. c. 1. nu. 30. & magis est odiosa Parochis, quam Regularib. vt colligitur ex allegatis à Florono. Demùm, dum non negat esse maiorem causam concedendi facultatem Parochis absoluendi à reseruatis, subdit, nullam esse rationem excluden-

dendi Regulares, ad id respondeo, stare pro ratione voluntatē, quia placuit sibi non concedere illam facultatem Regularib. & sufficientèr ratio exclusionis Religiosorum colligitur ex inclusione Parochorum, quibus ex officio incumbit cura animarum, Regularibus ex charitate, & voluntariè.

Dixi 5. resol. 7. n. 47. Regularem Parochum amotum ab officio curæ non posse deinceps excipere confessiones, quia in eo expirauit facultas, quę pendebat ab eo officio, supposito, quod aliam potestatē non haberet, nisi ex officio, & ordinariam, quod etiam dixeram resol. 2. q. 3. Et hic Decis. 257. Cespedes dub. 119. putat cum Peyrino, talem Religiosum à Parochia amotum posse prosequi munus Confessarij, quia ille approbatus fuit ad confessiones, non minus, ac alij Confessarij Regulares, non Parochi, ergò cum alijs potest prosequi hoc munus. Antecedens suadet, quia Parochus dicitur approbatus ab Ordinario, vndè virtute Iubilęi potest eligi in Confessarium. Deindè, si verum esset illud, Parochi Regulares essent peioris conditionis, quam alij, quod videbitur absurdum, cum alij semel approbati semper censeantur approbati.

Contrà est, quia adhuc subsistit nostrum fundamentum, quia isti Parochi, vt suppono, nullam aliam potestatem habent, quam eam, quæ necessaria est ad exercendam curam animarum ex officio, quę vocatur, apud omnes ordinaria, & ex officio Parochiæ, quæ sequitur ad approbationem, sed statim ac quis remouetur ab officio Parochiæ, perdit hanc iurisdictionem ordinariam, & nullam aliam habet, ea suppositione, ergò non potest amplius fungi hoc munere, inquit enim Tridentinum sess. 14. c. 7. *Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Constat autem ex suppositis, Parochum remotum nullam habere iurisdictionem, aliàs esset Parochus ex suppositione iurisdictionis, & non esset Parochus ex suppositione remotioris. Ad primam eius rationem dico, illum Parochum censeri approbatum tantum pro eo tempore, quo est Parochus actu, & formaliter, quia approbatio est ad curam animarum præcisè, ergò vltrà non se extendit eius potestas. Confessarij Regulares aliquandò approbantur simpliciter, sed raro, hac enim nostra tempestate illis delegatur potestas ad tempus, deindè potestas Parochorum est ordinaria, aliorum Confessariorum delegata, & ex his patet, approbationem in vtrisque non esse eamdem, ideò non valet inferre ab vno ad alium; adde, quod diuturnior regulariter est approbatio Parochorum, & regulariter perpetua ex officio curæ, aliorum Confessariorum ad tempus, vt plurimum. Præterea, sicut ex reuocatione facultatis Confessarij non possunt amplius audire, ita & ex remotione Parochorum à cura animarum, cessat facultas audiendi Confessiones. Et ex his patet ad reliqua, quæ sunt parui momenti.

Dixi 6. Resol. 36. q. 24. Episcopum excommunicatum vitandum non posse approbare Confessarios ad Cōfessiones audiendas, quia id est actu iuris-

iurisdictionis, qua caret vitandus.

Cespedes dub.140. tenet oppositum de Confessarijs Regularibus, quia talis approbatio non dat iurisdictionem illis, quibus illam confert Papa, posita approbatione, ergò respectu horum non est actus iurisdictionis. Tenet verò non posse approbare Sacerdotes sæculares, quia illis per approbationem confert iurisdictionem, quod est approbatio tunc actus iurisdictionis.

Contrà est primum, quia approbatio ad Confessiones simpliciter spectata præscindendo à Sacerdotibus, qui approbantur, in seipsa est actus legitimus consistens in iudicio publico Episcopi determinantis, Sacerdotem examinatum esse idoneum ad Confessiones audiendas secundum omnes Doctores, ergò est actus iurisdictionis, cum dependeat à iudicio Superioris, quatenus iudex est. Deindè, vt aliquis actus dicatur iurisdictionis, non est necessarium, quod ex eo sequatur iurisdictio, tum quia iurisdictio supponitur esse antè actum, qui ab ea denominatur; tum quia excommunicare, suspendere, interdicere, & huius generis sunt propriè actus iurisdictionis, & tamen nulla iurisdictio sequitur in censuratis, sed solum pœna censuræ, ergò, vt aliquis dicatur actus iurisdictionis, non est necesse, quod ex eo sequatur iurisdictio, sed quod ille exeat ab habente iurisdictionem, & actus ille pendeat à iurisdictione. Præterea sibi obijcit ex mea doctrina, quod Regulares etiam ab Episcopo possunt habere iurisdictionem, quia quis potest gaudere duplici potestate; respondet autem, esto quod hoc non repugnet, saltem Episcopus, inquit ipse, poterit solum approbare, & nolle dare talem iurisdictionem. Dico, ex hoc non tolli rationem actus iurisdictionalis ab approbatione, quæ specificatur actus iurisdictionis, non à sequente effectu, sed à sua causa, & potestate iurisdictionali in Episcopo admittente Confessarios.

Dixi 7. Resol.36. nu.55. Generalem non indigere examine, sed sola approbatione Episcopali pro audiendis sæcularibus.

Cespedes dub.141. non displicet id, sed tamen ait, includere aliquam difficultatem ex eo, quod vnum conceditur, & alterum negatur. Nam *Primò* si eminentia Generalatus excipit ab examine, cur non etiam ab approbatione, quia approbatio in ordine ad idoneitatem requiritur. *Secundò* arguit ad hominem sic, Generalis indiget approbatione, quia, licet in odiosis Prælati non veniant, nisi de illis fiat expressa mentio, tamen, quia in hac constitutione de approbatione ad Confessiones, in qua non exprimuntur, non spectantur, vt Prælati, sed vt Confessarij, id circò sub hoc nomine sufficienter comprehenduntur, ergò, si vt Confessarij sufficienter exprimuntur, iam etiam examini, vt Confessarij subijcientur, aut vtrique, aut nulli. Lata est differentia, nam approbatio, passiua, est actus honoris, & fauoris, examinis vero est actus subiectionis, & oneris, ideò Generalis comprehenditur sub primo, non sub secundo. Præterea præsumptio habet locum respectu idoneitatis, non respectu approbatio-

tionis, ideò huic subditur non illi.

Dixi 8. Resolut.7. q.15. num.37. probari per tex. cap. Visis 1. c. Sanè 6. 16. qu.2. Parochos Regulares in proprijs Ecclesijs approbari per Episcopos. Cespedes dub.149. notat in citatione errores, dicit enim se non inuenisse cap. Visis, nec cap. Sanè, reputat errorem impressoris, inuenisset tamen, si adhibuisset diligentiam, vt ego feci, ipsemet in eumdem incidit errorem, dum me citauit sub q.35. cum sit q.15. sed error eius fuit pariter impressoris. Sed hæc notare ridiculum est, vtile tamen fuit, docere vera loca, in quibus illi textus registrantur.

Dixi 9. inquit Cespedes dub.207. num.4. à solo Episcopo cogi Regulares ad processione, citat Resol.7. sed non quæstionem, neque numerum. Sed ego sub num.140. asserui, In oppidis, & alijs locis extrà vrbes tenentur ire ad publicas processiones. Et licet corroborem opinionem contrariam, eam tamen non sequor, liquens pro ipsis.

Dixi 10. Resolut.7. num.132. Episcopum posse processiones conuocare in Ecclesijs Regularium. Se opponit Cespedes dub.211. Sed non oportet illi respondere, quia re melius considerata, recantaui Resol.68. q.6. fol.317.

Dixi 11. Resol.7.q.21. Episcopum in defectum Prælati negligentis punire Religiosos subditos, posse illos punire. Cespedes dub.236. non placet id, nam tunc cur non est ad Sedem Apostolicam recurrendum? non inuenitur textus id concedens Episcopis, si periculum est in mora, tunc carcere detineri poterunt. Sed contrà est, quia in tali casu Religiosus æquiparatur existenti extrà obedientiam Superioris Regularis, qui potest puniri ab Episcopo, sess.6. cap.3. cap.1. de priuileg. in 6. Deindè scandalum dare confert iurisdictionem aliàs non habenti, ex Sousa in Aphor. Inquisit. lib.1. cap.31. num.8. maximum autem est scandalum, quod delicta remaneant impunita. Præterea negligentia Prælati suppletur per subditos, gl. v. Clericus cap. Volumus 12. dist.89. à fortiori per alium Prælatum maiorem, & colligitur ex tit. de supplend. neglig. Neque autem est necessè semper adducere textum expressum, sed sufficit deducere rationabiliter, nam ratio succedit in defectum legis, gl. v. rationis, cap. Ex eo, de elect. in 6. vndè lex est omne, quod ratione consistit, cap. Consuetudo 5. distinct.1. & ratio dicitur communis lex ad omnes casus, Caldet. consil.1. de regular.

Dixi 12. Resolut.36. num.83. Episcopum non posse punire Confessarium Regularem delinquentem in suo officio, nisi pœna suspensionis, & ibi causas decem assignaui.

Cespedes dub.264. num.3. reijcit aliquas, vt insufficientes, nempè secundam, si Confessarius non moneat Parochum de audita Confessione infirmi. Quartam, si non intersunt casibus conscientiæ. De quinta, si facialiter audiat mulieres, dubitat. Octauam, si audierit mulieres extrà diem. Probo sufficientiam prædictarum causarum, secundæ quidem, quia Romæ extat Decretum suspensionis, quod refert Lezana cap.19. nu.32.

num.32. ex quo infertur, eam causam esse sufficientem. Dixi tamen resol.68. num.43. & 44. non teneri relinquere scriptum, sed posse admonere oretenus etiam per parentes infirmi, omittendo autem non posse puniri, intellige, alia pœna. Quarta est rationabilis, ex eo, quod punitur quis in eo, in quo peccauit, quod est conforme omni iuri, nam non accedens Confessarius ad Congregationem casuum peccat in præparatione sui officij, debet enim incumbere illis, vt sciat prudenter soluere peccatores. Res clara est in Parochis, qui tenentur accedere, ex allegatis à Barbosa sess.25. cap.11. num.12. In alijs locum habet, vbi de consuetudine accedunt, nam tunc negligentes puniri possunt pœna suspensionis, sed ferè nullibi receptum est, vt Confessarij intersint Congregationi casuũ. Hic Parmæ non est in vsu. Quinta, & octaua sunt rationabiles, quia directè respiciunt debitum modum, & honestatem ministrandi hoc Sacramentum, ergò deficientes possunt puniri in eo, in quo deliquerunt.

Dixi 13. Resolut.36. num.64. Solum Episcopum in causis sancti Officij posse procedere contrà Regulares exclusis Prælatis inferioribus, quin in his casibus, quandò Regulares sunt in locis Nullius, & exemptis, subduntur viciniori Episcopo. Cespedes dub.266. num.5. id impugnat fundamentum, quia in Bulla Pauli V. à me citata tantum habetur subdi locorum Ordinarijs vicinioribus, quo nomine ait, venire, ex recepta, & probabilissima opinione, omnes alios Prælatos habentes iurisdictionem ordinariam, & subditos, vti sunt Prælati Nullius, itaque vult contrà Regulares posse etiam procedere Prælatos inferiores, citando pro se Palaum, Molinam, & Carenam.

Sed contrà, quia licet nomine Ordinarij veniant etiam Prælati inferiores habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem, & subditos, vt docent omnes, tamen cum additione *loci*, seu *locorum* veniunt tantum Episcopi, ita Floronus par.1. de casibus reseru. cap.5. §.IV. nu.1. exprefsè gl.v. Ordinario, extrau. Vnic. de præbend. Ioan.22. Compend. Bullar. Schol.2. ad Bullam 44. Clementis VIII. Bulla autem Pauli V. à nobis citata coniungit vtrumque sic: *Ordinarijs locorum*; ergò restringit iudicium ad solos Episcopos exclusis inferioribus, ac proindè Abbatibus, & alijs Prælatis Nullius, vt aiunt, quod certè etiam colligitur ex sequenti dictione *Vicinioribus*, mandat enim Papa, quod Religiosi de hæresi suspecti denuntientur viciniori Episcopo, quæ qualitas vicinitatis non exprimeretur, si denũtiari possent cuilibet Ordinario, quia quisq; dicitur esse vicinus æqualiter suo Ordinario, vel Ordinario, qui aliàs posset esse suus; & id est simile, & explicatur respectu Regularium habitantium in loco Nullius, qui pro ordinibus accedunt ad viciniorem Episcopum, Nald. v. ordo 26. Nec illi suffragatur Carena, qui p.1. tit.6. num.14. ait, Abbates Nullius patificat Capitulo Sede vacante, quod contrà Regulares procedere non potest, quia succedit minimè in potestatem delegatam Episcopo, qualis est potestas, quam Episcopus habet

habet contrà Regulares, vt dicit ipsemet Carena num. 12. & 13. subiungit tamen contrarium practicari in officio Cremonæ. Sed quiquid sit de hoc modo procedendi Episcopi contrà Regulares, & de successione Capitularis Vicarij, patet hìc nomine Ordinarij loci venire solum Episcopum, non curando de reliquo, nam suprà sub Decis. 441. probaui, succedere etiam in iurisdictione delegata.

Dixi 14. sub eadem Resol.7.q.25. Episcopum non posse castigare Religiosum complicem in aliquo delicto cum Clerico, sed ex processu formato per Superiorem Regularem contrà suum subditum Religiosum, posse deindè Episcopum procedere contrà suum Clericum. Cespedes dub.270. subdit hæc verba: Sed ibi non se benè explicat posteà iste Doctor. Frustrà subiunxit hanc clausulam, quia meum non erat referre modum prosequendi processum; sufficiens mihi fuit dicere, Episcopum non posse punire illum Religiosum, & deindè transeunter addere, Episcopum vti posse processu Regulari, in quo fit mentio de suo Clerico complice in processu informatiuo.

Dixi 15. sub eadem Resolut.7. q.4. Religiosum Parochũ solummodò teneri accedere ad Synodum; & resolut. 36.q.30.dixi, Confessarium ab Episcopo non posse puniri, nisi pœna priuationis ab officio confessionis. Dixi Resol.9. q.6. Excommunicationes latas ab Episcopis in Concilijs, seu suis Synodis non comprehendere Regulares Confessarios; etiamsi exprimantur, & ad probationem huius me remitto ad dicta eadem resol.7.q.2.& 5. & resolut. prædicta 36. q. 30.

Cespedes dub. 293. dicit, me per quæst. 5. licet errore impressionis sit quarta apud ipsum Cespedes, non probare quæstionem sextam resol. nonæ, sed potiùs oppositum.

Sed hoc non est verum, nam in illa sexta, vt retuli, responsio est, excommunicationem latam in Synodis ab Episcopo contrà Confessarios malè absoluentes, non comprehendere Regulares, quam probaui resol. septima, q.2. vbi dixi, Regulares esse exemptos ratione delicti ab Episcopis, & q. 5. probaui idem, scilicet Religiosos non esse subiectos legibus Synodalib. quò ad pœnas censurarum, vt patet nu. 8. vtique verò eosdem, vt officiales teneri obseruare Synodales leges, cum sola priuatione officij, in quo deliquerunt, lege attentè totam q. 4. & 5. & videbis veritatem. Neque enim Cespedes refert verba ad verum sensum, vt patebit collationanti vtrumq; scriptum.

Dixi 16. Resol.16.q.2. Superiorem non posse licentiare suum subditum absoluendum à casibus reseruatis maioribus intrà Religionem, vtique verò à reseruatis Sedi Apostolicæ, à quibus Episcopus potest absoluere, & similitèr potest Prouincialis, & Generalis licentiare suum subditum respectiuè, vt absoluatur ab Episcopo.

Cespedes dub.298. putat, licentiam huiusmodi nihil prodesse, vt absoluatur ab Episcopo Religiosus licentiatus. *Primò*, quò ad casus Regulares, quia inferior nihil disponere potest circà casus reseruatos maioribus suis. *Secundò*, quia tunc reseruatio esset frustratoria. *Tertiò*, quò ad casus Papales, si Episcopus potest absoluere Regulares ex opinione Doctorum, non est necessaria licentia Superioris

Regularis, quia, sicut Episcopus potest absoluere aduenas sine licentia Episcopi eorum, ita & Regulares tamquam aduenas subditos.

Contrà est, quia Religiosi extrà ordinem non possunt confiteri sine licentia suorum Superiorum, vt notum est, vndè Summi Pontifices non semel decreuerunt, quod Regulares quò ad Sacramentum Pęnitentię remanerent sub dispositione suorum Superiorum, quibus per votum obedientiæ propriā voluntatem subiecerunt, ideò dicuntur non habere velle, neq; nolle, nisi dependentèr ab illis, & ex his patet, multum prodesse Religiosis licentiā confitendi extrà, ita quod accedentes ad Episcopum voluntariè sine huiusmodi licentia peccant mortalitèr, & nullam faciunt confessionem. *Ad primum* rationem dico, eam esse optimā, sed non facere ad rem, quia non dico, Priorem, nec Prouincialem posse licentiare suum subditum ad Episcopum, vt absoluat illum à reseruatis suo maiori, hoc enim nego, sed concedo, quod Prouincialis pro suis casibus, & Generalis pro suis potest licentiare, & sic non habet locum Cespedes argumentum, vt notum est. *Ad secundam,* non est frustratoria reseruatio, sicut non est, quandò quilibet reseruans facit gratiam Confessarijs, aut subditis circà suos casus reseruatos. *Ad tertiam,* ea potestas, e.g. Tridentini absoluendi etiam Regulares intelligitur de licentia sui Superioris, alitèr non benè exercetur, cùm, vt dixi, mens Pontificum sit, vt Religiosi quò ad absolutionem remaneant subiecti suis Superioribus, ergò extrà si velint confiteri, etiam Episcopo, debent petere licentiam. Demùm peregrinantes similem licentiam saltem interpretatiuè dicuntur habere à suis Episcopis confitendi extrà, vt refert Diana resol. 11. tract. 2. par. 8.

Dixi 17. eadem Resolut. 16. q. 3. Episcopum absoluentem Religiosum à peccatis, à quib. poterat illum suus Superior, tunc id potestate, tum delegata, tum ordinaria facere, quia ex parte licentiantis dicitur Episcopus acquirere potestatem delegatam, iure verò proprio absoluendo eum tamquam proprium subditum. Impugnat Cespedes hanc distinctionem eodem dub. 298. num. 13. quæ sibi adæquatè non placet, quia si de licentia Prælati Religiosus pro absolutione se subdat Episcopo, cur absoluet illum Episcopus potestate delegata, cum habeat potestatem ordinariam absoluendi. Ista ratio nullius est valoris, quia non est inconueniens, quod iudex procedat ad agendum ex duplici potestate, ex allegatis per Nauar. tom. 2. q. 3. de Reddit. Eccl. mun. 7. num. 3. & in consil. 6. de conu. in fid. num. 36. & consil. 4. de off. deleg. num. 3. Neque id repugnat secundum eumdem Cespedes dub. 140. num. 4.

Dixi 18. eadem Resol. 16. q. 4. Religiosum pro absolutione à casibus regularibus licentiari posse ad quemcumque Episcopum, quia tunc delegatur facultas à licentiante; pro Papalibus verò licentiandus est solum ad Diœcesanum, qui à iure habet facultatem vti in suos subditos.

Cespedes eodem dub. 298. num. 15. putat, Religiosos posse licentiari ad quoslibet Episcopos, quia omnes habent facultatem, eo enim ipso, quod quis est Diœcesanus, per hoc non habet in dictos Regulares potestatem, dum

dum quærunt absolutionem in talibus casibus, semper enim exempti sunt, & ratione exemptionis nullam maiorem habet potestatem Diœcesanus, quam extraneus. Deindè ait, se non videre fundamentum contrariæ sententiæ. Tertiò sicut Episcopus, qui dat facultatem, vt ordinetur suus subditus ab alio Episcopo, non restringit, quod ordinetur ab hoc, vel illo, sed potest ad libitum, à quo voluerit ordinari; sic à pari in casu nostro de Prælato Regulari respectu suorum subditorum est dicendum; & sicut Episcopus non obligatur mittere suum subditum ad particularem Episcopum, ita neq; Superior Regularis.

Contrà est primum, tum quia hic non spectatur propriè exemptio, quæ de sui natura importat onus, & grauamen, sed exoneratio, fauor, & beneficium, ideò licèt Regulares æqualitèr sint exempti à quocumque Episcopo, nihilòminus, quia in absolutione attenditur quædam subiectio ex conditione Sacramenti, & ex tenore priuilegij, quod requirit subditum, ideò debet licentiari ad Diœcesanum, cui de iure communi Regulares sunt subiecti, ex quo patet, Cespedes falsum assumere, nempè omnes Episcopos habere hanc facultatem. Tum quia extraneo Episcopo Religiosus nullo iure est subditus, sed tantum Diœcesano iure communi. Tum quia Religiosus quò ad Sacramentorum receptionem non dicitur simplicitèr exemptus, sed potiùs subditus Episcopo Diœcesano dependentèr à sola voluntate sui Superioris, ac proindè, si est licentiandus ad aliquem, à quo absoluatur à Papalibus, mitti debet ad Diœcesanum, à quo exemptus est secundum quid, hoc est, cum dependentia à Superiore, qui illum in fauorabilibus restituere potest in pristinum, quælibet enim res facilè reuertitur ad suum primum principium. Quod subdit, se non videre fundamentum meæ sententiæ, nihil me mouet, quia noluit intelligere, ne acquiesceret. Fundamentum ibi est clarum, & etiam mox fusius explicatum. Ad tertium, lata est differentia, nam quilibet Episcopus iure proprio potest conferre Ordines, non verò absoluere à reseruatis Regularibus, nisi delegetur, à Papalibus nisi absoluendus sit subditus saltèm iure communi, ratione igitur huius subiectionis non potest mitti pro reseruatis Papę, nisi ad Diœcesanum ratione subiectionis Ordinariæ, in quo parificantur missio ad Ordinationem, nam Religiosus, attento iure communi, ad solum Diœcesanum mittitur.

Dixi 19. eadem resol. 7. q. 15. dub. 13. §. Sacerdos, Regulares à solo Episcopo absolui posse à suspensione contracta per assistentiam matrimonio sine facultate, ex cap. 1. sess. 24.

Cespedes dub. 302. ex suppositione priuilegiorum Regularibus concessorum post Tridentinum, quibus possunt Superiores absoluere ab omnibus censuris suos subditos, sicuti Episcopi suos, audet dicere, posse à tali suspensione absolui Regulares à suis Prelatis. Deindè ea suspensio fertur generalitèr in Tridentino, sed à censura generalitèr lata absoluere possunt Regulares suos, ergò & ab hac, cum sit generalis.

Contrà est primum, quia quæcumque priuilegia Regularibus concessa post Tridentinum, restringuntur, & sortiuntur suum effectum in ijs, quæ

non aduersantur Tridentino, vndè semper confirmantur, & conceduntur cum clausula: *Dummodò non aduersentur Decretis Tridentini*. Immò, si non adsit hæc clausula, quæ deest in confirmatione priuilegiorum facta à Gregorio XV. Bulla incip. *In Apostolicæ Sedis*, adhuc non intelliguntur concessa, neque confirmata priuilegia Tridentino contraria, quia illi non derogatur per priuilegia, nisi de eo fiat expressa mentio, vel per dictam clausulam, vel per clausulam. *Non obstantibus*, in qua exprimatur derogatio Tridentini in indiuiduo, vt enim habetur, ex Bulla Pij IV. incip. *In Principis Apostolorum*. Reuocantur priuilegia omnia Tridentino aduersantia, etiam in futurum concedenda, vt colligitur ex illis verbis. *Et in posterum fient, & in his, in quibus dicti Concilij decretis aduersantur, nulla inualida, & irrita esse*. Quod maximè verum est in priuilegijs permanentibus, si enim Papa alicui facit gratiam transeuntem per Rescriptum, non derogando expressè Tridentino, censetur tamen derogare, ne gratia scienter facta censeatur inanis, & vacua. Episcopi igitur absoluunt quoscumq; Sacerdotes, etiam Regulares ab ea suspensione, non Superiores Regulares, quia Tridentinum illam reseruat Episcopis, non Superioribus Regularibus. Quod subdit, nullius est momenti, quia à sententia generaliter lata, quando non est reseruata, non solum suos, sed etiam sæculares absoluere possunt, non autem à reseruatis Episcopis, & probatis sub Decis.498.

Dixi 20. Resolut.5. q.13. Regulares cum sæcularibus dispensaturos, aut commutaturos vota debere esse ab Ordinario approbatos ad Confessiones. Cespedes dub.109. dicit, sufficere, quod sint tantum deputati à suis Superioribus, sic colligit ex Priuilegio concesso Iesuitis à Paulo III. incip. *Inter cunctas*, quod de sola deputatione Superioris Regularis loquitur. Deindè suum dictum probat ad hominem, quia ait, me resol.15. q.14. dicere, quod potest Confessor approbatus tantum ad Confessiones virorum commutare, & dispensare in votis mulierum, ad quas audiendas non est approbatus ab Episcopo, ergò non est necessaria approbatio Episcopi. Prætereà Bordonus in eo fundatur, quod vota commutari, & dispensari possunt extrà Sacramentum, ergò non est necessaria approbatio Episcopi, quæ respicit tantum absolutionem Sacramentalem.

Contrà est, quia adductum priuilegium Iesuitis concessum fuit anno 1545. Decretum vero de Approbatione Episcopali cap.15. sess.23. de anno 1563. ac proinde annis octodecim antè hoc Decretum, ideò mirum non est, si Paulus III. ita locutus fuit, nondum enim erat inchoatum Concilium, quandò data fuit ea Bulla. Quarè, licet Priuilegia mentionem faciant tantum de deputatione facienda à Prælatis Regularibus, nihilominus hac nostra tempestate, necessaria quoque est approbatio Episcopi, quia omnia priuilegia Regularium redacta fuerunt ad terminos iuris Tridentini, ex Bulla Pij IV. incip. *In Principis Apostolorum*, 94. in B. N. ac proindè, sicut antè requirebatur deputatio Prælati Regularis,

ità post requiritur approbatio Episcopalis, quod secundum aliquos est subijcere fideles suos Sacerdotibus Regularibus. Ad illud argumentum, quod vocat ad hominem, respondeo, stare benè potest, quod Confessarius virorum tantum possit extra Sacramentum commutare vota mulierum, & etiam è contrà, ex hoc tamen non sequitur, non esse necessariam conditionem approbationis Episcopalis, quia hanc non requirimus præcisè pro absolutione Sacramentali, sed etiam, vt in Confessario appareat ex approbatione idoneitas ad iudicanda non solum peccata, sed etiam vota, & huius generis, & vt fidelis dicatur factus illi subiectus ex eo, quod est specialis minister Episcopalis, & ex hoc apparet exigentia approbationis, & in his consistit meum fundamentum, ex quo euanescunt obiecta.

Dixi 21. Resolut. 38. q. 4. Episcopum non posse afficere reseruatione Religiosos negligentes exequi vltimas voluntates testatorum, quorum sunt executores, quia in reseruatione proceditur vt legislatore, non iudice, potest autem in hoc casu esse Iudex, & non legislator, ergò non potest illos afficere.

Cespedes dub. 409. dicit hæc non carere difficultate, tum quia etiam delegatus potest casus reseruare, intellige tu, si hoc habeat in mandatis, nam hæc facultas à quolibet Ordinario demandari potest, nec alio modò loquitur Coriolanus, quam pro se citat. Papa autem Episcopis hoc in mandatis non dedit, cum illis commisit curam piarum causarum, & vltimarum voluntatum contrà quoscumque, fecit enim tunc Episcopos Iudices, non legislatores. Tum addit ex dictis à se alibi Episcopum in Regulares testamentarios nullam habere potestatem saltem puniendi, vndè relata superior opinio procedet in opinione eorum, qui asserunt, ab Episcopo puniri posse Religiosos negligentes, vel delinquentes in executione. Sed reuera res est clara, puniri posse delinquentes Religiosos in hac causa, vt ipsemet dub. 255. refert, affirmatiuam esse communissimam ex citatis iuribus ab eo, immò certissimam ex Clem. 1. de testam. Adde, quod reseruatio magis respicit forum conscientiæ, & internum, quam forum externum, in ordine ad quod iure communi Episcopus procedit contrà exemptos delinquentes in executione vltimarum voluntatum. Hucusque contra Cespedes.

Dixi 21. Resolut. 38. num. 5. familiares perpetuos commensales Regularium ligari casibus Regularibus, quia contraxerunt domicilium apud Monasterium, sicut Laicos in territorio Episcopali, ex hoc enim contrahitur reseruatio. Respondet Pater Lezana æquè doctus, ac pius ad Mare Magnum Minorum num. 26. hoc admitti posse de Tertiarijs, non verò de familiaribus, qui sunt omninò, & merè sæculares, & solum manent sub obedientia seruili Religiosorum, & simpliciter subiecti Episcopis quò ad omnia, prætèr ea, circa quę habent priuilegia. Contrà est primò, quia licet sint sæculares secundum habitum, & carentiam professionis, tamen Religiosis æquiparantur quò ad receptionem Sacramentorum, nā in Paschate Sacram Communionem

recipiunt à Regularibus, & ægrotantibus ministratur Viaticum, & Extrema Vnctio ab eisdem, ergò subsunt etiam quò ad reseruationem, consequenter non tantum seruili, sed etiam filiali obedientia subduntur Prælatis Regularibus. Secundò, id expresse videtur colligi ex Tridentino sess. 24. cap. 11. ibi: *Exceptis ijs, qui prædictis locis, aut militijs actu seruiunt, & intrà eorum septa, ac domus resident, subq; eorum obedientia viuunt*. Isti certè sunt illi familiares, de quib. nos loquimur, qui excipiuntur à subiectione quacumq; Episcoporum, ergò & quò ad reseruationem. Quod idem colligitur ex alio cap. 11. sess. 25. Vbi omnes personę tàm sæculares, quàm Regulares, quò ad curam animarum subsunt immediatè iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, *prætèr eas, supple, personas, quæ sunt de illorum Monasteriorum locorum familia*. Certè loquitur etiam de familiarib. vt docent omnes, ergò exempti sunt ab Episcoporum casibus consequentèr subiectis Regularibus.

Dixi 23. resol. 29. num. 16. Religiosum ad strictiorem transire cum sola licentia Superioris localis, ex cap. Statuimus 19. q. 3. ibi: *Sine Patris permissione*, idest Patris Abbatis localis. Respondet Lezana in Mari Magno Minorum num. 56. hoc argumentum non concludere, quia in tribus vetustissimis codicibus, habentur hæc verba: *Patris totius Congregationis*, quo denotatur Superior mediatus, & maior. Sed reuera standum est lecturæ approbatæ, quæ dicit: *Sine Patris, & totius Congregationis permissione*. Hæc enim magis consona est alijs iuribus, sicut enim Abbas cum sua Congregatione recipit Nouitios, & cum eadem admittit ad professionem, ita licentiat ad strictiorem, vt per easdem causas soluatur, per quas natus fuit. Deindè illo tempore Vrbani II. à quo emanauit illud statutum, electi 1088. nondùm erant in vsu Superiores mediati, nimirùm Prouincialis, & Generalis, sed tantùm locales. Demùm non est peruertendus ordo legalis, seu lectura illi magis conformis per vnicam dictionem, quæ facilè potuit inaduertentèr omitti. Demùm non est anteponendus textus non autenticus textui autentico, noster autem textus est autenticus, cùm sit in corpore iuris, ille verò extrà, ergò noster attendendus est, non extraneus à lege.

LAVS DEO.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

non.

D

E

M

Præ-

Q

Cadauer

V a-

FINIS.